
OECODOMIA MINORITICAE SCHOLAE SALOMONIS DOCTORIS...

Antonius Bruodinus, Johann Friedrich Hess, ...




BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
33 H
20




DOMVS SAPIENTIAE
1663.
Daniel



OECODOMIA
MINORITICÆ SCHOLÆ SALOMONIS
DOCTORIS
SVBTILIS,
QVADRAGINTA QVINQVE COLUMNIS SUSTENTATA, TOTIDEMQVE EPISTTLIIS problematicè ornata.

HOC EST:

VNIVERSÆ THEOLOGIÆ Scholaſticæ manualis Summa, Materias omnes, in ſcholis tradi ſolitas, ordine congruo, ſtylo claro, & ſuccinctâ Methodo complectens.



AUTHORE
R. P. F. ANTONIO BRUODINO
Tuomonienſi Hiberno, Ord: Min: Strict: Obſervant: Reform: Lectore Jubilato, Almæ Provinciæ Bohemiæ quondam Definitore, nec non Conventûs Pragenſis B. V. ad Nives Profeſſore Primario.

PERMISSU SUPERIORUM.

PRAGÆ, Typis Vniverſitatis Carolo-Ferd: in Collegio Societ: JESU ad S. Clementem.
M. DC. LXIII.



ILLUSTRISSIMO AC EXCELLENTISSIMO
DOMINO, DOMINO

FERDINANDO GVILIELMO,

S. R. I. COMITI SLAVATÆ
DE CHLUM ET KOSSMBERG,
GUBERNATORI DOMUS
NEODOMENSIS,
DOMINO IN NOVA DOMO, TELTZ,
Biſtricz, Chlumecz, Straz, Zerovitz,
Mnich, & Rubra Lhota, &c.
Sacræ Cæſareæ Regiæq; Majeſtatis
Conſiliario, Camerario Actuali, Supremo Feudorum Judici, Regio Locumtenenti, hæreditario in Regno Bohemiæ Pocillatori, nec non Conventûs Neodomenſis S. Catharinæ Virginis, & Martyris Fundatori munificentiſſimo, Domino Patrono ac Mecænati ſuo gratioſiſſimo, obſervandiſsimóque.



Volvo tandem EXCELLENTISSIME & ILLVSTRISSIME COMES, Domine ac Patrone munificentiſſime, velut laborioſus & tardus Bombyx, Scholaſticũ hoc meũ opus, & laborioſum ingenij fœtum, qui hactenus in privatis ſtudiorum meorum lucubrationibus, & ſecretis tantummodo Scholarum Lectioni-

ctionibus, veluti in primis suis originibus, & initialibus, ut ita loquar, seminibus delitescens maturuit; evolvo, inquam, Scholasticum hunc meum partum, in communem hanc Lucis usuram, & quidem sub Excellentissimis Tuis Auspicijs Patrone munificentissime; illum evolvo, ut nimirum ibi habeat Nativitatis suæ punctum, ubi fœcundissimum sensit Conceptionis suæ horoscopum; ut ibi primam sortiatur Lucem, ubi primam sui Incrementi & augmenti suscepit influentiam Planetalem; ut denique sub Excellentissimo illo Nomine publici fiat Juris, sub cujus munificentiæ nomenclatura prima cœpit beneficiorum elementa. Nam si verum est (uti verissimum arbitrantur Jurisconsulti) illud juris axioma: *Accessorium sequitur suum principale:* Opusculum hoc meum, quale quale Scholasticum, quod accessorium tantummodo est, debuit sequi naturam sui principalis, unanimes videlicet & verè pios totius Ordinis nostri Seraphici, & potissimè Almæ nostræ Provinciæ Bohemiæ affectus, quibus Excellentissimam Dominationem Vestram abundè colit, & prono devotionis poplite continuò veneratur. Debuit, inquam, structura hæc mea, medullam totius

Theo-

Theologiæ Speculativæ, Theologorum Aquilæ, Doctoris Subtilis, Laconicè complectens, veteris, candidissimi que affectûs mei, accessorius affectus, ad patentes, sempérque mihi hactenus apertos Illustrissimi Patrocinij Tui Lares accedere, quòd cùm à me Authore suo Minorita, non nisi Minoriticè plantari potuit, & irrigari, à Te Patrono suo Excellentissimo, Tuáque Illustrissima, Pijssima, & in Orbe Germanico æstimatissima Familia, majora sumeret æstimationis ac valoris incrementa, utpotè ab illa, quæ per complures sæculorum periodos, veluti radiantissimus Germanici nostri Firmamenti Zodiacus, non in duodecim tantùm, sed innumerabilia penè ascendentis & descendentis Illustrissimæ Tuæ Propaginis signa distinctus, avitæ Nobilitatis suæ jubar copiosè sparsit; & quemadmodum juxta Mathematicorum irrefragabilem doctrinam, Zodiacus cœlestis in duo dimidia secatur, quorum unum super visibilem nostrum volvitur horizontem, alterum in inferiori rotatur Orbis hemisphærio; ita sanè Illustrissimus Familiæ Tuæ Zodiacus, non contentus in Germanico nostro radiare horizonte, dimidiavit Nobilitatis suæ Lucem, & in Orbem Italicum, per Illustrissimos

& Excellentissimos Principes Ursinos (ab his enim Rosenbergiani Principes, Antecessores Tui, rectâ descenderunt lineâ) transfudit, ut ab Oriente usque ad Occidentem magnum esset Nomen Tuum in gentibus. Magnum sanè Nomen Tuum in gentibus exteris, COMES EXCELLENTISSIME, ex Origine, sed magis ex zelantissima Catholicæ Religionis observantia, ejusdémque Orthodoxæ fidei, diffusissima ab Illustrissima Slavatiana Domo factâ propagatione. Unde factum est, ut tot divinis desuper benedictionibus, Illustrissima Familia tua præ alijs sit impinguata: tótque deinde bonorum operum, & maximè misericordiæ, pietatísque fructibus cumulata, qui etiamnum elucent in tot præclaris sanctis Fundationibus, & erectis publicorum Cœnobiorum monumentis & structuris, quibus veluti Davidicis Turribus, mille pietatis Slavatianæ Clypeis exornatis, pientissima hæc Domus circumvallatur. Loquatur hîc non mea hæc, licèt veridica Epistola, sed inprimis memorabile illud S. CATHARINÆ Virginis & Martyris Fratrum nostrorum Minorum Strict: Observ: Reform: Neo-Domi erectum Cœnobium, frequentata Provincialium Capitulorum Sedes, & quasi quædam

com-

communis Delphica Patrum nostrorum vocalium Cathedra, ex qua singulis triennijs, Electionum & Ordinationum Seraphicarum responsa promunt; quæ insignis Seniorum Cathedra, copiosâ sanè fundatione, & munificentiâ Slavatianâ fundata erectáque est, & consũmata, ita ut numerosa Fratrum Familia, rebus omnibus Franciscano necessarijs abundans, pijssimâ Tuâ liberalitate quotidie sustentetur. Loquatur deinde peramplum & præclarum RR. Patrum Societatis JESV ibidem Collegium, cum adjecto sibi opulento Juvenum Seminario, ejusdem Illustrissimæ Familiæ, verâ Illustri pietate erectum & abundè provisum. Loquatur & alterum non dissimile Collegium, in Tua Telczensi Civitate ijsdem Patribus, Tuâ, Tuorúmque Illustrissimorum Parentum munificentiâ, à fundamentis extructum & dotatum. Loquatur pervetusta illa & Religiosissima Eremus RR. Patrum Paulinorum in Tuo Bistriczensi Dominio, quæ cum immortali posteritatis memoria, ipso adhuc S. Fundatore Francisco de Paula in humanis versánte, erecta; at bellicis devastata furoribus, injuriosísque hæreticorum destructa tempestatibus, munificentissimam Liberalitatis Tuæ sensit dexteram,

quandò lapſam erexiſti: deformatam, ut in perfectam Religioſæ Solitudinis figuram evaderet, amplis adauctam redditibus, gratiosè renovari feciſti: quin imò Eccleſiam ipſam à fundamentis quaſi, nullis parcens expenſis, reædificari ſolerter demandâſti. Loquantur denique complures aliæ ſacræ ædes, Noſocomia, Hoſpitalia, & ſimilia Slavatinæ pietatis monumenta, quæ paſſim in recentiſſimis adhuc exſtant fundamentis. Et ut Illuſtriſsima hæc Slavatarum Domus, non ſuper unam fortè avitæ Nobilitatis baſim erecta, aut ſuper ſolas fortè Orthodoxæ Religionis, & integerrimæ pietatis laterales parietes tantùm innixa ſubſiſtere videretur, acceſſit etiam firmiſsima probatæ fidelitatis Columna ad eam fulciendam; imò tot Atlanticæ Columnæ, quot Illuſtriſsimi Tui Anteceſſores integerrimam ſuam fidem, pro DEO & Cæſare, totáque Auguſtiſſima Auſtriaca Domo intrepidè ſemper conſervârunt. Nonne Atlantica fuit fidelitatis Columna, pro Auſtriaca Cæſaris Domo, Excellentiſsimus Tuus Avus GVILIELMVS COMES SLAVATA magnus Regni Boëmiæ Cancellarius, Aureique Velleris invictus Eques, qui maluit præceps ex alto in auras eijci (ut puriorem ſcilicet intemera-

meratæ fidei auram biberet) quàm in periculosè recalcitrantium Officina, aliquam conjurationis caliginem deglutire, ac vel unum latum unguem à fide sui Cæsaris recedere. Gloriosior Mutio Scevolâ, qui unam duntaxat dexteram ardentibus focis urendam immersit pro Romani populi salute; hic verò totam corporis sui molem conquassandam & collidendam concessit. Par felicior Coclite, qui pro Urbis Romanæ conservatione, in Tyberis fluenta se devolvit; hic verò collisa pro Cæsare ossa, Cæsari immolavit indemnis, cum grandi & Germaniæ & Regis lætitia, ac Familiæ suæ sempiterno decore. Patiare quapropter COMES EXCELLENTISSIME, ut hæc Theologiæ meæ Scholasticæ Summula, Illustrissimo Tuo Nomini Slavatiano inscripta à præfato hoc Familiæ Tuæ Jubare, novam nunc accipiat favoris & lucis accessionem, ut inter Gentilitios Tuos Ursos, benevolam inveniat Patrocinij Tui sedem, ad quorum munificentissimam custodiam eam depono, veluti signum & argumentum perpetuum gratitudinis, in quo frequentissimi, & quidem specialis favoris Tui, gratiæ ac beneficia, per tot annorum intervalla, continuò mihi subministrata

ſtrata, in ſpeciali compendiata, & effectuoſis grati animi characteribus ſunt expreſſa. Vive Deo, Tibi, Tuíſque Neſtoreos ad annos, ita cordicitus vovet.

Excellentiſſ: & Illuſtriſſ: Domin: Veſtræ

In æternum devotus Cliens

Fr. ANTONIVS Bruodinus.

SVMMA PRIVILEGII
Sac: Cæſ: Majeſtatis.

LEOPOLDUS *Diviná favente Clementiá electus Rom: Imperator ſemper Auguſtus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ, &c. Rex, Archidux Auſtriæ, &c. ſingulari decreto ſanxit, nè quis intra S. R. Imperij, Regnorúmq; ac Provinciarum hæreditariarum fines, librum, cujus titulus eſt:* Oecodomia Minoriticæ Scholæ Salomonis, Doctoris Subtilis, univerſæ Theologiæ Scholaſticæ ſummam complectens, *Authore P. Fr. Antonio Bruodino Hiberno, Ord: Min: Strict: Obs: Reformatorum, ſimili aut alio quovis typo, vel forma, ſive in toto, ſive in parte recudere, vel alibi impreſſum vendere, vel diſtrahere clam vel palàm, citra voluntatem, & abſq; ipſius Fratris Antonij Bruodini inſcriptis obtentâ licentiâ, per decennium à prima editionis die computandum, præſumat, ſub confiſcatione librorum aliisque pœnis contra delinquentes fusè expreſſis, in literis datis Viennæ die 5. Menſis Ianuarij, Anno Domini 1663.*

Leopoldus.

Wildericus Baro de Walderdorff
Vice Cancellarius.

Ad Mandatum S. C. M. propr:
J. Walderode.

FACVLTAS
Reverendiſs: Patris Miniſtri Generalis totius Ordinis S. Franciſci.

F*Rater Michaël Angelus de Sambuca, totius Ordinis Minorum Seraphici Patris Noſtri S. Franciſci Miniſter Generalis & Servus, Dilecto nobis in Chriſto Patri Fratri Antonio Bruodino Hiberno, Lectori Iubilato Almæ noſtræ Provinciæ reformatæ Bohemiæ, ex Diffinitori ſalutem in Domino ſempiternam.*

Opuſculum, cui titulus eſt: Oecodomia Minoriticæ Scholæ Salomonis Joannis Duns Scoti, ſive Univerſæ Theologiæ Scholaſticæ manualis Summa, materias omnes in Scholis tradi ſolitas ordine congruo, ſtylo claro, & ſuccinctâ methodo complectens, *à te editum, ſervatis ſervandis, reviſum & approbatum, ut typis excudatur, facultatem concedimus. Datum Romæ in Conventu noſtro Aracœlitano, die 16. Februarij, Anno Domini 1663.*

F. Michaël Angelus de Sambuca
Miniſter Generalis.

*De Mandato Reverendiſſimæ
Suæ Paternitatis*

F. Joannes Eslenan, Secretarius
Generalis Ordinis.

FACVLTAS

Admodùm Reverendi Patris Mi-
nistri Provincialis.

CVm *judicio & approbatione multorum Theologorum, liber intitulatus* Oecodomia Minoriticæ Scholæ Salomonis Doctoris Subtilis, *diligenti labore, & curâ R. P. F. Antonij Bruodini nostræ hujus Provinciæ Bohemiæ Ord: Min: Strict: Obs: Reformatorum, Lectore Iubilato, quondam Diffinitore, & primario Studij nostri Nivensis Professore, compositus, ad multorum utilitatem, publicam mereatur lucem; harum tenore præfato R. P. facultatem impertior, quatenus servatis servandis jam dictum librum typis mandare valeat. Dabam Pragæ in Conventu nostro B. V. ad Nives, 1. Decembris, Anno* 1663.

F. Constantinus Dubsky
Minister Provincialis.

CENSURÆ DOCTORUM.

Legi accuratè Compendium totius Theologiæ Scholasticæ, ad mentem Doctoris Subtilis, compositum à Reverendo Patre Antonio Bruodino, Ordinis Strictioris Observantiæ S. Francisci, SS. Theologiæ Lectore Iubilato, in quo non solum nihil ab Orthodoxa Fide, sana doctrina, aut bonis moribus alienum reperi; verùm etiam omnia Theologiæ Mysteria ita succinctè & clarè proposita sunt, ut cum non mediocri plurimorum, sed præcipuè Scholæ Scotisticæ commodo publicam lucem mereri videatur. In cujus rei fidem propriâ manu subscripsi. Pragæ in Collegio Academico Societatis IESV, die 28. Septembris, Anno à partu Virginis 1662.

Maximilianus Reichenberger
è Soc: Jesv, SS. Theol: Doctor, ejusdémq; Facultatis in Universitate Pragensi Professor Primarius, nec non Facultatis Philosophicæ Decanus.

Opus *inscriptum* Oecodomia Minoriticæ Scholæ Salomonis, Doctoris Subtilis, Universæ Theologiæ Scholasticæ materias complectens, *Authore Adm. Reverendo Patre Antonio Bruodino Tuomonensi Hiberno, Ordinis Minorum Strict: Obs: Refm. SS. Theologiæ Lectore Iubilato, ejusdémque Facultatis in Conventu Pragensi B. Virginis ad Nives Professore primario, & Provinciæ Bohemiæ Desfinitore. Ex mandato Venerabilis Consistorij Pragensis perlegi, & diligenter examinavi, & nihil deprehendi, quod aut bonis moribus, aut sanctæ Fidei Catholicæ adversaretur, sed omninò dignum, ut ad communem Studiosorum utilitatem, ob doctrinæ firmitatem in modo dicendi, & arguendi claritatem, typis tradatur, existimo. In cujus rei fidem propriâ manu subscripsi. Pragæ in Conventu S. Iacobi, die 9. Novembris, Anno* 1662.

Fr. Blasius Antonius de Comitibus à Mediolano, AA.LL. & Sacræ Theologiæ Doctor, Ord: Min: Conventualium.

Domum alteram Minoriticæ Scholæ Salomonis, quàm laboriosè simul ac subtiliter, ad imitationem Magni illius Salomonis, R. P. F. Antonius Bruodinus, Ordinis Minorum Strict. Observ. SS. Theologiæ Lector Iubilatus, & Definitor actualis, erexit, interius, exteriùsque mirâ varietate exornatam, diligenti mentis acie perlustravi, in qua nihil, quod Fidei Catholicæ, bonis moribus contrarium foret deprehendi, multa verò, quæ subtilis Doctrinæ Scholasticæ amatoribus perquàm utilia & proficua sunt futura, dignissimam proinde luce publicâ censeo. Dabam ex Collegio Archi-Episcopali Pragensi, die 9. Novembris, Anno 1662.

Georgius Adalbertus
Aster, Protonotarius
Apostolicus, Canonicus Vetero-Boleslaviensis, & præfati Collegij Rector.

Vidi cum singulari gustu totius Theologiæ Speculativæ manualem Summam, Authore R. P. F. Antonio Bruodino, Ordinis Min: Strict: Obs: Reform: Provinciæ nostræ Bohemiæ Lectore Iubilato, Diffinitore actuali, nec non Conventûs nostri Pragensis B. V. ad Nives Professore primario, editam, in qua non solùm nihil deprehendi fidei Catholicæ, sanæ doctrinæ, aut bonis moribus contrarium: verùm etiam reperi omnia nostræ Scholæ principia ita succinctè & clarè in ea proposita, ut non immeritò à multis cum desiderio expectetur. Prodeat itaque in publicam lucem, quâ eam dignissimam judico. Pragæ in Conventu nostro ad Nives, die 31. Septembris, Anno 1662.

F. Franciscus Beges, Lector
& Provinciæ Custos actualis.

Qvem dudum summo studio inclyta hæc Provincia Bohemiæ publica in luce promissum subtilissimi ingenij A. V. Patris Antonij Bruodini, SS. Theologiæ Lectoris Iubilati, nec non præfatæ Provinciæ Diffinitoris actualis, mei quondam Professoris dignissimi, nunc verò in Sacra Theologia Collegæ charissimi, partum videre cupiebat, prodijt tandem felicissimè, & subtili brevitate, & brevi subtilitate ornatus: Oeco-

domiæ Minoriticæ Scholæ Salomonis, *nomine ab Authore intitulatus, quem ex commissione A. R. P. Ministri Provincialis, ejusdem Provinciæ magnâ animi voluptate iterum atque iterum legen , nihil fidei Orthodoxæ, bonis moribus, sanæ Doctrinæ, menti Subtilium Principis contrarium, nihil inveni adversum. Dignum proinde censeo, ut ab omnibus sanæ Doctrinæ amatoribus, non secùs ac Ilias Homeri ab Alexandro servetur, foveatur & custodiatur. quem sedulò è quatuor Sententiarum Doctoris subtilis mirâ dexteritate Author compilavit, ita ut verè* magnum & parvum *jure vocari possit. Ita testor ex Conventu nostro Neo-Pragensi B. Virginis ad Nives, die 28. Octob. Anni 1662.*

F. Guilielmus Antonius Brauczek,
ejusdem Ordinis ac Provinciæ Alumnus, SS. Theologiæ in præfato Conventu Pragensi B. V. ad Nives, & in Seminario Archi-Episcopali Philosophiæ Lector Generalis.

Imprimatur.

Franciscus Rasch ab Aschenfeldt
Præpositus, & Officialis Prag:

Ad Authorem de ſuo opere.

I Liadem exiguâ quidam nuce clauſit Homeri,
Tota quod obſtupuit poſthuma poſteritas:
Tota Theologici maris hoc, Bruodine libello
Gaza tuo incluſa eſt; laus ſua utrique manet.

Ad Lectorem de eodem opere.

M Ole licet parvum, Lector, nè ſperne libellũ,
Sæpe ſub exiguo corpore magna latent:
Hoc contentarum ſi penſes pondera rerum,
Vix erit ullus eo major in orbe liber.

Antonius Bruodinus.
Anagramma,
Notus durabis in uno.

I Ngenij monumenta tui ſi cætera nunquam
Lucem aut emeritos ſint habitura typos:
Notus in *hoc* uno durabis *multa libello*
Sæcula, & æternum nomen habebit opus.

Amicitiæ ergò præfixit

Popularis ſuus

Edmundus Magrana,
SS. Theol: Licent: &
Canonicus Brunenſis.

De Authore, Primario ad Nives SS. Theologiæ Lectore.

I*Ngenij partus Salomon tuus est Pater, inde*
Nec Iunone minor, nec Iove, Phœbus eris.

Ad Lectorem de libro.

D*At liber hic flores, licet hinc decerpere fructus,*
Si sapis ut carpas, Lector amice, vocat,
Omnia ne carpas, ut sis sinè vulnere, suadet,
Nam sic carpenti quid nisi spina manet.

Aliud de libro ad Lectorem.

G*Randes naturæ partus miramur, in illis*
Est magè sed gratus qui minor esse solet.
Ingenio Scotus laudatur magnus ubique,
Dat liber hic parvum, nunc puto gratus erit.

Filialis observantiæ, & gratitudinis ergò posuit

F. Amandus Hermann, Silesius Nissensis, ejusd: Ord: & Provinciæ Bohemiæ professus, obligatus discipulus.

PRÆFATIO
AD LECTOREM.

BEnevole Lector, mirabitur fortè, cur ſcriboſo noſtro ſæculo, quo diligentiâ tot doctiſsimorum virorum theologicis libris Bibliothecæ replentur (ut non ſit niſi oleum quaſi & operam perdere, velle, amplius eis aliquid addere) opuſcúlum hoc, in quo non niſi vulgaris, & trita jam in Scholis noſtris doctrina continetur, publicare voluerim; ſed mirari, ut ſpero, deſinet, dum recordabitur (non obſtantibus tot librorum novorum impreſſionibus) *nihil eſſe ſub ſole novum*, teſte ſapientiſsimo Regum Salomone; intelligétque me non proprio motu, vanæve gloriandi cupiditate incitatum, ſed potiùs multorum precibus amicorum victum, unà accedente Superiorum (quibus reſiſtere nefas eſt) beneplacito, laborem hunc talem qualem publicâſſe. Anni enim ſunt multi, quibus non ſinè copioſo tot diſcipulorum fructu, continuè in hac alma Bohemiæ Provincia ſtudijs incumbo, profitendo nunc Philoſophiam, nunc Theologiam, nunc utrumque ſimul, tam domi in hoc nominatiſſimo Pragenſi Conventu S. MARIÆ ad Nives; quàm extra, in celeberrimo Eminentiſſimi

Prin-


Principis Cardinalis ab Harrach (cujus annos diu adhuc prolongandos ſummis & inceſſabilibus votis ſacer Ordo noſter exoptat) Archiepiſcopi Pragenſis Seminario, in quo præter numeroſam Alumnorum Eccleſiaſticorum multitudinem, tam Sacri & Canonici Præmonſtratenſium Ordinis, quàm aliorum, utpote Benedictinorum, Ciſtercienſium, & Paulinorum religioſiſsimi in his partibus profeſſi, ſub Patribus noſtris aſſiduè ſtudijs incumbunt, ita ut computando eos, qui ſub me, & Patruele meo Bonaventura Bruodino, utrobique ſtudia abſolverunt, magna ſit multitudo Eccleſiaſticorum, tam Sæcularium quàm Regularium, qui traditam in hoc libello eò compendioſiùs, quò fuſiùs in Scholis dictatam doctrinam, ſcripſerunt. Cùm autem difficile ſit prædictis Religioſis, præſertim hujus noſtræ Provinciæ filijs in varijs Ordinis conſvetis officijs conſtitutis, & occupatis (ex his enim tres actuales Diffinitores, quindecim Lectores, qui vel Philoſophiam, vel Theologiam, vel utramque facultatem ſimul, tam in hac noſtra Bohemiæ, quàm Croatiæ Provincia laudabiliter profeſſi ſunt, vel nunc honorificè profitentur, prodierunt, ut taceam numeroſam copiam in Guardianatibus & Cathedris occupatorum, alio-

aliorúmque ad Lecturas, Concionaturas, & etiam ad præessendum Fratribus aptissimorum) sua scripta per tot milliaria Germanica secum semper portare, ne dicam inter tot alias distractiones, relegere; rogârunt me ex illis plurimi, quatenus pro illorum solatio, ex omnibus materijs à me tam prolixè in Scholis traditis, Summam aliquam extrahere vellem, quam sinè incommodo per modum Manualis secum portare, eóque frequentiùs eam legere valeant; annui illorum votis, & (relictâ curâ publicandi Philosophiam, pari methodo & stylo, discipulorum meorum quondam charissimo R. P. F. Guilielmo Brauczek, nostri Conventûs ad Nives Generali, SS. Theologiæ Lectori primario, & simul Philosophiæ in jam nominato Archiepiscopali Seminario Professori, qui feliciter meis aliorúmque abundè jam satis fecit votis) quâ potui diligentiâ materias omnes Theologico-Speculativas in hoc uno comprehendi libello: & quidem taliter, ut studio nullam omiserim difficultatem, quam non uno vel altero argumento, pro & contra, enodare conatus sim. A citationibus Doctoris nostri, sicut & aliorum abstinui, ne libellus magnitudinem manualis excederet: & quia Assertiones omnes meas in Scoto fundatas

datas esse, Scotistas, me legere volentes, non latebit. Titulum *Oecodomiæ* seu *Structuræ Minoriticæ Scholæ Salomonis*, præfigere libello volui, totúmque opus quadraginta qüinque columnis comprehendere, ut sic Doctori Subtili (qui Scholæ nostræ Salomon dici meretur) cùm palatium ædificare (prout sibi construxit Regum ille sapientissimus *3. Regum 7.*) hoc est totam Theologiam fusè publicare pro nunc non possim, saltem cameram ad illius imitationem, structuram nempe parvæ molis, pro illius doctrinæ amatoribus fabricare, & quadraginta quinque columnis, seu tractatibus, sustentare, totidémq; epistilijs, assertionibus scilicet problematicis ornare volui. Hæc tibi benevole Lector insinuare sat est. Utere igitur hoc meo labore, grato quo decet animo, & quas desiderare possis de virtute & Statu Religionis, Purgatorio, Indulgentijs, Censuris & Privilegijs (hæ enim magis sunt morales & Canonisticæ, quàm speculativæ) materias, mox habebis.

Vale.

CO-



COLVMNA I.

Ex Prologo Sententiarum.



ECODOMIÆ NOSTRÆ fabricam exordimur, cum Minoritico Scholæ noſtræ Salomone, Doctore ſubtili, á Prologetica in Theologiam ſpeculativam Introductione, unde ut illius explicemus naturam, ſit

ASSERTIO I. Theologia bene deſcribitur, doctrina certa, & infallibilis, quâ de DEO, rebúsq; ſupernaturalibus lumine fidei cognitis, tractatur. *Patet*, quia habet omnia requiſita ad bonam deſcriptionem, ut ex dicendis patebit. Ergo eſt bona. *Definitio Theolog:*

ASSERTIO II. Theologia ſic deſcripta, variè dividi poteſt, & primò dividitur in Poſitivam, cui incumbit fidei articulos inter ſe reconciliare, eósq; ſacræ Scripturæ, Eccleſiæ, & Patrum rationibus ac declarationibus confirmare, & explicare, non curando de ordine, aut methodo ſcholaſtica inter diſcurrendum; & ſcholaſticam, quæ certam methodum & ordinem in confirmandis fidei articulis ſervat. Secundò dividitur in Theologiam in ſe; éſtq; cognitio ab objecto Theologico cauſata in intellectu DEI, & Beato- *Diviſio ejusdem.*

rum; & Theologiam in nobis, & est cognitio illa, quam intellectus noster pro hoc statu natus est habere, de objecto Theologico. Tertio dividitur in Dei, Beatorum, & Viatorum Theologiam, de quibus postea. Has divisiones bonas esse, probant conditiones bonæ divisionis, quæ his non desunt.

Deus est objectum materiale; formale verò idem sub respectu ad revelationẽ.

ASSERTIO III. Objectum materiale primarium & attributionis Theologiæ est Deus; formale autem Theologiæ in se, est idẽ Deus sub ratione Deitatis: In nobis verò, Deus sub respectu, quem dicit ad revelationem.

Probatur 1. pars. Omnia quæ tractantur in Theologia, referuntur ad Deum partiali aliquo modo; sed hoc sufficit, ut dicatur objectum materiale attributionis Theologiæ, præsertim cum nulla alia conditio ipsi desit. Ergo est.

Probatur 2. pars. quæ est Scoti q. 3. Prolog: q. 2. laterali. Essentia Divina, quæ in se infinitæ virtutis est, sola sufficit ad movendum intellectum divinum ad se, & alia objecta omnia cognoscenda: ergo Deus sub ratione hujus Essentiæ, meritò assignatur pro objecto attributionis Theologiæ DEI. Simili argumento probatur, quod Deitas sit etiam objectum formale Theologiæ Beatorum.

Probatur 3. pars. Quæ est genuina mens Doct: in 3. d. 27. q. unica. n. 6. Illud est objectum formale cujuscunq; facultatis, per ordinem, ad quod objectum materiale ejus determinatur ad considerationem illius scientiæ, potiùs quàm alterius; sed DEUS determinatur ad considerationem Theologiæ nostræ,

per

per ordinem, quem ad revelationem dicit; ergo, &c.

Objicies contra 1. partem. Theologia nostra agit de peccatis, sed illa ad DEUM non referuntur: ergo Deus malè assignatur pro objecto attributionis Theologiæ. ℞. distinguendo minorem, non referuntur per se, concedo minor: per accidens, nego min: & consequentiam. Per accidens autem Theologia de peccatis agit, quatenus nimirum (juxta vulgare illud, opposita juxta se posita, magis elucescunt) cognitio mediorum conducentiũ ad acquisitionem ultimi finis, de quibus per se agit Theologia, magis innotescit, explicando naturam vitiorum, ab illo fine nos avertentium.

Objicies 2. contra ultimam partem. In Theologia multa considerantur, quæ nullam habent à revelatione dependentiam, ut quòd gratia non distinguatur à Charitate; quòd detur distinctio formalis in divinis; quòd Angelus possit occupare punctum, & hujusmodi alia, quæ tantùm sunt in opinione Doctorum: ergo non omnia objecta partialia illius habent talem dependentiam. ℞. negando antec: nam illa omnia dependent mediatè vel immediatè à revelatione, quatenus unum, vel utrumq;, extremarum illarum conclusionum cognoscitur dependenter à revelatione.

ASSERTIO IV. Theologia Sapientia est, & scientijs naturalibus simpliciter certior, etiam ex parte subjecti: non tamen scientia rigorosa.

Sapientia est, sed non sciẽtia, certior tamẽ scientijs.

Probatur 1. pars. Nihil illi obstat, nisi

quòd Theologia noſtra ſit ſubalternata; ſed gratis ad rationem Sapientiæ illa conditio requiritur, ergo, &c. Prob: maj: agit de rebus innumerabilibus, quæ ſub revelationem cădunt; Conſiderat res difficiles, & à ſenſu remotiſſimas; Certior eſt ſcientijs naturalibus, (ut infrà videbimus;) Verſatur circa cauſas univerſales rerum omnium, eásq; dirigit; ſed iſtæ ſunt veræ ſapientiæ conditiones: ergo Sapientia eſt.

Probatur 1. pars. Motivum formale Theologiæ noſtræ; ipſa nimirum prima veritas in dicendo, eſt multò certior motivo ſcientiarũ naturalium; ergo ipſa eſt certior ſcientijs naturalibus. Quod etiam ex parte ſubjecti ſit certior, *probatur;* Intellectus noſter firmiùs aſſentitur, & adhæret principijs fidei, quàm principijs naturalium ſcientiarum; ſed hoc non eſſet verum, niſi cognitio Theologica ex parte ſubjecti eſſet certior cognitione naturali. ergo. Prob:maj: tum ex illo Chryſoſtomi hom: 12. in epiſt: ad Hebr: *Fides*, inquit, *dici non poteſt, niſi cùm circa ea quæ non videntur, ampliùs quàm circa ea, quæ videntur,* certitudinem quis habeat. Tum etiam experientiâ, quâ videmus fidelem quemlibet (ſi revera talis eſt) ſic eſſe affectum, ut mallet mori,& negare omnes alias aſſertiones, quàm veritates fidei: ergo ex parte etiam ſubjecti, certior eſt.

Probatur 3. pars. Cognitiones Theologicæ non ſunt evidentes: ergo nec ſcientificæ. Conſequentia eſt evidens, ſuppoſitâ communi acceptione ſcientiæ rigoroſæ.

Obijc: contra 2. partem. Motivum formale The-

Theologiæ obſcurè proponitur, & naturaliũ ſcientiarum clarè, ergo Theologia non eſt certior alijs ſcientijs. *Confirm:* ſecundùm Scotum in 3. d. 2. q. 14. n. 12. aliqua dubitatio poteſt ſtare cum fide; ſed cum ſcientijs naturalibus nulla talis ſtat: ergo hæ ſunt certiores illâ. ℞. negando conſequentiam, nam obſcura illa propoſitio non facit, niſi quòd in nobis non generat notitiam evidentem, & certam; ſicut generat motivum aliarum ſcientiarum. Ad Confirm: ℞. diſtinguendo maj: aliqua dubitatio, id eſt, timor aliqualis, ſeu formido indeliberata de veritate fidei, concedo maj: Dubitatio aliqua attrahens potentiam in oppoſitum fidei, nego maj; & conceſſa min: nego conſequentiam.

ASSERTIO V. Quamvis Concluſiones Theologicæ ſecundùm ſe conſideratæ, partim ſint practicæ, partim ſpeculativæ, abſolutè tamen, & ſimpliciter Theologia noſtra practica dicenda eſt. *Theologia abſolutè practica dicẽda eſt.*

Probatur 1. pars. Quædam ſunt Theologicæ cognitiones, quæ dirigunt praxim, ut illæ quibus cognoſcitur, quòd Deus ſit diligendus, amandus, colendus, pœnitentia agenda; & quædam quæ praxim non dirigunt, ut ſunt hæ, & ſimiles: DEUS eſt Trinus, eſt unus, canis Tobiæ movit caudam, &c. ſed quæ dirigunt praxim, ſunt practicæ, & quæ non dirigunt, ſunt ſpeculativæ. Ergo partim ſunt practicæ, partim ſpeculativæ.

Probatur 2. pars. Ut aliqua facultas dicatur ſimpliciter Practica, ſufficit, ut præcipuæ ejus, & plurimæ cognitiones, ſint directivæ praxeos; ſed præcipuæ & plurimæ Concluſio-

nes Theologicæ sunt per se tales; imò nulla est Conclusio Theologica, quæ saltem indirectè, & secundariò, non sit regulativa praxis, putà horum actuum, Deus est amandus, colendus, diligendus, &c. ergo ipsa Theologia simpliciter dicenda est practica.

Subalternatur Scientiæ Dei. ASSERTIO VI. Theologia nostra Scientijs naturalibus non subalternatur, bene tamen Theologiæ Dei.

Probatur 1. pars. Ut subalternaretur, deberet accipere principia sua ab illis scientijs, & de illarum objecto, modo aliquo accidentali agere, sed neutra conditio convenit Theologiæ nostræ. Ergo scientiis naturalibus non subalternatur.

Probatur 2. pars. Conveniunt illi conditiones scientiæ subalternatæ; ergo est subalternata. Probatur antec: Principia Theologiæ nostræ demonstrantur in Theologia secundùm se, & ab alia accipiuntur; insuper nostra agit de objecto Theologiæ in se, sub ratione accidentali, nimirum, ut est notum dependenter à revelatione; sed hæ sunt conditiones scientiæ subalternatæ. Ergo.

Necessaria est ad salutem. ASSERTIO VII. Theologia non solùm utilis, sed etiam necessaria est ad salutē; Ejus Conclusiones materialiter consideratæ sunt diversæ speciei.

Probatur 1. pars. Theologia comprehendit fidem, sed fides ita est necessaria, quòd sine illa impossibile sit placere Deo, teste Apostolo ad Hebr: 11. Ergo.

Confirmatur. Ad fovendam & roborandā fidem Theologia, etiam Scholastica (hæc ante tempora Petri Lombardi quoad methodū

& mo-

& modum, quo jam in ſcholis traditur, non extitit) maximè conducit; ergo ad illum finem neceſſaria, ſaltem ſecundùm quid, quoad omnes partes dici poteſt.

Probatur 2. pars. Quæ dicunt ordinem eſſentialem ad diverſas ſpecie præmiſſas, ſunt diverſæ ſpeciei, materialis ſaltem; ſed Concluſiones Theologicæ dicunt talem ordinem: ergo ſunt diverſæ ſpeciei.

ASSERTIO VIII. Principia Theologiæ noſtræ, ut diſtinguitur à ſcientijs naturalibus, ſunt propoſitiones fidei: Inter illas autem primum & principale principium eſt hoc: Omne revelatum à Deo eſt verum. *Principia Theologiæ noſtræ.*

Probatur 1. pars. Theologia in hoc ab alijs ſcientijs, & maximè à Metaphyſica differt, quòd illa nitatur principijs ſupernaturaliter tantùm notis, aliæ verò principijs naturaliter tantùm notis; ſed illa principia ſupernaturaliter tantùm nota, ſunt propoſitiones fidei. Ergo principia Theologiæ noſtræ ſunt propoſitiones fidei.

Probatur 2. pars. Tum quia principium illud ingreditur omnem diſcurſum Theologicum; tum etiam, quia omnes aliæ fidei propoſitiones ultimatè in illud reſolvuntur. Interroganti enim, cur credamus Deum eſſe Trinum & unum, v. g. bene reſpondetur, quia Deus hoc revelavit, & omne revelatum à Deo, eſt verum: Ergo principium illud primum eſt, & principale totius Theologiæ.

Obycies contra 1. partem. In Theologo lapſo in hæreſim manet Theologia; ſed hoc non eſſet verum, ſi principia illius eſſent propoſitio-

tiones fidei: ergo non ſunt. ℞. diſtinguendo maj: Theologia ſupernaturalis, nego maj: Theologia naturalis, acquiſita (loquor hic de habituali) ex frequenti diſcurſu circa veritates Theologicas, concedo maj: & diſtincta ſimiliter min: nego conſequentiam.

Obÿcies contra 3. partem. Principium illud: *Omne revelatum à DEO, eſt verum*, reſolvi poteſt in hoc aliud, *DEUS eſt*: ergo hoc potiùs debet poni pro principio primo Theologiæ, quàm illud. ℞. diſting: antec: reſolvi poteſt in quantum hoc aliud per lumen naturæ nobis innoteſcit, concedo antec: in quantum lumine fidei nóbis innoteſcit, nego antec: & conſequentiam.

Loci Theologici. ASSERTIO IX. Loci Theologici varij à varijs aſſignantur: nobis ſex ſequentes ſufficiunt, ex quibus Theologus efficaciter argumentari poteſt. Primus aſſumitur ex veritate Scripturæ. Secundus, ex traditionibus, ſeu dogmatibus, quæ expreſsè, & formaliter in Scriptura non habentur. Tertius, ex Decretis Conciliorum Generalium, quæ à Petri legitimis ſucceſſoribus ſunt approbata. Quartus, ex Decretis ſummorum Pontificũ, qui in decidendis fidei articulis errare non poſſunt. Quintus, ex communi Sanctorum Patrum conſenſu. Sextus, ex ratione naturali, quâ oſtenditur, principia & concluſiones fidei, non adverſari humanæ naturæ.

Senſꝰ ſcripturæ multiplex. ASSERTIO X. Sacra pagina duplicẽ habet ſenſum, literalem, ſeu hiſtorieum, & ſpiritualem. Literalis eſt, quem verba ſive propriè; ſive metaphoricè accepta, immedi-

mediàtè ſignificant; Spiritualis verò eſt, qui ſignificatur per res ipſis verbis ſignificatas. Senſus ſpiritualis adhuc ſubdividitur, in allegoricum tropologicum, ſeu moralem, & anagogicum, quorum primus ad inſtructionem fidei, ſecundus ad inſtructionem morum, & tertius ad ſtatum futuræ vitæ pertinet.


Concluſio Theologica de fide non eſt.

ASSERTIO XI. Concluſio Theologica, quà talis, de fide non eſt. *Probatur.* Aſſenſus fidei, quà talis, nititur immediatè lumine fidei, & motivo veritatis revelantis; ſed concluſio Theologica quà talis, non nititur illis, ſed potius lumini naturali, ſeu evidentiæ connexionis ejus cum præmiſſis, mediante naturali diſcurſu. Ergo quà talis, de fide non eſt.

Obycies. Hæc propoſitio Chriſtus eſt homo, poteſt eſſe Concluſio Theologica, & tamen eſt de fide, ergo, &c. ℞. diſting: 2. partem antecedentis, eſt de fide, quâ Concluſio Theologica præcisè, nego antec: quà propoſitio revelata, concedo antecedens, & nego coſequentiam.

EPISTYLIUM PROBLEMATICUM COLUMNÆ PRIMÆ.

An demonſtrabile eſt Theologum non poſſe damnari?



COLUMNA II.

De DEO uno, ejúsq; attributis negativis.

Deum esse, per se notũ non est.

ASSERTIO I. Primarium Cœlitum objectum, Deum, esse, seu existere, per se notum non est. *Probatur.* Propositio per se nota est illa, quæ potest evidenter cognosci à quolibet apprehendente terminos ipsius, sine ulteriori ullo medio; sed experientiâ constat, propositionẽ hanc, *Deus est*, non esse sic per se notam, ergo. Probatur min: Athei & Philosophi veteres (è quorum numero erat ille insipiens, qui teste Psalmistâ, psal: 13. *Dixit in corde suo, non est DEUS*) non obstante cognitione illorum terminorũ negarunt dari DEUM: sed si esset per se nota illa propositio, hoc non possent: ergo non est.

Objic: Illa propositio est per se nota, cujus prædicatũ essentialiter involvitur in conceptu subjecti, sed prædicatum hujus propositionis *DEUS est*, sic involvitur; ergo. ℞: distingu: maj: si est per se notum quod subjectum existat, aut sit possibile, concedo maj: si non sit, nego maj: & concessa min: nego consequentiam.

Dei existẽtia probatur, nõ demonstratur tamẽ.

ASSERTIO II. DEUM existere non solùm fide credi debet, sed etiã evidenti ratione naturali probari, si non demonstrari, potest.

Prima pars probatur ex illo ad Hebræ: 11. *Accedentem ad DEUM oportet credere quia est.* Ergo de fide est, Deum existere.



Probatur 2. pars. 1. ex illo Sapien: 13. *à magnitudine speciei, & creaturæ, cognoscibiliter poterit creator horum videri.* Idem docet D. Paulus Rom: 1. ergo.

Probatur 2. ratione. Collectio rerum omniũ quæ in universo sunt, vel est causata, vel in illa aliquid est incausatũ, à quo reliqua sunt producta? si secundum, illud erit Deus, quia per Deum intelligimus causam incausatã: si primũ: ergo producta est illa collectio ab aliquo inproducto existente extra numerũ eorum, quæ producta sunt, & consequenter à Deo.

Probatur 3. secundùm Philosophũ in causis essentialiter subordinatis non debet admitti processus in infinitum; sed deberet, nisi daretur Deus: ergo datur. *Ut probem min:* suppono lumine naturæ notum esse, dari aliquod productum; jam sic probatur min: Quodlibet productum debet produci ab alio, vel à se, vel à nullo; non à nullo, quia à nihilo effectivè nihil fit. Non à se, quia idem, loquendo saltem de prima productione, se ipsum producere non potest; aliàs esset simul prius, & posterius, in actu & potentia; ergo quidquid producitur, ab alio producitur. Nunc de illo alio quæro, an sit à se, vel ab alio; si primum habeo intentum, quia illud voco Deum; si secundum, quæram similiter de illo alio eodem modo, & sic in infinitum; ergo si non daretur Deus, processus in infinitum admitti deberet. Lege Scotum in 1. d. 2. q. 2.

Dixi in Conclusione, *si non demonstrari*, quia in sensu quo Philosophi demonstrationẽ accipiunt strictè, hactenus nullam vidi demõstrationem, quâ evidenter hæc Assertio probaretur.

AS-

Quid sit Deus, & an ignorari possit?

ASSERTIO III. Deus est substantia singularis, intellectualis, completa, & spiritualis existens per essentiam. Ignorari potest toto vitæ tempore, ab adulto rationis compote, sed non invincibiliter.

Bonitas descriptionis ex sequentibus patebit, intereà *probatur secunda pars.* Posset ab infantia aliquis educari in loco aliquo à consortio hominum remoto, putà inter bestias, ut de Romulo & Remo legitur; ibique post multos annos mori, antequam de DEO cogitaret; sed talis haberet ignorantiam DEI, quamvis alias esset rationis compos: ergo aliquis in particulari potest habere ignorantiã Dei: nec permittere hominem cum tali ignorantia mori, esset contra bonitatem divinam, plus quàm est permittere parvulum, supposito peccato originali, discedere ex hac vita, absq; baptismo, aut alio efficaci medio ad salutem necessario.

Probatur 3. pars. (in hujus sensu loquitur Beda lib: 3. in Job c. 1.) Illud cujus existentia ratione naturali evidenti probari potest, ignorari invincibiliter nequit; sed existentia divina sic probari potest: ergo ignorari nequit invincibiliter.

Identitas essentiæ & existentiæ in divinis.

ASSERTIO IV. Nec realiter, nec formaliter in divinis, existentia distinguitur ab Essentia. *Probatur 1.* ex illo Exod: 3. *Ego sum, qui sum. Qui est, misit me.* Tum etiã ex Aug: l. 7. de Trinit: c.4. *Ab eo quod est esse, verissimè dicitur existentia esse.*

Probatur 2. ratione. Tum quia nulla est necessitas ponendi ullam distinctionem à parte rei, inter essentiam & existentiam: ergo. Tum

etiam

etiam, quia si existentia emanaret ab essentia, præsupponeret illã in esse existentiæ; sed hoc implicat: ergo non emanat. Major est certa, probat: min: si existentia præsupponeret essentiam in esse existentiæ, illa non esset ejus existentia; sed implicat, ut existentia essentiæ, non sit ipsius existentia; ergo non præsupponit. Aliàs probationes hujus Conclusionis, sicut & solutiones objectionum, vide in Metaphysica, ubi de ea fusè egi.

Obijc: 1. Existentia non est de essentia attributorum, aliàs darentur multæ existentiæ in Deo; ergo nec Essentiæ. ℞. negando antec: nam quælibet formalitas in Deo distinctè conceptibilis, conceptu verò, sine alia, habet suam existentiam peculiarem distinctam ab existentia alterius, eo modo, quo ipsæ formalitates sunt distinctæ, sine ullo inconvenienti.

Unitas Dei probatur.

ASSERTIO V. Deum unum tantùm esse, fide, & ratione, contra Marcionem probamus. *Fide*, Devter: 4. *Dominus Deus noster, Dominus unus est*. Esai: 3. *Extra me non est Deus*. *Ratione etiam probatur:* Tum quia nulla est necessitas plurium Deorum; ergo. Tum quia non est major ratio admittendi tres, vel duos Deos, quàm infinitos; sed infinitus Deorum numerus esset inutilis; ergo. Tum deniq;, quia sequeretur, quòd illi plures Dij inter se realiter distinguerentur, & non distinguerentur, sed hoc implicat; ergo & pluralitas Deorum. Prob: maj: Distinguerentur ex hypothesi, non distinguerentur autem, quia nullum distinctionis signum inter illos ostendi potest. ergo.

Confirmatur. Ex illis pluribus Dijs nullus esset omnipotens, quia contradicente Deo A. v. g. Deus B. nec culicem quidem creare posset, vel annihilare, aliàs Deus A, non esset Deus; sed implicat Deum non esse omnipotentem; ergo implicat pluralitas Deorum.

Obijcies Apost: 1. Corinth: 8. *Siquidem sunt Domini multi, & Dij multi*: ergo. ℞. ipsum loqui de idolis gentium, quæ nuncupativè ab ipso dij appellantur.

Divisio attributorũ. ASSERTIO VI. Attributa Divina alia sunt Negativa, quæ explicari non possunt nisi per negationes; alia verò Positiva, quæ sine negationis auxilio sic explicantur; súntq; perfectiones simpliciter simplices, afficientes Essentiam divinã, jam adæquatè constitutam in sua ratione formali, quasi secundariò, & per modum qualitatis, seu proprietatis Metaphysicæ. Attributa negativa sunt sequentia: Infinitas, simplicitas, immutabilitas, æternitas, immensitas, invisibilitas, incomprehensibilitas, & infallibilitas; de quibus per ordinem hic agemus. Hæc conclusio patebit ex mox dicendis.

Infinitas DEI. ASSERTIO VII. Infinitas tam essentialis quàm attributalis DEO rectè attribuitur. *Probatur 1.* ex Scriptura, psal: 144. *magnitudinis ejus non est finis.* Baruch: 3. *Magnus est, & non habet finem.*

Probatur 2. ratione. Quod à se necessariò existit, est infinitæ existentiæ, & consequenter essentiæ; sed ex dictis Deus à se necessariò existit; ergo. Probatur maj: illa essentia est infinita, quâ perfectior cogitari non potest; sed essentiâ divinâ, quæ à se necessario existit, per-

perfectior cogitari non potest: ergo est infinita.

Confirmatur. Infinitas perfectionis essentialis est illa, secundùm quam rei, nil entitatis, aut perfectionis deest, eo modo, quo possibile est omnem entitatem, & perfectionem haberi in aliquo uno, sed eo modo nil entitatis aut perfectionis Deo deest: ergo est essentialiter infinitus.

Hic obiter nota, cum doctissimo meo quondam Magistro, *Joanne Pontio*; quòd infinitas essentialis Dei (idem dic de infinitate attributali ipsius, id est, quæ convenit perfectionibus attributalibus, positivis Dei) nil positivum dicat distinctum ullo modo ab ipsa essentia divina, unde superaddit tantùm essentiæ divinæ negationem superioris, & alterius entis perfectioris, & similiter, proportione servatâ, discurre de alijs attributis negativis Dei. *Perfectiones negativæ nihil positivum superaddunt essentiæ.*

Obijc: Deus in sua essentia non includit lignum, & lapidem, v. g. ergo nec omnem perfectionem, & consequenter non est infinitus. ℟. disting: antec: lignum & lapidem formaliter, concedo antec: virtualiter, & eminenter, nego antec: & consequ: hoc ultimo modo res omnes creatæ in Deo continentur.

ASSERTIO VIII. Summæ Dei simplicitati repugnat compositio omnis dicens imperfectionem. Hæc est definita in cap: *Firmiter*, de sum: Trinit: *Probat:* Compositio omnis rigorosa dicit imperfectionē: ergo simplicitati divinæ repugnat. Probatur anteced: tum ex August: de qualit: animæ cap: 3. *Præponendum est*, inquit, *quod dividi non potest, & omni* *Cōpositio imperfecta Deo repugnat.*

omni compositione caret : ergo. Tum etiam, quia compositio physica exigit partes, quarum una sine altera esse potest; vel quarũ ambæ ab aliquo tertio quoad existentiam dependent, & hoc ultimũ compositio rigorosa metaphysica etiam exigit: sed Deo dependere ab alio, aut ex partibus separabilibus ab invicem cõponi, repugnat; ergo & compositio.

Obÿcies. Datur in Deo unio formalitatum à parte rei formaliter distinctarum, ergo & compositio. ℞. disting: antec: formalitatum habentium se per modum actûs & potentiæ, seu quæ ab aliquo tertio realiter distincto, quoad sui existentiã, & unionem dependent, nego antec: formalitatum, quæ à nullo tertio sic dependent, aut se per modum actûs & potentiæ rigorosæ habent, concedo antec: & nego consequentiam.

Quomodo Deus sit mutabilis.

ASSERTIO IX. Quamvis Deo non repugnat nunc habere denominationem novam realem, quam anteà non habuit, subjectivè tamen immutabilis est respectivè ad quascunq; formas reales.

Probatur 1. pars. Deus dat Petro nunc gratiam, quam antea non dedit; concurrit ad productionem ignis nunc, ad quã anteà non concurrebat; conservavit hominem in vivis heri, & hodie non conservat; sed istæ sunt denominationes novæ reales; ergo Deo tales non repugnant.

Probatur 2. pars, quæ est definita in cap: *Firmiter*, ex Scriptura num: 23. *Non est Deus quasi filius hominis, ut mutetur.* Malach: 3. *Ego sum Deus, & non mutor.* *Probatur 2. ratione.* Enti summè simplici, in omni perfectione

ne infinito, & necessariò per essentiam existenti, repugnat intrinsecè mutari subjectivè; sed Deus est tale ens: ergo repugnat illi subjectivè mutari.

Obijcies contra 1 partem. Denominatio nova realis, sine forma nova reali dari non potest; sed Deo formas novas habere repugnat. ergo & denominationes novas. ℞. distingu: maj: sine forma reali intrinseca denominato nego maj: intrinseca vel extrinseca illi, concedo maj: & similiter distincta min: nego consequentiam.

Obijcies contra 2. partem. Deus in agendo ad extra liberrimus est, libertate exercitij & specificationis; ergo potest multas habere volitiones novas, quas antea non habuit, & non habere, quas antea habuit.

Pro intelligentia difficilis hujus objectionis, *adverte*, quòd in voluntate divina unicus, & simplicissimus sit actus improductus secundùm suum esse absolutum, necessariò, & inseparabiliter existens, (voluntarius tamen, & liber, libertate essentiali) quo, propter sui illimitationem, ab æterno Deus se ipsum amat, & vult tam se, quàm quodcunq; volubile; cum hac tamen differentia, quòd ad intrinseca Dei necessariò; ad res verò ad extra ita liberè tendit, & terminatur, ut potuerit non terminari; vel ad oppositum terminari, unde libertas ad extra consistit in libera tendentia unici & simplicissimi actûs suæ voluntatis in opposita objecta, quæ libera tẽdentia seu terminatio, cùm nil intrinsecum addat divinæ voluntati, aut ejus actui, per hoc quod adesse vel abesse potuerit, ab æter- *Vnicus & simplicissimus est in Deo actus.* *Ejus diversa tendentia.*

no, non arguit in Deo ullam mutabilitatem subjectivam.

Satisfit objectioni. Jam in forma ad objectionem, non cum Cajetano, qui ingenuè, sed non ingeniosè, concedit totum quod objectio prætendit; sed cum *Hibernorum Gloria*, JOANNE DUNS *Scoto.* in 1. d. 39. q. unica. n. 21. ℞. concedendo maj: in sensu jam explicato, & nego min: nā ad salvandam omnimodam libertatem divinæ voluntatis ad extra, sufficit, quòd potuerit ab æterno actus ille divinæ voluntatis in se unicus, & necessarius, liberè terminari, vel non terminari, ad objecta creata; unde nego consequentiam.

Æternitas Dei. ASSERTIO X. Æternitas increata est illa, à qua habet DEVS secundum se totum, sine dependentia ab alio, necessariò existere, absq; principio, & fine. Deo attributaliter convenit hujusmodi perfectio. *1. Pars patet*, quia descriptio illa habet omnia ad bonam descriptionem requisita; ergo est bona.

Probatur jam 2. pars. tum ex scriptura ps: 89. *à sæculo, & usq; in sæculum tu es DEVS.* Ecclesiast. 18. *Qui vivit in æternum, creavit omnia simul.* Tum etiam ratione; quod necessariò à se existit ortu, & interitu caret, & consequenter est infinitum; sed Deus sic existit: ergo. Ex hac conclusione infertur, quòd nullum sit tempus præsens, præteritū, aut futurum, cui necessariò Deus non coëxtiterit, coexistat, vel coexistet; & in hoc sensu verum est, quòd sit præsens omni tempori; Præterita etiā, & futura, sunt æternitati præsentia; quatenùs à DEO tam perfectè cognoscun-

ſcuntur, acſi actu præſentia, & realiter exiſtentia eſſent.

ASSERTIO XI, Immenſitas, ratione cujus convenit Deo ubiq; eſſe, eſt perfectio attributalis, conveniens Deo; ſed non quia ubique operatur. *Immenſitas Dei.*

Probatur 1. pars, tum ex capite *Firmiter*; tum ex Scriptura Baruc. 3. *Magnus eſt*, (id eſt, Deus) *excelſus, & immenſus.* Jeremiæ 13. *Cælum & terram ego impleo*; tum ex communi SS. PP. conſenſu, quos fusè citat noſter Smiſing hic diſp. 5. n. 14. Hanc Concluſionem rationi evidenti naturali non poſſe probari exiſtimo cum Doct. in report: d. 37. Tamen

Probatur 2. ratione. Eſſe ubiq; eſt perfectio non repugnans Deo, & maximè conducens ad ejus immutabilitatem ſalvandam, ergo eſt tribuenda illi.

Probatur 2. pars. Non repugnat Deo (imò nec creaturæ, ut probavi in phyſica) in diſtans agere: ergo per hoc quod Deus ubique operetur, malè colligitur ejus immenſitas.

Hic obiter nota, Deum dici præſentem omnibus rebus per eſſentiam, quia quo ad ſubſtantiam ſuam eſt realiter indiſtans à rebus omnibus: per præſentiam, quia res omnes, earumq; naturas cognoſcit: & deniq; per potentiam, quia ubiq; operatur, producendo, conſervando, vel deſtruendo res omnes. *Quot modis Deus ſit præſens nobis.*

ASSERTIO XII. Deus naturaliter inviſibilis eſt, & incomprehenſibilis ab intellectu creato, etiam de potentia abſoluta, non tamen ineffabilis.

Invisibilitas & incōprehensibilitas Dei.

Probatur 1. Pars ex script: 1. Tim: 1. *Regi sæculorum immortali & invisibili.* Ergo. *Probatur 2. ratione.* Nulla potentia naturaliter potest tendere in suum objectum, quæ naturaliter non posset habere principia requisita ad eliciendum suum actum, sed ad eliciendam visionem intuitivam, non habet intellectus (multò minùs oculus, cujus objectum est color) naturaliter, principia requisita, ut est de fide, & posteà videbimus: ergò non potest illam naturaliter elicere.

Probatur 2. pars. tum ex cap: *Firmiter*: tum ex script: Jeremiæ 32. *Magnus consilio, & incomprehensibilis cogitatu*, tum deniq; ex Patribus, quos citat Smising. hic. d. 7, q. 1. n. 20. *Probatur 2. ratione.* Repugnat creaturæ, cognitio in perfectione æqualis cognitioni divinæ, aliàs aliæ divinæ perfectiones illi non repugnarent; sed cognitio comprehensiva est talis: ergo. Probatur min: Cognitio comprehēsiva debet adæquari intelligibilitati tam intensivæ, quàm extensivæ objecti; sed cognitio divina non habet majorem perfectionem, quàm quòd sic adæquetur intelligibilitati objecti: ergo si cognitio creaturæ posset esse comprehensiva, adæquaretur in perfectione cognitioni divinæ.

Deus est effabilis.

Probatur ultima pars. Non est inconveniens, ut viator imponat nomen Deo, quo audito Beatus posset Deum directè cognoscere, ergo in illo sensu non est ineffabilis. dicitur ergo ineffabilis, quatenus nullo nomine exprimi potést, quo audito posset creatura comprehensivè quidditatem ejus cognoscere.

Objicies 1. Deus continetur intra latitudinem

nem objecti adæquati naturalis intellectûs, nempe entis ut ſic : ergo naturaliter ab intellectu cognoſci poteſt. ℟. diſtingu: antecedens, objecti adæquati connaturaliter motivi intellectus, aut terminativi ejus naturaliter, quoad cognitionem intuitivam, nego antec: quoad cognitionem abſtractam & confuſam, concedo antec: & diſtinguo ſimiliter conſequ: naturaliter abſtractivè, concedo conſequent: intuitivè nego conſequentiam.

Obycies contra 2. partem. Creatura intuitivè videns Deum ſic eum videt, ut nihil ipſius videntem lateat; ſed hoc eſt ſecundùm Auguſt: rem comprehendere; ergo, creatura poteſt Deum comprehendere. ℟. diſtingu: maj: ut nihil ipſius quoad abſoluta quæ dicit, videntem lateat, tranſeat maj: quo ad relativa omnia ſeu reſpectus, eorúmq; terminos, nego maj: & diſtincta ſimiliter mino: nego conſequentiam.

EPYSTILIUM PROBLEMATICUM COLUMNÆ SECUNDÆ.

Somniantné qui DEO in ſpatÿs imaginarÿs ſedem parant?



COLUMNA III.

De ſupernaturalitate Entis, & viſione beatifica.

ASSERTIO I. Forma ſupernaturalis in ſubſtantia eſt illa, quæ non exigitur per *Quæ dicẽda ſit forma ſupernaturalis.*

per se ab ulla substantia creata, sine principio aliquo supernaturali. Hujusmodi ratio repugnat omni substantiæ creatæ.

Probatur 1. pars. Tum quia omni, & soli convenit; tum etiam quia ideo dicimus quod lumen gloriæ, v. g. sit supernaturale, quia sic non exigitur; & quòd visio beata sit supernaturalis, quia exigit principium supernaturale. Ergo.

Repugnat substantia supernaturalis creata. *Probatur 2. pars.* Non potest ostendi conceptus ullus supernaturalis competens ulli substantiæ creatæ; ergo non potest dari substantia creata quæ esset supernaturalis: probatur antec: solvendo fundamenta adversariorum.

Dices. Potest dari substantia creata, quæ connaturaliter exigeret accidens supernaturale, sed talis esset supernaturalis: ergo. ℞. negando maj: nam eo ipso, quòd forma illa accidentalis connaturaliter exigeretur à tali substantia, non esset supernaturalis, ut patet exemplo animæ rationalis, quæ quia connaturaliter exigitur à corpore, dicitur forma naturalis.

Dices 2. Non implicat substantia creata, quæ nec produci, nec naturaliter intuitivè cognosci possit ab ulla substantia, quæ de facto datur; sed talis esset supernaturalis: ergo: ℞. negando min: nam talis non exigeret connaturaliter formam supernaturalem, & sic non esset in se supernaturalis,

Objicies contra 1. partem. Tota illa descriptio convenit actui, quo damnatus naturaliter recordaretur se aliquando habuisse actum supernaturalem, ergo non est bona. probatur antec:

antec: actus ille non exigitur ab ulla substantia, nisi ex suppositione principij supernaturalis, nimirum actus, aut habitus supernaturalis præteriti: ergo. ℟. negando antec: & disting: antec: ejus probationis: nisi ex suppositione principij supernaturalis concurrentis cum potentia ad illius productionem, nego antec: non concurrentis, concedo antec: & nego consequ: Conclusio autem loquitur de principio supernaturali physicè cum potentia concurrente ad productionē actûs.

ASSERTIO II. Visio beata, formalis Dei similitudo, est actus formaliter incōplexus, & virtualiter tantùm reflexus.

Visio beata est actus incomplexus formaliter.

Quòd sit formalis, & expressa Dei similitudo probatur, tum ex script: 1. Joann: 3. *Scimus, cùm apparuerit, similes ei erimus* (id est, ratione visionis beatæ) *quia videbimus eum sicuti est*. Tum ex August: lib: 14. Trinit: c. 12. *Tunc*, inquit, *perfecta erit Dei similitudo, quando perfecta erit Dei visio*: tum deniq; ratione; Ideo repugnaret similitudo expressa Dei, vel, quia si daretur, deberet esse infinita, vel Deus: sed neutrum requiritur; ergo non repugnat: prob: min: Species expressa albedinis v. g. quæ est illi formaliter similis, non est albedo, nec tam perfecta ac est albedo: ergo expressa Dei similitudo, non debet esse Deus, aut infinita, ut Deus est.

Est formalis DEI similitudo expressa.

Probatur 2. pars. Non est inconveniens, ut beatus unicâ simplici apprehensione videat intuitivè Deum, & omnia alia in illo: ergo. Confirm: actus ille per se unus, potest divisibiliter omnia prædicata per ipsum cogni-

gnita repræsentare cum ordine, quem inter se habent ex natura rei, & sic æquivaleret discursui formali, sed hoc sufficit: ergo.

Probatur 3. pars; In reflexione formali duo concurrunt actus, quorum posterior priorem habet pro objecto; sed visio beata est tantùm unus actus, ergo non est formaliter reflexa, & consequenter virtualiter tantùm; nam potest terminari ad se ipsam, ut est repræsentabilis in verbo.

Invisibilis Deus viribus naturæ ab intellectu.

ASSERTIO III. Viribus naturæ ab intellectu creato non videtur Deus; nec de potentia absoluta ab oculo corporeo visibilis est.

Prima pars, quæ est definita de fide, *contra Begardos, & Beguinos in Clementina, ad nostrum, probatur*: Principia omnia effectiva visionis Dei, non sunt connaturalia intellectui; ergo naturaliter visionem illam elicere non potest. Consequentia est evidens: probatur antec: Lumen gloriæ non est connaturale intellectui, & tamen est principium effectivum partiale visionis. ergo.

Etiã divinitus ab oculo corporeo invisibilis est.

Probatur 2. pars. Tum ex script. Exodi 33. *Faciem meam videre non poteris*, id est, corporeo oculo, ut exponit Ambrosius serm: 8. in psal: 118. tum etiam ratione. Nulla potentia, etiam supernaturalis, potest ferri in aliquod objectum, in quod naturaliter aliquo modo tendere non potest; sed oculus corporeus nequit naturaliter tendere in Deum ullo modo: ergo. prob: min: Deus est extra latitudinem objecti oculi; ergo in illum ferri non potest naturaliter.

ASSER-

ASSERTIO IV, Lumen gloriæ habituale, est qualitas supernaturalis residens in intellectu, ipsum permanenter elevans, & ad eliciendum actum adjuvans. Ad videndum Deum defacto, requiritur hujusmodi habitualis luminis concursus physicus; non tamen respiciendo potentiam absolutam. *Quid sit lumē gloriæ.*

Probatur 1. pars, ex regulis bonæ descriptionis. *Probatur 2. pars*, ex dictis assertione præcedenti. Quod verò lumen gloriæ sit quid habituale, prob: tum quia non est potior ratio, cur comprincipium requisitum ad eliciendum actum fidei supernaturalis sit quid habituale, se tenens ex parte pótentiæ, quàm quòd comprincipium necessarium intellectui ad eliciendam visionem beatam, sit quid habituale se tenens ex parte intellectus; sed illud, secundùm omnes communiter, est habitus: ergo & hoc erit: tum etiam quia hoc tenendo faciliùs explicantur loca sacræ Scripturæ, quæ de hoc lumine loquuntur; hæc nimirum, Psal: 35. *in lumine tuo videbimus lumen.* Isaiæ 6. *Erit tibi Dominus in lucem sempiternam.* *Necessitas Luminis gloriæ.*

Probatur 3. pars. Quidquid potest Deus producere cum duabus causis secundis partialibus efficientibus, potest divinitus cum una illarum, saltem magis principali sine altera producere, supplendo efficienter causalitatē alterius, sed potest cum intellectu ac lumine gloriæ partialiter concurrentibus, producere visionem beatam; ergo potest concurrente solo intellectu, supplendo causalitatem luminis producere visionem, & consequenter lumen non est simpliciter necessarium ad visionē *Potest Deus supplere defectum luminis.*

ſionem producendam : maj : patet mille exẽplis, nam concurrente ſolâ fæmina, poteſt Deus efficienter generare Filium, & defacto genuit. *Confirm*: non repugnat Deo ſupplere defectum luminis, reſpectu viſionis: ergo id ipſi denegari non debet.

Concurſus partialis intellectûs ad Viſionem Dei.

ASSERTIO V. Non ſolùm lumen, ſed etiã intellectus viribus proprijs concurrit partialiter ad viſionem producendam. Viſio hæc connaturalis eſt effectus intellectus elevati per lumen gloriæ.

Probatur 1. pars. Actus vitalis petit produci phyſicè à potentia vitali, ſed viſio beata eſt act⁹ vitalis: ergo debet produci à potentia vitali; ſed non ab alia quàm intellectu. Ergo.

Confirm: Supernaturalitas viſionis nil impedit, quo minùs ad illam intellectus phyſicè concurrat. Ergo : prob: antec: actus contritionis, & charitatis, ſunt ſupernaturales, & tamen ad illos voluntas liberè concurrit, ut docet Trident: ſeſſ. 6. c. 4. Ergo.

Obijci: Lumen gloriæ eſt tota virtus agendi intellectûs. Ergo. ℞. negando antec : nam nil eſt in viſione, quod non producitur ab intellectu effectivè agente, & etiam à lumine, ſimul cum illo coagente : & hoc eſt intellectũ elevari per lumen.

Probatur ultima pars. Viſio naturalis, eſt connaturalis intellectui non elevato; ergo & viſio ſupernaturalis intellectui elevato per lumen. Nec hoc facit, quòd viſio beata non ſit reverà in ſe ſupernaturalis, & ordinis gratiæ, ſed tantùm quòd comparata ad lumen gloriæ, & ad intellectum ut illo informatum,

non

non . sit supernaturalis, quia non est supra exigentiam talium agentium.

ASSERTIO VI. Quamvis beati defacto Deum vident intuitivè, & quidquid formaliter in Deo est; de potentia tamen absoluta essentia divina videri potest sine eo, quod formaliter, & explicitè videantur relationes, & attributa; & similiter unum attributum sine altero videri potest. *Videri potest essentia sine attributis.*

Prima pars, patet ex script: 1. Joann:3. *Videbimus eum sicuti est.*

Probatur 2. pars. Unum ex formaliter distinctis, videri potest divinitùs sine altero, saltem correlativè sibi non opposito; sed essentia divina formaliter distinguitur ab attributis, & relationibus, (similiter dic de attributis positivis inter se) ergo videri potest sine illis; maj: est certa, & min: fusè probavi in Logica, agendo de distinctionibus; & hic breviter probatur. Prædicata contradictoria à parte rei, uni, & indivisibili entitati ab intrinseco convenire non possunt, sed Divinæ essentiæ, & relationibus conveniunt prædicata contradictoria: ergo. probatur min: essentia est communicabilis tribus personis, paternitas autem non est communicabilis, ut est de fide: sed esse communicabile à parte rei, & non esse communicabile, sunt prædicata contradictoria, ergo essentiæ, & paternitati conveniunt: sed hoc non esset possibile, nisi distinguerentur à parte rei, saltem formaliter; ergo. *Datur distinctio formalis.*

Probatur Conclusio 2. Naturaliter potest oculus videre albedinem, non visa ratione

qua-

qualitatis, quæ eſt idem cum albedine; ergo de potentia, ſaltem abſoluta, non implicat unum ex identificatis videri non viſo altero, & conſequenter eſſentia videri poteſt ſine relationibus.

Obijcies. Qui in Deo non videret omnipotentiam, ſapientiam, & juſtitiam, nil videret: ergo qui videret eſſentiam, ſine attributis nil videret. ℞. negando antec: nam videret ille eſſentiam, quæ eſt radix attributorum.

Limitatio Viſionis beata. ASSERTIO VII. Licet cognoſcant beati in Verbo vi viſionis Verbi, non ſolùm aliquas creaturas, ſed etiam aliquos actus liberos Dei; nulla tamen creatura defactò videt omnia, quæ videt ipſum Verbum.

Probatur 1. pars. quod ſcilicet vi viſionis Verbi, authoritate D. Auguſt: l. 4. de Geneſi ad litteram cap: 3'. *Creatura,* inquit, *aliter eſt cognita in ſe ipſa, & aliter in illo, in cujus veritate facienda videbatur;* Ergo vi viſionis illius, id eſt Verbi, videtur.

Probatur 2. pars. Non repugnat eſſentiæ divinæ virtus repræſentandi creaturas quaſcunq; objectivè; ergo talis repræſentatio illi denegari non debet. Quod etiam beati cognoſcant aliquas creaturas futuras, & actus liberos Dei probatur, tū quia cognitio multorum futurorum videtur ſpectare ad illorum ſtatum: ergo; tum etiam, quia ſunt ſecuri de continuatione ſuæ beatitudinis; ſed hoc non eſſet verum, niſi cognoſcerent Deum ſic decreviſſe: ergo cognoſcunt illud decretū, quod eſt actus liber Dei.

Probatur ultima pars. Ipſi Angeli ignorant mul-

multa, quæ Deo nota sunt, nam Matth: 24 dicitur, *quod de die Iudicij nil sciant.* Et 1. Corinth. 2. dicitur, quòd *quæ sunt Dei, nemo novit nisi Spiritus Dei.* Ergo.

Confirm: Repugnat creaturæ cognitio æquè perfecta, ac est cognitio Dei, sed si cognosceret omnia quæ novit Verbum, hoc non esset verum: ergo non cognoscit.

Obijc: contra primam partem. Cognitio in Verbo, non terminaretur ad rem ut in se præsentem, & existentem; sed potiùs ad rem, ut in alio repræsentatam: ergo non esset intuitiva; & consequenter non cognoscitur Creatura vi Visionis Verbi. ℞. negando consequ: nam ad intuitivam sufficit, quod terminetur ad rem ut in se existentem, præsentem, & moventem potentiam, vel in alio eminentiori, & perfectiori modo illam continente, & repræsentante; perfectiùs autem creaturæ continentur & repræsentantur in essentia divina, quàm possint in se ipsis esse, & repræsentari.

Obijc: contra 2. partem. Illud Greg: lib: 2. moral: c. 2. *Quid, inquit, non vident, qui omnia videntem vident?* ergo beati vident omnia, quæ Verbum videt. ℞. negando consequentiam, nam sanctus tantùm vult, quod nil est, quod non vident ex ijs, quæ ad eorũ statum pertinent, quod quidem verum est, sed non ad propositum adversariorum.

ASSERTIO VIII. Beati non æqualiter, sed alius alio perfectiùs vident Deum, juxta meritorum, & intellectuum inæqualitatem. *Prima pars* est definita de fide, in Florentino: & prob: tum ex script: Joann: 14. *In Domo Patris mei mansiones multæ sunt.* *Inæqualitas visionis in beatis.*

tum

tum etiam quia Deus in puniendo servat æqualitatem pœnæ, juxta illud Apoc: 18. *quantum glorificavit se, & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum, & luctum.* Ergo & in retribuendo servat æqualitatem præmij ad meritum.

Probatur 2. pars. Nil impedit, quò minùs perfectior intellectus cæteris paribus producat perfectiorem visionem; ergo potest producere.

Obijcies contra hanc partem. Ex conclusione sequeretur, quòd visio non daretur cum proportione ad merita, ita ut qui æqualia haberent merita, æqualem etiam haberent visionem; sed hoc est parum consonum fidei: ergo. prob: maj: Intellectus perfectior hominis habentis merita ut duo, v. g. & lumen ut duo (datur semper lumen cum proportione ad merita) perfectius videret Deum, quàm intellectus imperfectior hominis habentis merita, & lumen ut duo, secundùm nos: sed sic non daretur præmium cum proportione ad meritum: ergo. ℞. distingu: maj: non daretur defacto, nego maj: in casu conclusionis, concedo maj: & distincta similiter min: nego consequentiam. Intellectus enim creati hominum, defacto æqualis sunt perfectionis, & sic cum proportione ad eorũ merita communicatur ipsis visio, & hoc solùmmodo probant authoritates Conciliorum, & PP. quas, non sine ordinaria censurandi libidine, adversarij ad nauseam citant, & exaggerant. *Scotistæ nostri* aliter respondent, ut videre est apud Smising hic.

ASSER-

ASSERTIO IX. Deum intuitivè videre non implicat intellectui conjuncto corpori mortali, & quòd sic defactò Deus sit visus, improbabile non est.

Intellectus conjunctus corpori mortali potest intuitivè Deũ videre.

Probatur 2. pars, tum authoritate August: lib: 12. de Genesi ad literam c. 27. & Ambrosij, qui dicunt Paulum in raptu DEUM sic vidisse, & Basilij, qui de Moyse idem sentit; nec non Doctoris subtilis, qui in 2. d. 3. q. 9. n. 8. de Paulo idem sentit. taceo, quod nec adversarij audent dicere, visionem illam non fuisse in hac vita B.V. communicatam.

Obijcies contra 2. partem, varias Sanctorũ Patrum & Scripturæ authoritates, quibus insinuatur oppositũ assertionis. Joann: 5. *Deum nemo vidit unquam.* 1. Tim: 6. *Quem nullus hominum vidit.* ergo. ℞. illas aliud non probare, quàm quod DEUS, sine speciali privilegio, à nullo intuitivè est visus. quod non est contra nos.

EPISTYLIUM PROBLEMATICUM COLUMNÆ TERTIÆ.

An beata visio Seraphici Francisci infinitæ sit perfectionis?



COLUMNA IV.

De Scientia DEI, ejusq; Intellectu.

Datur in Deo intellectus habens rationem actus primi.

ASSERTIO I. Datur in DEO intellectus (idem dic de voluntate respectu volitionis) habens rationem actus primi respectu scientiæ, seu cognitionis perfectissimæ.

Probatur 1. pars. Intellectus est potentia potens intelligere, si ipsi uniatur intellectio; sed DEUS habet talem potentiam; ergo & intellectum. Probat: min: si non haberet hujusmodi potentiam, nil intelligeret, etiamsi haberet intellectionem, sed de fide est DEUM omnia intelligere. Ergo. Prob: maj: ideo lapis, quamvis in se haberet intellectionem, non intelligeret, quia non haberet potentiã ad intelligendum; ergo, si Deus talem potentiã non haberet, nihil intelligeret, quamvis haberet intellectionem.

Probatur 2. pars. Non est potior ratio, cur daretur in Deo principium radicale, ex quo à parte rei emanant alia attributa, quàm principium radicale, & emanativum intellectionis; sed, etiã secundùm adversarios multos, in Deo datur radicale principium aliorum attributorum: ergo & intellectionis.

Objic: Ratio actûs primi infert distinctionem realem inter ipsum, & actum secundum; sed talis repugnat in divinis, nisi inter relationes: ergo. Confirm: Si intellectio esset actus secundus emanans ab intellectu, per-

perficeret illum: sed perfectio talis repugnat in divinis: ergo intellectio non est actus secundus emanans. ℟. distingu: maj: in divinis, nego maj: in creatis concedo maj: & concessa min: nego consequ: *Ad Confirm:* ℟. distingu: maj: perficeret, id est, identificaretur intellectui, concedo maj: perficeret, modo aliquo dicente imperfectionem, nego maj: & distincta similiter min: nego consequent:

ASSERTIO II. Intellectio Divina scientia est perfectissima, formaliter ab intellectu, & essentia divina distincta. *Intellectio divina scientia est.*

Probatur 1. pars. Rom: 8. *ô Altitudo divitiarum Sapientiæ & scientiæ DEI.* Esther 14. *Domine, qui habes omnem scientiam. Probatur secundò ratione.* Intelligere, cognoscere, & scire, est perfectio sine imperfectione; ergo Deo, qui est infinitæ perfectionis, attribui debet.

Probatur 2. pars. Tum ex dictis in Logica de distinctione formali; tum etiam quia si intellectio esset idem formaliter cum essentia, deberet esse formaliter radix omnium attributorum, & aliorum prædicatorum intrinsecorũ Dei, sicut est essentia; sed hoc est falsum: ergo non est idem formaliter cum essentia. prob: maj: quia *idem manens idem non est natum facere nisi idem.* Prob: etiam min: intellectio, & idem dic de intellectu, non est radix voluntatis, aut volitionis divinæ: ergo non est radix attributorum aliorum. *Vlterior probatio distinctionis formalis.*

Confirmatur. Datur à parte rei distinctio formalis (moderni Neutristæ hanc distinctionem, sub nomine virtualis, in divinis admittunt) inter paternitatem in divinis, & essentiam:

tiam: ergò & inter essentiam, & intellectum, ac intellectionem. Consequentia est evidens à paritate. probatur ergo antecedens: nisi essentia formaliter distingueretur à paternitate, Pater non distingueretur realiter à Filio; nec esset verum, quòd Relationes numerantur, & essentia non numeraretur; aut quòd Pater generet Filium, & essentia non generat; sed de fide est, quòd Pater distinguatur realiter à Filio; item, quòd Relationes numerentur, & Pater generet, non verò essentia; ut definit Tolet: 2. in Confess: fidei: ergo essentia distinguitur formaliter à Paternitate.

Probatur major quoad primam partem; (aliæ partes à paritate primæ probantur) si essentia divina non distingueretur ante operationem intellectùs, seu formaliter, à paternitate, non haberet Pater, per quod distingueretur à filio realiter: ergò non distingueretur sic ab illo. *Probatur antecedens*, si Paternitas non distingueretur verè ante operationem intellectûs ab assentia, Pater nihil esset nisi essentia; sed essentia non est aliquid, per quod Pater distinguitur à filio; cùm fide certum sit, eandem esse essentiam in Patre & Filio: ergo si Paternitas non distingueretur formaliter, seu virtualiter (Synonyma enim sunt, modò per virtualem intelligatur, *diversitas plurium formalitatum seu graduum Metaphysicorum, realiter inter se identificatorum, quibus intrinsecè, ante operationem intellectûs, competunt prædicata contradictoria:* sic enim bene describitur distinctio formalis Scotistica) ab Essentia divina, Pater non haberet, per quod realiter distingueretur à filio.

Definitio distinctionis formalis Scotisticæ.

Proba-

Probatur ultimò eadem pars. De fide est ex Toletano jam citato, Filium æternum produci per intellectum, & non per voluntatem, aut essentiam, aliàs essentia generaret; item Spiritum Sanctum produci per voluntatem, & non per intellectum, idq; sine dubio ante operationem, & fictionem nostri intellectûs; sed hoc esset falsum, nisi in Deo, essentia, intellectus, intellectio, voluntas, & volitio, inter se ante operationem intellectûs nostri distinguerentur: ergò distinguuntur. Major est certa. Probatur min: Implicat aliquid produci per unum, ex omnino identificatis (propriè loquendo, quæ nullo modo verè distinguuntur, inter se identificari, dici non possunt) seu indistinctis, & non produci per alterum, sicut implicat aliquem occidi per gladium, & non per ensem: ergo si à parte rei nulla esset diversitas inter essentiam, intellectum, voluntatem, intellectionem, & volitionem; implicat ut intellectus sit principium productivum alicujus rei, cujus non sunt principium, essentia, voluntas, & volitio.

Objicies contra 1. partem. Si Deus haberet notitiam, seu scientiam rerum, deberet de novo cognoscere, quod de novo fit; sed hoc non posset absq; mutatione sui: ergo non habet talem scientiam. ℟. conced: maj: & negando min: nam eadem illa indivisibili cognitione, quam Deus ab æterno habet, cognoscit præsentia, præterita, & futura, sine ulla sui intrinseca mutatione. *Perfectio Visionis quã Deus habet.*

Objicies contra 2. partem. Essentia divina est infinita, & in omni genere perfectionis il-

limitata; ergo debet formaliter involvere omnem talem perfectionem; sed intellectio est talis perfectio: ergo. ℞. negando consequ: nam ad hoc ut sit essentia in omni genere entis perfecta, sufficit quod exigat sibi idẽtificari omnem omninò perfectionem, realiter, vel formaliter. *Objicies 2. contra eandem.* Perfectissimus Conceptus Dei, ejusq; essentiæ maximè proprius est, quòd sit substantia vivens vitâ intellectuali: ergo debet constitui essentialiter per intellectionem actualem, qui est perfectissimus conceptus vitæ. ℞. concedendo antec: & negando consequentiam; sufficit enim, quòd sic constituatur per intellectionem radicalem.

Objicies 3. Si daretur ante operationem intellectûs distinctio inter essentiam divinam, intellectum, & etiam intellectionem, daretur compositio Metaphysica in Deo, sed talis repugnat summæ Dei simplicitati, ergo. Probatur maj: Compositio est distinctorum unio, teste Philosopho; sed si daretur in divinis, inter jam nominatas formalitates diversitas à parte rei daretur distinctorum unio: ergo & compositio saltem Metaphysica. ℞. distinguendo maj: Compositio metaphysica dicens imperfectionem, nego maj: nullã dicens imperfectionem, concedo maj: & distinctâ similiter mino: nego Consequentiam.

Itaq; nulla compositio imperfectionem dicit, cujus extrema essentialem connexionem inter se habent in existendo, seu cujus extrema independenter ab omni extrinseco necessariò existunt; sed certum est, quòd in Deo essentia, intellectus, intellectio, & voluntas ne-

necessariò existunt: ergo inter se quamvis compositionem faciant, non tamen compositionem dicentem imperfectionem; sicut in creatis, gradus metaphysici ejusdem entis, v.g. animal & rationale in homine, faciunt; quia se habent per modum actûs, & potentiæ; & in sui existentia & identitate, dependent ab aliquo extrinseco, nempe à Deo, quo volente statim desinerent esse.

Objcies 4. Gilbertus in Concilio Rhemensi damnatus est, eò quòd doceret Patrem non esse suam bonitatē; sed nos idem docemus: ergo, inquit Vasquez, damnandi sumus. ℟. distinguendo maj: Damnatus est, eò quòd doceret Deum non esse suam bonitatem, aut sapientiā realiter concedo maj: formaliter nego maj: minorem, & consequentiam; Hæreticus enim ille realem distinctionem strictè sumptam posuit inter Deum, & suam bonitatem; nos verò Scotistæ illam cum Catholicis negamus; & bonis Theologis & Metaphysicis formalem admittimus inter Deum, & suā bonitatem: & in hoc sensu intelligendi sunt PP. & Concilia, si quando dicunt nullam esse in divinis distinctionem, nisi ubi obviat relationis oppositio.

Objectum primariū Scientiæ Dei est Essentia.

ASSERTIO III. Objectum primarium motivum Scientiæ Dei, est ipsa essentia divina secundùm se formaliter considerata; secundarium verò aliæ res omnes; quas à Deo mediatè tantùm cognosci putamus.

Prima pars patet ex dictis in Prologo, ubi etiā probavi Deum res omnes videre. *Probatur ergo ultima pars.* Nulla est imperfectio ponenda in Deo; sed hoc non esset verum, nisi

nisi objecta secundaria ab ipso mediatè (hoc est, quatenùs immediatè videt suam essentiã, in qua repræsentantur) viderentur: ergo, sic videntur: prob: min: limitatio est imperfectio; sed si actus, quo Deus se ipsum cognoscit, non terminaretur secundariò ad omne intelligibile, etiam creatum, limitaretur actus ille; ergo esset imperfectus.

Quomodo futura à Deo cognoscantur.

ASSERTIO IV. Futura contingentia tam absoluta, quàm conditionata cognoscuntur à Deo in sua essentia, & se ipsis, suppositâ eorum futuritione; non ergo in præsentia eorum reali in æternitate, nec præcisè in ideis ab ipsis distinctis, nec in dispositione ulla causæ liberæ proximæ; aut decreto efficaci physicè prædeterminante voluntatem creatam, videntur.

Probatur 1. Pars. Tum ex Scriptura Ecclesi: 23. *Domino Deo, antequàm crearentur omnia sunt cognita.* Psal: 138. *Omnes vias meas prævidisti.* Tum etiam, quia si Deus omnia futura non cognosceret, non esset omniscius; sed hoc nemo dicet. ergo cognoscit.

Probatur 2. Pars. Tum quia Essentia divina est objectum motivum Intellectûs, tam ad sui, quàm aliarum rerum cognitionem, & sic *Deus in se omnia, & nihil extra se intuetur.* ut ait August: & probavi mox antea: ergo futura cognoscuntur à Deo in sua essentia, suppositâ illorum futuritione: tum etiam, quia frustra requireretur aliud medium, in quo viderentur.

Non cognoscũtur in æternitate.

Probatur 3. Pars. Non potest creatura coexistere Deo in æternitate, absq; reali ejusdẽ existentia in æternitate: ergo non cogno-scun-

sciuntur ob realem præsentiam eorum in æternitate. Maj: est certa, quia coexistentia creaturæ importat necessariò ipsius existentiam: min: etiam patet, quia si extitissent, hoc ipso non essent futura, sed semper præsentia; ergo non coexstiterunt.

Probatur 4. pars. Ideæ divinæ sunt ipsæmet res futuræ, probabiliter loquendo, ergo cum in se ipsis præcisè, futura à Deo non videntur, nec etiam in Ideis cognoscuntur. *Non in se ipsis.*

Probatur jam 5. pars. De dispositione causæ proximæ, id est voluntatis creatæ, causa libera quà talis, quantumcunq; disposita, indifferens est ad eliciendum, & non ad eliciendum actum. ergo in dispositione talis causæ, non potest præcisè videri creatura futura. *Nec in dispositione causæ secundæ.*

Probatur 6. pars. Decretum illud in quo præcisè creaturæ cognoscerentur, vel deberet esse decretum secundùm se consideratum, vel in actu primo, vel in actu secundo; non in actu primo, quia sic consideratum, nil est aliud quàm ipsa voluntas, vel actus amoris, quo Deus se ipsum primò & necessariò diligit, absq; ullo respectu ad creaturam; ergo in actu primo non potest esse ratio cognoscendi futuritionem creaturæ. Non etiam in actu secundo, quia sic consideratũ nihil dicit, præter respectũ rationis ad creaturã terminatũ, sed respectus rationis non potest esse mediũ cognoscendi futura, ut per se patet; ergo. *Non in decreto efficaci prædeterminante.*

Per hoc autem non negamus necessarium esse ad videndas creaturas absolutè futuras, videri decretum, à quo habent esse futuræ; unde tantum dicimus decretum illud non esse præcisam rationem movendi intellectum di-

vinum ad futurarum cognitionem; & multò minùs prædeterminans decretum Thomisticum, (quod cum libertate stare non posse, probabimus, & in physica antea ostendimus) posse esse tale motivum fateri possumus.

Obijc: contra 1. partem. Si Deus haberet hujusmodi scientiam infallibilem de futuritione rerum, frustranea esset omnis diligentia ad effectus contingenter ponendos, sed hoc non est dicendum: ergo. prob: maj: supposita illa scientia, res illa futura necessariò erit, sive adhibeatur diligentia, sive non: ergo. ℟. negando maj: & dist: ejus probationē, necessariò necessitate consequentis concedo antec: necessitate antecedentis, nego antec: & consequ:

Causæ creaturarum futurarū contingenter. ASSERTIO V. Creaturæ absolutè futuræ dependenter à causâ libera, non habent esse formaliter tales, à solo Decreto Dei excludente actionem futuram causæ secundæ. *Probatur.* Ab illo habent creaturæ esse futuræ, à quo ponentur extra suas causas; sed per solum Decretum Dei, excludens actionē causæ secundæ, nec per actionem solam causæ secundæ excludentem decretum, sic ponentur, sed potiùs per utrumq; simul; ergo ab utroq; habent suam futuritionem, & non ab alterutro seorsum.

Obycies. Nisi decretum divinum actu, & realiter existeret ab æterno, non posset Deus in illo ullo modo videre futuritionē effectûs, sed concursus creatus non existit realiter ab æterno, ergo non potest intellectus divinus in illo videre futuritionem ab æterno. ℟. distingu: maj: Si absq; eo quod ab æterno existeret,

ſteret, poſſet eſſe futurum, nego maj: defacto concedo maj: & conceſſa min: nego conſequentiam.

Objicies 2. contra eandem. Si Deus haberet decretum æternum de abſolutè futuris, tolleretur libertas, ſed hoc non eſt dicendum: ergo non habet tale decretum, prob: maj: decretum illud antecederet exercitium libertatis, & eo poſito neceſſariò ſequi deberet effectus: ergo eo poſito tolleretur libertas. ℞. negando maj: & diſtingu: ejus probationis antec: antecederet exercitium voluntatis, quoad eſſe actuale ipſius exercitij, concedo antec: quoad eſſe futurum ejusdem exercitij, ſeu conſenſus, nego antec: & conſequ: Itaq; decretum Dei ab æterno eſt, dependens à futuritione effectùs, nam cùm ſit decretũ concurrendi cum voluntate ad effectum producendum, neceſſariò concomitantem habet concurſum voluntatis, vel actualem, vel futurum; & ſic, ſicut ſi decretum illud non exiſteret actu, niſi quando in tempore eſt conſenſus actualis voluntatis, nullam haberet præceſſionem ad conſenſum voluntatis, ſed potiùs concomitantiã haberet cum illo: eodem modo licet ab æterno ſit, ob immutabilitatem Dei neceſſariò, non habet præceſſionem ad conſenſum futurũ voluntatis, quoad eſſe futurum ejus, & ſic nil officit libertati.

ASSERTIO VI. Unicus & ſimpliciſſimus actus ſcientiæ Dei, ſecundùm diverſas terminationes diviſibilis, adæquatè partitur in ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, ſeu naturalem, & viſionis, ſeu liberam. *Diviſio ſcientiæ in ſimplicis intelligentiæ, ac viſionis ſcientiam.*

Probatur. Nil à Deo poteſt cognoſci, niſi quod

quòd simpliciter & necessariò existit, vel in statu puræ possibilitatis manet, vel denique quod habet esse futurū dependenter à suo decreto; sed priora duo cognoscūtur per scientiā simplicis intelligentiæ, seu necessariā; & posterius per scientiam liberam, seu visionis: ergo adæquata est divisio illa scientiæ, Dei, in simplicis intelligentiæ & visionis.

Authores scientiæ mediæ, circa illam inter se hactenus non convenerunt, ita ut unam aliquam illius nobis assignarent definitionē. *Pater Molina ipsius Inventor*, docuit in Deo ante omne decretum absolutum voluntatis, dari scientiam, quâ scivit, quidquid creatura libera quantum est ex parte sua, sit factura, si hæ vel illæ circumstantiæ ponantur, habeatq; omnia ad agendum requisita, ac paratū Dei concursum; & hanc cognitionem mediā scientiam, inter naturalem, & liberam, docuit esse. Ex illius sectatoribus, aliqui apud *nostrum Pontium*, explicant hanc scientiam; dicuntq; per eam intelligi scientiam, quà Deus cognosceret, quid futurum esset, positâ conditione non necessariò connexa cum effectu, ex eo, quòd habeat defactò, vel haberet positâ eâ conditione, decretum concurrendi cum voluntate, concursu quodam indifferenti, & non determinato ad unam partem contradictionis, & in hoc sensu Molinā fuisse locutum dicunt. *Pater Arriaga* (vir aliàs doctissimus, mihiq; varijs titulis charus) post prolixam de scientia media disputationem, solùm probat dari scientiam de conditionatè futuris in DEO, quam Theologorum nullus unquam negavit, aut salvà fide, negare

Judicium de authoribus scientiæ mediæ.

re potuit. Ut ego meam aperiam mentem, fit

ASSERTIO VII. Scientia media Moliniana, vel non datur, vel non constituit tertium membrum condistinctum, à Scientia naturali, & libera; & consequenter nil facit ad conciliandam libertatem creatam cum infallibilitate præscientiæ, & prædestinationis divinæ. Et ut probem Conclusionem: *Scientia media Neutrarum reÿcitur.*

Suppono 1. Hanc scientiam mediam non facere, sed præsupponere suum objectum secundarium, & terminativum, nempe ipsam propositionem contingentem conditionatè futuram; sicut scientia absoluta præsupponit futurum contingens, absolutè futurum.

Suppono 2. Nil posse intelligi conditionatè futurum, nisi ex præsuppositione alicujus causæ proximæ sub conditione dantis, vel daturæ illi futuritionem, adeoq; nil contingens esse determinatè futurum, nisi dependenter à causa dante ei sub conditione futuritionem contingenter, v. g. conversio libera Petri, jã ab æterno est determinatè futura, quia voluntas Petri positâ tali vel tali conditione, est se determinatura ad conversionem. His suppositis

Probatur Conclusio contra Molinam. Per te Deus videt conversionem Petri hic, & nunc sub conditione futuram, antequam vel vidisset, vel decrevisset eam absolutè futuram; ergo vel vidit illam pro illo priori, futuram ex sola determinatione voluntatis Petri, independenter ab omni concursu supernaturali Dei, absolutè vel conditionatè sibi præparato, *Reÿcitur Molina.*

rato,

rato, vel vidit illam ex suppositione quidem, non solùm suæ liberæ determinationis, sed etiã ex præsuppositione gratiæ, auxilij efficacis, & aliarum circumstantiarum ad ejusmodi conversionem conducentium, & determinantium? Primum non nisi Pelagianus dicet; & secundum non favet adversarijs: ergo. Probatur min: interrogando ipsos an videat conversionem Petri Deus sic futuram, ex suppositione omnium illorum jam prædictorũ, antecedenter ad omne decretum suum, sive absolutum, sive conditionatum, quo concurreret cum voluntate Petri, in illis circumstantijs, nec ne? si primum; ergo scientia illa est fictitia, & impossibilis; si secundum, erit pro nobis: probatur prima consequentia, sicut impossibile est, aliquid contingens esse absolutè futurum, nisi dependenter à Decreto Dei absoluto, quod est prima radix omnis contingentiæ; ita impossibile est, aliquid contingens esse conditionatè futurum, sine dependentia à Decreto Dei absolutè vel conditionatè ponendo; ergo non potest Deus videre conversionem Petri antè futuritionem absolutam vel conditionatam sui decreti, & consequenter scientia talis in ipso est impossibilis.

Respondent Adversarij: Scientiam conditionatam præsupponere Dei Decretum conditionatum, in hunc modum ab ipsis explicatum: Video (inquit intellectus divinus) ab æterno, si Petrus tali, vel tali tempore vocetur, & divinis gratiæ auxilijs adjuvetur, divinúmq; præterea habeat ad hoc concursum, convertetur.

Contra

Contra hanc explicationem duo infero; primùm, scientiam mediam neutristicam, non differre à scientia simplicis intelligentiæ; secundùm, scientiam mediam sic explicatam, nil facere ad conciliandum infallibilitatem Decretorum Dei, cum libertate & contingentia causarum secundarum in agendo.

Primum sic probo, positis omnibus illis jam dictis conditionibus, adhuc conversio Petri manet in statu puræ possibilitatis, ergo conversio Petri conditionata, continetur sub objecto scientiæ simplicis intelligentiæ. Prob: antec: positis illis conditionibus, conversio Petri retinet totam, ac plenam indifferentiā ad esse, vel non esse, æq; bene, acsi non ponerentur istiusmodi conditiones: ergo manet adhuc in statu puræ possibilitatis: antec: prob: hæc conditionalis: *Si Petrus tali tempore non vocetur, nec ego voluero ad conversionem ejus concurrere, certò non convertetur.* Est tam vera, quàm illa jam posita, & tam bene hanc vidit intellectus divinus ab æterno, ac illam priorem, & tamen hæc manet in esse puro possibili; ergo & illa.

Probatur etiam 2. & simul ultima pars Conclusionis. Admissa gratis illa scientia, ejusq; objecto sic conditionatè futuro, adhuc non intelligitur conversio Petri re ipsâ absolutè futura; at tota difficultas Theologorum in hac materia est, in reconcilianda libertate, ad hic & nunc in tēpore determinatè, & absolutè, cooperandū cum absoluto Dei decreto, & scientia de conversione Petri absolutè futura, quam difficultatem nullo modo tollit scientia illa conditionata antecedens absolutum

Dei

Dei decretum ; ergo ſcientia illa nihil facit ad reconciliandam libertatem creatam, cum infallibilitate præſcientiæ & prædeſtinationis divinæ.

Obijcies. Deus ab æterno, non aliter determinavit vocare Petrum, quàm prout in tempore eum vocat; ſed in tempore non vocat eum, niſi ſecundùm quod ante vocationem prævidit congruere, ut Petrus vocantē ſequatur, ſed hoc non prævidit per ſcientiam mediam. ergo prob: min: quia aliàs, cœco & improvido modo ageret Deus. ℞. concedendo maj: & diſtingu: min: quod ante vocationem actualem in tempore, ab æterno prævidit, in ſuo abſoluto decreto, involvente concomitanter determinationem liberi arbitrij, concedo min: ſecundùm quod ante vocationem actualem prævidit ab æterno ſic congruere, antecedenter ad Decretum Dei de concurrendo cum Petro ad liberè operandū, nego min: & conſequentiam; ſicut & quod cœco vel improvido modo ſic agendo, Deus ſua Decreta poneret: quia ut prudenter ea ponat, ſufficit quod per ſcientiam ſimplicis Intelligentiæ, antecedenter ad omne decretum ſuum abſolutum, præviderit omnes cauſarum proportiones reſpectu ſuorum effectuum, adeoq; congruitatem omnium auxiliorum gratiæ, temporum opportunitates, hominum diſpoſitiones, quidq; poſſit, vel non poſſit liberum arbitrium, cum, vel ſine gratia: & hoc ſolùm volunt SS. PP. quos pro ſe Adverſarij citant.

Ideæ divinæ deſcriptio. ASSERTIO VII. Idea divina, eſt exemplar æternum, & incommutabile, in mente

te divina, secundùm quod quælibet res à Deo formabilis est, antequàm formetur. Non consistunt Ideæ Divinæ in conceptibus intellectualibus, quibus Deus clarè & distinctè res faciendas concipit. 1. *Pars est* Aug: l. 83. QQ. q. 46. 2. *Pars* manet probata ex dictis in physica, ubi ostendi, quòd Idea sit illud, quod agens respicit dum operatur; sed Deus non respicit suum conceptum formalem dum operatur, sed potiùs objectivum. Ergo Idea in conceptu objectivo consistit.

ASSERTIO VIII. Essentia Divina, quæ objectivè intellectui divino perfectissimè omne factibile repræsentat, modúmq; id faciendi, prima est & principalis Idea intellectûs Divini: secundariæ verò Ideæ sunt ipsæmet res idealiter faciendæ. Nec personarum divinarum, nec negationum, aut entium rationis ideas in Deo admittimus.

Prima & principalis Idea intellectûs divini.

Probatur 1. pars ex August: loco jam citato his verbis: *Idearum visione animæ fiunt beatæ;* sed animæ beantur visione essentiæ divinæ: ergo essentia divina prima est & principalis Idea respectu intellectûs divini.

Probatur 2. Pars. Deus cognoscit res fiendas, ut in essentia repræsentatas; ergo ut sic cognitæ ideæ secundariæ dici possunt. Et in hoc sensu verum est, quòd in mente Divina sunt multiplices Ideæ.

Probatur 3. pars. Non cognovit Deus personas divinas, antequam illas produxit; ergo illarum ideæ in mente divina non sunt.

Probatur ultima pars. Nec negationes, nec entia rationis ullam positivam, aut veram habent entitatem; ergo nec Ideam in mente divina.

AS-

Virtutes intellectuales admittuntur in Deo.

ASSERTO IX. Reperiuntur in DEO virtutes intellectuales seclusis imperfectionibus, non tamen distinctæ ab intellectu divino. *Probatur 1. pars.* Actus correspondentes virtutibus in Deo reperiuntur, ut actus prudentiæ, cognitionis, & artis, &c. Ergo & ipsæ virtutes,

Probatur 2. pars. Ipse intellectus divinus est sufficiens principium cum objecto, ad eliciendam quamcunque perfectissimam cognitionem: ergo ut eliciat quamcunq; talem, non requiritur aliquod aliud comprincipium determinans illum ad actus virtutum intellectualium.

EPYSTILIUM PROBLEMATICUM COLUMNÆ QVARTÆ.

An condemnare scientiam mediam, rei scholasticæ sit nocivum?



COLVMNA V.

De Voluntate Divina, & Omnipotentia.

Libertas voluntatis divinæ.

ASSERTIO I. In DEO est voluntas, quâ se ipsum necessariò vult & amat, & creaturas omnes liberè, libertate contradictionis produxit.

Probatur 1. pars. tum ex script: Rom 9. *Voluntati ejus quis resistet.* Psal: 113. *Omnia quæ-*

quæcunq; voluit, fecit. tum etiam ratione, quia habere voluntatem, est perfectio sine imperfectione; ergo Deo convenit.

2. *Pars* non eget probatione; nam frustra Deus esset voluntate præditus, nisi se ipsum amaret, objectum nimirum infinitè amabile, ergo necessariò se amat. *Confirm:* Est imperfectionis in potentia potente amare, non amare necessariò quod est infinitè amabile; sed Deus est sic amabilis: ergo necessariò à divina voluntate amatur.

Pro intelligentia ultimæ partis, adverte, illud dici liberũ libertate essentiali, seu *quoad substantiam,* quod solùm requirit principium agens ex electione, seu præviâ cognitione finis; & hæc libertas directè opponitur naturali operationi. Liberum, seu libertas *quoad modum,* quæ & *accidentalis* dicitur, est illa, secundùm quam voluntas indifferens est ad utrumq; extremum contradictionis & contrarietatis, ut ad velle, & non velle, nunc

Probatur ultima pars, tum ex script: ad Ephes: 1. *Omnia operatus est secundùm consiliũ voluntatis suæ.* tum etiam ratione, si causa prima ad extra necessariò ageret, causa secunda liberè nihil produceret, ut probabimus inferiùs Assert: 4. hujus Colum: sed fide, & experientiâ constat hoc non esse verum; ergo causa prima liberè agit.

Obÿcies. Si divina voluntas esset libera, libertate contradictionis, & exercitij, posset habere, vel non habere actũ; sed hoc non potest sine sui mutabilitate: ergo non est libera. ℞. disting: maj: posset habere vel non habere actum terminativè, concedo maj: subjecti-

vè, seu quoad entitatem absolutam actûs, nego maj: & distincta similiter min: nego consequentiam.

Divisio divinæ volũtatis. ASSERTIO II. Divisio divinæ voluntatis in liberam, & necessariam, signi & beneplaciti, efficacem, & inefficacem, sive antecedentem, & consequentem, adæquata est, & bona.

Probatur Conclusio ipsam per partes explicando. Voluntas signi (de libera & necessaria jam diximus) est illa, quæ exteriori aliquo signo nobis patefit; nempe *præcepto, prohibitione, consilio, permissione, & operatione;* quæ signa diverso modo indicant nobis voluntatẽ in Deo. *Signa volũtatis divinæ.* *Voluntas beneplaciti* est volitio interior quam habet Deus, ratione cujus complacet sibi in quavis re creata. *Voluntas inefficax*, seu antecedens est volitio, seu complacentia quam habet Deus de aliquo bono, in ordine ad quod applicat medium, ad quod nòn sequitur effectus, & talem volitionem habuit de salute Ivdæ. *Voluntas efficax* seu consequens est illa, quà ita vult aliquem effectum, ut eâ volitione positâ, infallibiliter ponatur effectus; & hac volitione vult salutem omnium prædestinatorum.

Verborum D. Pauli 1. Tim: 4. explicatio ASSERTIO III Verba illa D. Pauli 1. Tim: 4. *Deus vult omnes homines salvos fieri, & ad cognitionem veritatis venire, in uno sensu intelligi possunt esse prolata, de volitione efficaci seu consequenti, & in alio de volitione antecedenti, seu inefficaci.*

Probatur 1. pars, authorit: D. Aug: de corrept: & gratia cap: 14. qui verba illa sic intelligit, cum distributione tamen accommoda,

& et-

& etiam pro generibus singulorum, ut Fautores Immaculatæ Conceptionis, intelligunt aliud illud Pauli, *omnes in Adam peccaverunt.*

Probatur 2. pars. Certum est, quod plurimi homines damnentur, ergo Deus non habet voluntatem consequentem, seu efficacem salvandi illos.

ASSERTIO IV. Si Deus ad extra ageret ex necessitate naturæ, nec liberè nec necessariò causa secunda aliquid ageret. *Modus agendi Dei ad extra.*

Probatur. Causa necessariò agens, agit secundum ultimum suæ potentiæ, seu operatur quantum potest; sed causa prima, etiam defacto, potest se solo in genere causæ efficientis, producere quidquid cum causa secunda potest efficere; ergo si ageret ex necessitate naturæ, deberet se solo totum effectum causæ secundæ producere. Defactò autem non sic agit, sed liberè, concomitanter ad concursum causæ secundæ.

ASSERTIO V. Voluntas divina non est subjectivè mutabilis à volitione, ad nolitionem ejusdem rei, seu objecti. Omnis Dei volitio efficax, consequitur suum effectum; imò nullam habet voluntatem liberam, quæ quantum ad aliquem effectũ, non impletur. *Quomodo divina volũtas mutabilis est.*

Prima pars probatur, tum ex dictis de immutabilitate Dei, tum etiam quia sine ratione diceretur quòd esset sic mutabilis; ergo non est.

Probatur 2. pars. Isaiæ 36. *Voluntas mea fiet.* Esther 13. *Non est qui possit resistere voluntati tuæ.* *Probatur etiam ratione.* Non esset Deus omnipotens, si impediri posset in ijs producendis, quæ efficaciter vellet: ergo non potest sic impediri.

Efficacitas divinæ voluntatis. *Probatur* 3. *pars*, tum quia talis voluntas esset otiosa & inutilis: tum etiam, quia nec ratione, aut authoritate probari potest, quòd in Deo detur talis voluntas. Ergo non datur.

Obÿcies contra 1. *partē* script: Genes: 6. *Pœnitet me fecisse hominem*. 1. Regum 15. *Pœnitet me quòd constituerim Saul Regem*; sed hujusmodi pœnitentia nequit fieri absq; voluntate, contraria voluntati priori, quam habuit: ergo subjectivè mutabilis est de volitione ad nolitionem. ℞. negando min: quia loca illa non significant pœnitentiam, quæ adferre solet displicentiam aliquam molestam, sed potiùs volitionem castigandi, puniendi, ac destruendi: talis autem volitio non est opposita ullo modo priori voluntati, quam habuit Deus de creando homine, ac constituendo Saul in Regem.

Obÿcies contra 3. *partem*, illud Ezech: 13. *Nolo mortem peccatoris*: ergo habet aliquam voluntatem, quæ nullum habet effectum. ℞. negando consequ: quia plurima media dat Deus peccatoribus, ad salutem maximè conducentia, si illis uti vellent.

Habitus virtutum negatur Deo. ASSERTIO VI. Exercitium virtutū moralium Deo non repugnat; defacto tamen in ipso non admittimus habitus virtutū moralium.

Probatur 1. *pars*, quia in hoc nulla est repugnantia, ergo Deo denegari non debet.

Probatur 2. *Pars*. Esset imperfectio in voluntate infinita Dei, non posse faciliter ex se tendere, in quodcunq; objectum sibi ab intellectu propositum, sine ullo habitu superaddito: ergo sic tendit.

AS-

ASSERTIO VII. Providentia DEI communis prædestinationi, reprobationi, ac directioni creaturarum; est dispositio æterna quam habet DEVS de rebus omnibus, ad fines determinatos, ab ipsomet prævisos, dirigendos, secundùm illum ipsum modum, quo in tempore consequuntur illos fines. Est in terminis Pontij hîc, & prob: quia convenit omni, & soli: ergo est bona. *Providentiæ descriptio.*

ASSERTIO VIII. Providentia hæc divina formaliter loquendo consistit in solo voluntatis actu. *Prob:* Providentia est efficax ordinatio rerum in suos fines; sed hoc esset falsum, si non in voluntatis, sed in solo actu intellectûs consisteret; ergo non consistit. Prob:min: tum quia sola voluntatis ordinatio in Deo efficax esse potest, juxta illud script: *omnia Deus operatur juxta consilium voluntatis suæ*; ergo sola voluntatis ordinatio est providentia in DEO: tum etiam, quia si solùm manerent in Deo omnes actus intellectûs, quibus noscit fines, & media proportionata ad illos, nullius rei diceretur habere providentiam, ergo non in actibus intellectûs, sed potiùs in actu voluntatis consistit Providentia. *In quo cōsistit.*

Obijcies. Prædestinatio est actus intellectûs, ex Apost: Rom: 8. *Quos*, inquit, *præscivit, hos & prædestinavit*; ergo & providentia.

Confirm: Aug: de bono perse: cap: 18. dicit, quòd *prædestinatio* est *præscientia*, sed præscientia est actus intellectûs: ergo & Prædestinatio. ℞. negando antec: nam Apost: loco citato, tantùm intendit recensere seriem omnium actuum, qui tam ex parte intellectûs,

quàm ex parte voluntatis, ad prædestinationem concurrunt, ut sunt: *prædestinare, præscire, vocare, justificare, & glorificare.* Quod verò priùs ponat ly *præscivit*, quàm ly *prædestinavit*, ordo quidem præposterus est, nam priùs prædestinavit, quàm præscivit scientia visionis, sed non perperam positus, quia si priùs poneret ly *prædestinavit*, deberet bis postea ponere ly *præscivit*; ad quod evitandũ posuit primò ly *præscivit*.

Ad Confirm: ℞. 1. negando min: ex mente Aug: qui frequenter pro synonimis *præscivit & prædestinavit* sumit. ℞. 2. distingu: min: est præscientia formaliter nego min: præsuppositivè concedo min: & nego consequentiã. August: enim tantùm vult, quòd Deus nullũ poterat prædestinare, quem non præsciverat ab æterno posse convenienter perduci ad finẽ ipsi propositum, per media defactò ordinata, antequàm prædestinaverat ipsum, quod verum est.

Prædestinationis definitio. ASSERTIO IX. Prædestinatio bene describitur, quòd sit actus divinæ voluntatis præordinantis efficaciter ab æterno, creaturã rationalem ad salutem æternam, & media efficaciter conducentia ad illam. Consistit formaliter in actu divinæ voluntatis.

Probatur 2. Pars. de qua est difficultas, tum ex dictis de providentia, tum quia prædestinatio in illo formaliter consistit actu, vi cujus prædestinati salvantur. sed vi actus voluntatis electi salvantur: ergo in actu voluntatis consistit.

Prædestinãdi modus. ASSERTIO X. Ordine intentionis, prædestinavit misericors Deus electos omnes ad

ad gloriam, ante prævisa, vel absolutè, vel conditionatè eorum merita. Hæc est Doct: 1. d. 45. q. unica. n. 11.

Probatur 1. ex script: plerisq; in locis ei favente, & speciatim Matth: 24. Sapient: 4. & Ioannis 10. ubi scriptura agit de speciali cura Dei erga prædestinatos. Favet etiam apertè, Paulus ad Rom: 9. ubi adducto exemplo de Iacob, & Esau, nostram Conclusionem apertè docet, teste Augustino, in Enchridio, cap: 98. & lib: 2. ad Bonifac: cap. 7. his verbis: *Cùm nondum nati fuissent* (id est, Iacob & Esau) *aut aliquid boni egissent, aut mali, ut secundùm electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante. Dictum est ei* (id est Rebeccæ) *Jacob dilexi, Esau autem odio habui.*

Prob: Conclusio ratione Doctoris. Omne agens à proposito (id est, ex prævia cognitione finis) priùs vult finem, quàm media ordinata ad eundem finem, sed in prædestinatione electorum Deus est agens à proposito, & gloria est finis electorum, & merita sunt media ad illam: ergo priùs vult Deus gloriam in intentione, quàm merita; & consequenter electio ad gloriam, non est ex prævisione meritorum intentione.

Confirm: tum ex communi illo axiomate, *quod prius est in intentione, posterius est in executione;* & è contra: sed in executione, gloria est posterior meritis: ergo in intentione est prior illis; tum etiam, quia pro eodem signo prædestinavit Deus (excipe Christum) omnes quos efficaciter elegit ad gloriam, sed fide certum est, defacto aliquos esse prædestinatos ad gloriam independenter à meritis,

puta parvulos, qui statim post baptismum moriuntur. Ergo & omnes.

Acceptor Personarũ Deus non est.

Obijc: Si conclusio esset vera, Deus esset acceptor personarum: ergo non est vera. ℞. negando antec: quia vitium acceptionis personarum, in operibus puræ misericordiæ, inter quæ numerari debet prædestinatio, locum non habet.

Obijcies 2. Non haberet Deus verum, & sincerum affectum salvandi Iudam, v. g. si illum non elegisset efficaciter ad gloriam cum Petro, aut si independenter à meritis utriusque, & demeritis prævisis, solum Petrum elegisset, ergo in intentione illum sic non elegit. ℞. 1. quòd in contraria sententia, idem modus invenitur; nam quæro, quomodo Deus sincerè dici possit velle salvare Iudam, cùm eum non elegit ad auxilia efficacia, & ad finalem perseverantiam, ad quam ex mera sua misericordia elegit Petrum. ℞. 2. distinguẽdo antec: sincerum affectum efficacem, concedo antec: affectum inefficacem nego antec: & consequentiam.

Obijc: 3. Decretum dandi gloriam, etiam in intentione, respicit gloriam dandam per modum coronæ, ac præmij: sed ratio coronæ & præmij dicit necessariò respectum ad meritum: ergo non potest Deus efficaciter velle dare gloriam, nisi prævisis priùs meritis. ℞. transeundo maj: & distingu: min: ratio coronæ, & præmij dicit respectum ad meritum formaliter, vel virtualiter, concedo min: formaliter semper & in omni signo, nego min: & consequ:

Obijcies 4. Si Conclusio esset vera, electus

ad

ad gloriam quantumvis flagitiosè per totam vitam viveret, & nil boni ageret, salvaretur; & è contra, reprobus non obstante quòd semper bene operaretur, damnaretur, sed utrũq; est absurdum. Ergo, &c.

Hoc imperitorum commune argumentum, specialem in nostra sententia non habet difficultatem, quam in contraria non habet; nam certum est in illa etiam sententia, quod quidquid prævidit Deus absolutè futurũ in tempore, infallibiliter fiet: ergo si prævidit me dependenter à bonis meis operibus, (ut volunt adversarij) finaliter salvandum, infallibiliter salvabor. Unde ad object: ℞. disting: maj: salvaretur in intentione concedo maj: in executione nego maj: & distincta similiter min: nego consequentiam. Itaq; decretum in intentione de gloria danda, respicit subsequens decretum de conferenda illa in executione, dependenter tantùm à meritis ipsius prædestinati.

ASSERTIO XI. Quãvis in sensu composito nec prædestinatus possit damnari, nec reprobus salvari, absolutè tamen, & in sensu diviso, contrarium fieri potest.

Probatur 1. pars. Quamvis paries albus simpliciter loquendo possit esse sine albedine, tamen in sensu composito albedinis de nulla potentia potest esse non albus: ergo nec prædestinatus, à paritate, in sensu composito prædestinationis, potest non esse talis.

Probatur 2. pars. Prædestinatus liberè elicit media necessariò ad suam prædestinationem: ergo simpliciter & absolutè potest damnari.

Effectus prædestinationis. ASSERTIO XII. Donum finalis perseverantiæ, & quidquid conducit ad illam, ac præsupponit merita, & ipsa collatio gratiæ, quibus accedit permissio peccati ex intentione efficaci pœnitentiæ, effectus sunt prædestinationis.

Prob: Conclusio generaliter; quidquid procedit ex motivo ac proposito salvandi finaliter electos, inter effectus prædestinationis numerari debet; atqui omnia jam numerata, *cooperantur in bonum his, qui secundùm propositũ sunt vocati:* ergo sunt effectus prædestinationis.

Obijc: Gratia interrupta per peccatum, quà talis, quæ est bonum animæ, non potest esse à Deo volita; ergo non est effectus prædestinationis. ℞. negando consequ: nam ut sit effectus prædestinationis, sufficit quòd sit secundùm se, ut abstrahit ab interruptione illa, positivè à Deo volita, & permissivè volita, ut interrumpatur.

Reprobationis causa. ASSERTIO XIII. Neminem Deus positivè reprobat, nisi peccato ejus finali absolutè prævisio. *Prob:* tum ex script: Osee 13. *Perditio tua ex te Israel*, tum ex Aug: de bono persev: c. 8. *Qui liberatur*, inquit, *gratiam diligat, qui non liberatur, debitum agnoscat.* Tum etiam ratione; esset contra summam bonitatem divinam positivè velle pœnâ æternâ aliquem punire sine ulla culpa. ergo hoc non facit.

ASSERTIO XIV. Causa reprobationis positivæ, ex parte reprobi, non est peccatum originale præcise, nec personale præcisè, sed alterutrum indifferenter, quatenus

præ_

præviſum futurum, & non dimittendum. *Probatur 1. pars.* Multi damnantur propter ſolum originale, & multi poſt baptiſmum propter ſolum actuale: ergo neutrum præcisè eſt cauſa reprobationis.

Probatur 2. pars. Quodcunq; peccatum ex illis ſufficit, & multo magis utrumq; ſimul. ergo.

ASSERTIO XV. Omnipotentia Dei, fide & ratione naturali probari poteſt. Non diſtinguitur, nec quidem formaliter, à voluntate divina. *Omnipotentia Dei.*

Probatur 1. pars. tum ex ſcript: Geneſ: 17. *Ego Deus omnipotens.* Sapient: 18. *Omnipotens ſermo tuus.* tum etiam ratione, quia poſſe omnia factibilia (ſecluſo peccato pro formali) facere, eſt perfectio ſine imperfectione: ergo eſt tribuenda Deo.

Probatur 2. pars. tum ex ſcriptura tribuenti voluntati omnia opera omnipotentiæ. ad Epheſios 5. *Operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ.* tum ex S. Leone ſerm: 2. de Nativ: *Deus*, inquit, *cujus natura bonitas, cujus voluntas potentia eſt*; tum etiam ratione: non ſunt multiplicandæ entitates ſine neceſſitate; ſed nulla eſt neceſſitas dicendi omnipotentiam, aut potentiam Dei eſſe perfectionem diſtinctam à voluntate ipſius; ergo hoc non debet dici.

EPISTYLIUM PROBLEMATICUM COLUMNÆ QUINTÆ.

An numerus electorum excedat numerum reproborum.

CO-



COLVMNA VI.

DE SS. TRINITATIS Mysterio.

Trinitatis descriptio.

ASSERTIO I. Datur Sanctissima Trinitas in divinis, consistens in tribus personis realiter inter se distinctis, & ejusdem numero divinæ naturæ. Est de fide quoad omnes partes.

Probatur 1. pars. Datur Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, sed quilibet ex his est Deus, ut habetur Matth: ultimo, & in varijs alijs Scripturæ locis: ergo datur Trinitas. Quod verò realiter inter se distinguantur, probatur: in scriptura dicitur aliquid competere illis, quod reverà non possit illis convenire, nisi essent inter se realiter distinctæ; ergo debent esse sic distinctæ. Prob: antec: psal: 2. dicitur, quòd *Pater genuit filium*; & alibi dicitur, quòd *Spiritus Sanctus à Patre procedit*; sed eadē res non potest se ipsam generare, nec à se ipso procedere; ergo aliquid cōpetit personis, quod revera illis convenire nō posset, nisi essent inter se realiter distinctæ.

Obijc: Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadē inter se; sed Pater & Filius sunt eadem uni tertio: ergo & inter se. ℟. dist: maj: Sunt eadem inter se, eodem modo quo uni tertio, concedo maj: majori unitate, nego maj: & concessa min: nego consequ: Pater enim & Filius inter se sunt essentialiter tantùm idem,

sic

sicut etiā sunt in uno tertio, non verò suppositaliter, quia inter se non sunt sic idem.

ASSERTIO II. Existentia hujus mysterij, seclusâ fide, nullâ ratione naturali evidenti probari potest. *Probatur:* tum ex communi consensu SS. PP. ac Doctorum omnium, si Lullum nostrum excipias; Tum etiam, quia nullum est medium lumine naturali notum, à priori, aut à posteriori, quo hæc veritas evidenter ostendi potest, ergo ratione evidenti probari non potest. Prob: antec: Pater æternus nullam sui causam habet, & idem dic de Filio,& Spiritu sancto, loquendo de causa rigorosa, ergo à priori, seu per causam, mysterium hoc demonstrari non potest. Non etiam à posteriori per effectum, quia omnes effectus creati procedunt à Deo ut unus est, & non trinus, juxta illud vulgare; *opera Trinitatis ad extra sunt indivisibilia;* ergo nec à priori, aut à posteriori demonstrari potest.

Demonstrari non potest.

ASSERTIO III. Intellectus creatus, fide formatus, potest invenire rationes, quibus convenientiam hujus mysterij efficaciter ostendat. *Prob:* Quod de sua ratione formali est sufficiens principium productivũ, illud in quocunq; est sine imperfectione, est principium productivum, sed intellectus habens objectum intelligibile actu sibi præsens, est ex ratione sua formali principium productivum Verbi: ergo ubicunq; est intellectus sic dispositus, erit productivus Verbi. Subsumo, sed in Deo est intellectus, qui & memoria fœcunda dicitur, habens objectum sibi præsens, essentiam scilicet divinam: ergo

Conveniētia ejus ostenditur.

verè producit notitiam genitam in Deo, & ſic datur perſona producens per intellectum, & perſona producta, ſeu genita. Tali modo diſcurratur de voluntate reſpectu proceſſionis Filij, & Concluſio habebit intentũ. *Confirm:* Exemplo ſenſibilis ignis, in quo eſt Trinitas quædam, nam eſt ibi ignis, ſplendor, & lumen, quorum unum ſine altero eſſe non poteſt: ergo inveniri poſſunt rationes, & cõgruentiæ, quibus hujus myſterij convenientia efficaciter oſtendi poteſt.

Obiji: Anima ſeparata poteſt naturaliter videre viſionem beatam, quæ eſt in animâ alterius, ergo & objectum illius, quod eſt Deus unus, & trinus. ℞. diſtingu: antec: quoad eſſe abſolutum quod dicit viſio illa, tranſeat antec: quoad omnem omnino reſpectum, quẽ dicit; nego antec: & diſting: etiam conſequ: Obiectum primarium, id eſt, eſſentiam divinam, tranſeat conſequ: ſecundariam, quales ſunt perſonæ; nego conſequentiam.

Conſtitutio perſonarum divinarum.

ASSERTIO IV. In Deo tres tantùm ſunt perſonæ, quæ per ſe primò & formaliter conſtituuntur, & diſtinguuntur proprietatibus relativis.

1. Pars eſt de fide, & colligitur ex ſcriptura, quæ docet in divinis duas dari productiones, & unam perſonam improductam; ſed hoc eſt probare, dari tantùm tres perſonas: ergo dantur. probo maj: Pſal: 2. *Filius meus es tu.* Joann: 5. *Ego ex Deo proceſſi.* Item Joann: 6. *Paraclitus qui à Patre procedit:* ergo Filius, & Spiritus Sanctus procedunt, & ſic dantur duæ productiones.

Probatur 2. ratione. Principium producti-

vum

vum habens terminum productum intensivè, & extensivè sibi adæquatum in uno supposito, non potest in illo, nec alio supposito habere alium terminum ejusdem rationis, sed intellectus divinus in supposito Patris habet terminum utroq; modo sibi adæquatum; Filium nimirum æternum; ergo nullum alium terminum potest habere; maj: & conseq: sunt certa. Prob: min: generatio, seu productio per intellectum ad intra, in Deo (idem dic de productione per voluntatem) est de se *hæc numero*; ergo implicat aliam ejusdem rationis in Deo reperiri. Prob: antec: si non esset de se *hæc*, deberet esse de se plurificabilis in plura ejusdem rationis, & sic darentur innumerabiles Filij, cùm in divinis idem sit *posse, & esse*: sed hoc non est dicendum; ergo, sicut unica ratio cur non sunt plures Dij est, quia Deitas est de se *hæc numero*, ut omnes dicunt; ita unica ratio cur in Deo non sit nisi unica productio per intellectum, & una per voluntatem est, quia utraq; est de se *Hæc.* & utriusq; principium *quod*, & *quo*, est de se determinatum ad unicum ejusdem rationis terminum, & per hoc patet solutio ad objectiones, quas speculativi hic opponere solent.

Probatur 2.pars. Ubicunq; de divinis personis scriptura mentionem facit, eas exprimit nominibus relativis, ut patet Matth: ultimo. Joan: 5. & alibi sæpè. ergo signũ est quod sentiat illas, relationibus constitui. Idem probatur ex symbolis Apostolorum, Nicæno, & S. Athanasij; nec non ex Toletano 11. quod in initio Confessionis hæc habet: *Sancta Trinitas, nec recedit à numero, nec numero com-*

pre-

prehenditur, in relationibus enim personarum cernitur numerus; idem habet Florentinum in decreto Vnionis: ergo personæ divinæ cõstituuntur proprietatibus relativis.

Divinæ personæ per absolutũ non cõstituuntur. *Probatur 2. ratione.* Non sunt multiplicãdæ entitates sine necessitate; sed nulla est necessitas in divinis admittendi absolutum formaliter constitutivum personarum, ergo non debet admitti. Prob: min: nil impedit, quò minùs tres divinæ personæ formaliter constituantur per ipsas tres relationes, quas dari fides docet. ergo sic constituuntur, & non per absolutum.

Obijc: contra primam partem. In Deo datur principium liberum agendi, nempe voluntas; ergo potest habere plures productiones per voluntatem. ℞. distjngu: antec: liberum libertate essentiali, quæ coincidit cum voluntario, concedo antec: libertate accidentali seu contingentiæ (loquendo ad intra) nego antec: & consequentiam.

Obijcies contra 2. partem. Omnis relatio præsupponit extremum, quod per ipsam refertur; sed hoc esset falsum, nisi daretur aliquod constitutivum formaliter Patris, præter relationem. ergo datur. ℞. negando maj: præsertim quando ipsamet relatio est ratio constitutiva sui extremi, sicut in proposito est Paternitas. *Per hoc patet,* quòd Pater Paternitate, seu generatione activâ constituatur in Esse primæ personæ, quod & ulterius probatur, tum à paritate secundæ personæ, quæ Filiatione constituitur; tum etiam, quia innascibilitas vel improducibilitas, quæ soli primæ personæ convenit, ultra Paternitatẽ, non

dicit

dicit nisi negationem producibilitatis, juxta Aug: quinto de Trinit: c. 6. *Cùm*, inquit, *ingenitum dicitur, non quid sit, sed quid non sit ostēditur*, sed Pater non constituitur per negationem in esse personæ; ergo per solam Paternitatem constituitur.

ASSERTIO V. Præter annumeratas tres relativas proprietates constitutivas personarum, adhuc in divinis datur quarta relatio originis, nempe spiratio activa, Patri & Filio identificata realiter, & à spiratione passiva realiter distincta. *In Divinis quatuor dantur Relationes originis.*

Probatur 1. pars. Ad duas divinas processiones, quatuor relationes sunt necessariæ: ergo dantur. Prob: antec: ad processionem primam, per quam progreditur Filius à Patre, requiruntur duæ relationes, Paternitatis scilicet, & Filiationis, & non plures; Item ad processionē Spiritûs Sancti requiruntur tantùm aliæ duæ relationes, spirationis nimirum activæ, & passivæ; sed ista sunt quatuor tantùm: ergo quatuor tantùm dantur Relationes originis. Nec ex hoc sequitur, quòd in divinis detur vera quaternitas; quia talis exigit ut quodlibet ex quatuor, ab omnibus alijs, & singulis realiter distinguatur, quod in proposito nostro non habetur, nam spiratio activa non distinguitur realiter à Patre, aut Filio.

Probatur jam 2. pars Conclusionis. Spiratio activa est componibilis cum Paternitate & Filiatione in ijsdem suppositis: ergo realiter ipsis identificatur: quod verò distinguatur realiter à spiratione passiva, probatur, tum quia sunt directè & correlativè opposita sibi;

F tum

tum etiam quia compatibiles non sunt in eodem supposito, seu persona; ergo realiter distinguuntur.

Obÿcies contra 1. partem. Si daretur spiratio activa, deberet constituere personam Patris in esse Personæ: ergo non datur. ℞. negando antec: quia præsupponit personam illam jam constitutam per Paternitatem; & sic non constituit illam.

Obÿcies contra 2. partem. Distinctio terminorum, arguit distinctionem relationum, sed generatio activa, & spiratio activa, habent distinctos realiter terminos, Filium, nimirū, & Spiritum Sanctum: ergo distinguuntur inter se realiter. ℞. distingu: maj: quando relationes distinguuntur realiter à fundamentis, concedo maj: quando non sic distinguuntur, nego maj: & concessa min: nego consequentiam.

Proprietates notionales 9. sunt.

ASSERTIO VI. In divinis novem assignari possunt proprietates notionales, & sunt sequentes, Paternitas, Filiatio, Spiratio activa, spiratio passiva, ingenitum, seu simpliciter improductum, inspirabilitas, improducibilitas, ingenerativitas, & ingenerabilitas. *Prob: Notio,* (à notificando dicitur) importat semper aliquid speciale in una persona, quod per aliam notionem non ita clarè, & distinctè innotescit, sed quælibet ex novem assignatis hoc præstat, ut patet discurrenti per illas: ergo quælibet est vera notio.

Relationes divinæ.

ASSERTIO VII. Relationes divinæ in suo conceptu formalī, varias dicunt perfectiones: nullam tamen imperfectionem, aut perfectionem simpliciter simplicem.

Pro-

Probatur 1. pars. Perfectio entitativa, integralis, & convenientiæ ad naturam divinā, sunt perfectiones, & tamen certum est, quòd tales conveniant relationibus divinis: ergo & perfectiones.

Pro Resolutione 2. partis. Adverte perfectionem simpliciter simplicem, ab Anselmo cap: 9. Monol: dici illam, *quæ in quolibet habente illam, melior est ipsâ, quàm non ipsâ.* Hujus descriptionis sensus est, quòd perfectio simpliciter simplex sit, quæ in quolibet supposito, præcisè ut suppositum est, melior est ipsa, quàm omne secum incomponibile in eodem. Vel ut loquitur *Pontius hic* disp: 9. est illa, quæ est compossibilis ex ratione sua formali in eodem supposito, cum omni perfectione non includente imperfectionem, & talis est perfectio scientiæ divinæ, & attributorum, quæ sunt in quolibet supposito compatibilia, cum omnibus perfectionibus excludentibus omnem imperfectionem. Jam

Descriptio perfectionis simpliciter simplicis.

Probatur 2. pars. (de imperfectione non est difficultas) Perfectio simpliciter simplex est illa, quæ in quovis supposito entis, melior est quàm alia secum incompossibilis; sed Filiatio divina, v. g. non est melior in uno quoq; supposito, ut suppositum entis est, quàm Paternitas, quæ est cum illa incompatibilis; ergo Filiatio divina non est perfectio simpliciter simplex.

Confirm: Entitas perfecta perfectione simpliciter simplici, exigit ex ratione sua formali, identificare sibi omnem aliam perfectionē simpliciter simplicem, aliàs posset tali entitati deesse aliqua infinita perfectio simpliciter

simplex, sed Paternitas v. g. non identificat sibi Filiationem, ut Fides docet, ergo neutra est perfectio simpliciter simplex.

Obijcies contra hanc partem. Soli enti infinito convenit esse incomprehensibile; sed relationes originis sunt incomprehensibiles ab intellectu creato: ergo sunt entia infinita. ℞. distingu:maj: Soli enti formaliter, vel idēticè infinito transeat maj: formaliter tantùm infinito, nego maj: & concessâ minori, nego consequentiam.

Obijcies 2. Quodlibet ens est formaliter finitum, vel infinitum; ergo relatio divina, quæ est ens, debet esse infinita, cùm non sit finita. ℞. negando antec: nam sicut ipsa finitas v. g. formaliter considerata, non est ens, nec non ens, sed potiùs differentia contrahens ens, licet bene realiter; sic nec quodlibet ens est formaliter infinitum, aut finitum, unde sufficit, quòd sit ens realiter finitum, vel infinitum.

Subsistētia absoluta admitti debet.

ASSERTIO VIII. Admittenda est in Deo subsistentia etiam absoluta, communis tribus personis. *Probatur.* Per talem subsistentiam intelligimus substantiam communicabilem, per se existentem independenter ab omni alio subjecto, & supposito creato, & incommunicabilem omni realiter à se distincto, sed essentia divina ut præscindit à relationibus, & subsistentijs personalibus, est talis; ergo admitti debet subsistentia absoluta. Patres, & Concilia, ab adversarijs citata, tantùm volunt, & probant in Deo esse tres tantū subsistentias personales, & incommunicabiles; & in Christo non esse nisi unam subsistē-

tiam

tiam personalem, & incommunicabilem; quod & nos libenter fatemur, nam subsistentia absoluta, personam, quæ necessariò incommunicabilis esse debet, non constituit.

ASSERTIO IX. Personæ divinæ servant inter se prioritatem originis, & unaquæq; ex ipsis in altera est per circuminsessionem. *Probatur 1. pars.* Una ex personis divinis procedit ab altera, ut Filius à Patre, & Spiritus Sanctus ab utroq;; ergo Pater est prior origine Filio, & Filius Spiritu Sancto.

Prioritas originis inter personas.

Probatur 2. pars. Circuminsessio est mutua quædam inexistentia unius personæ in alia; sed certum est, quòd tres personæ divinæ sint in se invicem mutuò, juxta illud Joannis 14. *Ego in Patre, & Pater in me est.* & alterum illud Ambrosij: *In Patre totus filius, & totus in Verbo Pater.* ergo per circuminsessionem una persona in altera est.

Una Persona in alia est per circuminsessionem.

Obijcies. Si Persona Filij esset in Patre, Pater denominaretur Filius; sed hoc non potest dici; ergo una persona non est in alia. Prob: maj: Ideo Pater dicitur Pater, quia habet relationem Paternitatis, ergo si in ipso est relatio Filij, poterit dici Filius. ℞. negando maj: & probationis antec: nam non ideo præcisè, sed quia illa relatio est in Patre per modum formæ constituentis, & denominantis personam, quo modo relatio Filij non est in Patre; sed potiùs est per modum subsistentis in subsistente, per intimam præsentiam, sive informatione, aut alio simili modo.

Cur pater non dicatur filius.

Principiũ Quo, divinarũ personarum.

ASSERTIO X. Essentia divina formaliter considerata, non est principiũ quo formale, aut *quod* divinarum processionum, unde illarum principium quo formale & adæquatum est intellectus fœcundus, & voluntas fœcunda.

Probatur 1. pars, tùm quia principium *quod* debet realiter distingui à termino producto; sed essentia divina non distinguitur sic à Filio, aut spiratione passivâ: ergo non est Principium *Quod* unius vel alterius: tum etiã, si Essentia esset principium *quo* vel *quod* processionum, non esset ratio, cur una esset prior alterâ; aut cur una processio sit ab una persona, & altera à duabus: ergo non est Principium *Quo*, aut *Quod*.

Probatur 2. pars. Tum quia in ente purè spirituali, non aliter processio, quàm per intellectũ vel voluntatẽ excogitari potest: ergo intellectus & voluntas sunt principia *quo*, & *quod* illarum processionum: tum etiam, quia filius egreditur à memoria fœcunda, sed hæc non est alia, quàm intellectus cum suo objecto primario, nempe Essentia; ergo Intellectus fœcundus erit principium *quo* Filij; & hoc quidèm loquendo de Intellectu in actu primo, quia ipse intellectus sic consideratus est sufficiens principium *quo* processionis filij. Eodem modo discurre de voluntate fœcunda, respectu spirationis passivæ: ergo intellectus & voluntas sunt principia *Quo* Filij & Spiritus sancti.

Obijcies. Patres dicunt Verbum procedere à Patre, quatenus sapiens est; hoc est, actu intelligens; ergo intellectio essentialis erit prin-

principium *Quo* Filij. ℞. distingu: anteced: quatenus sapiens est in actu primo, id est, bene inclinatus ad intelligendum, concedo antec: quatenus sapiens est in actu secundo, nego antec: & consequ: Vel aliter sic, distinguo antec: quatenus sapiens est concomitanter ad productionem Filij, conc: antec: in sensu reduplicativo, nego antec: & consequ:

Obijc: 2. Principium, & Principiatum distinguuntur inter se realiter; sed intellectus fœcundus non distinguitur realiter à Filio: ergo non est principium Filij. ℞. distingu: maj: principium quod, concedo maj: principium quo, nego maj: *Et si quæras*, quodnam sit principiũ *quod* generationis Filij. ℞. esse Paternitatem, seu generationem activam in Patre, sicut & principiũ *Quod* spirationis passivæ, est spiratio activa in Patre, & Filio, & ratio est: quia nil est in Patre, quod non cõmunicavit Filio, præter ipsã Paternitatẽ; ergo Paternitas est principium *Quod* generationis Filij.

ASSERTIO XI. Verbum divinum non procedit ex cognitione personarum divinarum, aut ullius creaturæ etiam possibilis. *Verbũ non procedit ex cognitione creaturarũ.*

Probatur 1. pars. Impertinens est, cognitio Personarum ad generationem Verbi; imò implicat cognitio illarum ante generationem Verbi, ut patet ex dictis de Ideis. ergo verbũ non procedit ex cognitione illarum.

Probatur 2. pars. Si nulla esset possibilis creatura, Verbũ procederet eodẽ modo quo defacto: ergo præcognitio creaturarum, etiã possibilium, est impertinens ad productionẽ Verbi, consequentia est evidens. Prob: antec: seclusis per possibile vel impossibile omnibus

creaturis, adhuc intellectus fœcundus haberet omnia requisita ad productionem verbi, ut per se patet; ergo verbum divinum non procedit ex cognitione creaturarum.

Obÿcies. Pater antequam producit Filium, habet omnem perfectionem simpliciter simplicem; sed cognitio creaturarum in Deo est talis, ergo præcessit in Patre productionem verbi. ℞. distingu: maj: secundùm omne absolutum quod est in ipsa, omnémq; respectũ ad essentialia *ad intra*, concedo maj: secundùm omnem respectum ad objecta secundaria, maximè *ad extra*, qualis est respectus ad creaturas, nego maj: & concessa min: disting: similiter consequens.

Pater non voluntate, sed volens generat.

ASSERTIO XII. Pater æternus volens generat Filium, non tamen volitione tanquam principio *quo*, aut *quod*.

Probatur 1. pars, tum autho: D. Hilarij in lib: de Synodib: *Eos, qui dicunt,* inquit, *quòd neq; consilio, neq; voluntate Pater genuerit Filium, anathematizat sancta Ecclesia;* tum etiam quia per hoc aliud non denotatur, quàm quòd Pater æternus in primo signo originis, priusquam intelligatur Filius productus, habet actum volendi essentialem, formaliter terminatum ad essentiam divinam, tanquam ad objectum primarium, & per se istius actus, sed hoc à nemine negari debet: ergo neque illud.

Probatur 2. pars. Quia ipsa memoria fœcunda est sufficiens principium quo dictionis seu generationis: ergo voluntas non est principium *quo,* aut *quod* illius.

AS-

ASSERTIO XIII. Secunda Persona Trinitatis, dicitur Verbum, Filius, imago, & figura substantiæ Patris, ejusq; processio ideo dicitur generatio, & Spiritûs Sancti non sic dicitur, quia illa est naturalis, & non voluntaria; hæc verò voluntaria & libera.

Probatur 1. pars. ex Scriptura & PP. frequenter secundam personam illis nominibus appellantibus. *Probatur 2. pars*, & simul etiam prima: illa sola productio debet dici ex conceptu suo, generatio; quæ ex natura sua est à principio agente per modum naturæ; sed talis est productio per intellectum, non autem productio per voluntatem, ut de se patet: ergo productio per intellectum meritò dicitur generatio, Filius, & Verbum; & productio per voluntatem non.

Nomina secundæ personæ, ejusq; à tertia distinctio.

Quòd autem productio Spiritûs Sancti sit etiã libera probatur; est perfectè voluntaria, ergo & libera, antec: est certũ, prob: consequentia, si quid obstaret, quò minùs omne voluntariũ posset dici liberum, maximè quia omne liberum deberet esse contingens; sed hoc est falsum, ut patet tum ex Aug: in Enchir: cap: 15. *Multò*, inquit, *liberius erit arbitrium, quod omnino non poterit servire peccato, quàm quod poterit.* Tum etiam ex Ansel: de lib: arb: c. 1. *Liberior est*, inquit, *voluntas, quæ à rectitudine non peccandi declinare nequit, quàm quæ illam possit deserere*: ergo omne voluntarium potest dici liberum: tum deniq; quia naturale, & liberum sunt differentiæ dividentes adæquatè agens, ut sic: ergo si voluntas divina liberè non produceret Spiritum Sanctum, naturaliter deberet illũ producere; & sic pro-

cederet non *ut datus*, sed *ut natus*, & consequenter esset Filius.

Obijc: Voluntas divina in productione Spiritûs Saancti operatur cum determinatione ad unum: ergo non liberè, sed naturaliter operatur. ℟. negando consequentiam, quia, ad hoc ut dicatur agere liberè, libertate essentiali, sufficit ut agat eligibiliter, & ex perfecta cognitione finis.

Ratio distinctiva secũdæ personæ à tertia.

ASSERTIO XIV. Spiritus Sanctus procedit immediatè à Patre, & Filio; at si per impossibile à solo procederet Patre, adhuc distingueretur realiter à Filio.

Prima pars est de fide, definita in varijs Concilijs, ut patet ex varijs Scripturæ locis, Joann: 5. *Cùm venerit*, inquit Filius, *Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre.* & cap: 16. *Si abiero, mittam illum ad vos.* sed nulla persona dicitur mitti ab alia, nisi à qua procedit, ut docet August: de Trinit: c. 19. ergo cùm Spiritus Sanctus à Patre & Filio mittitur, ab utroque simul procedit.

Probatur 2. pars. Per illud per quod aliquid constituitur formaliter in suo esse, distinguitur res illa à quocunq; alio simile esse non habente; sed Filius in esse personali constituitur Filiatione: ergo Filiatione distinguitur à quocunq; alio, adeoq; à Spiritu Sancto; & consequenter circumscripta per impossibile spiratione activâ à Filio, adhuc distingueretur à Spiritu Sancto.

Confirm: Si per impossibile Pater non spiraret, adhuc intelligeremus Patrem Paternitate distingui à Spiritu Sancto, ergo à paritate,

tate, esto Filius non spiraret, adhuc distingueretur à Spiritu Sancto per Filiationem.

Obijc: In divinis omnia sunt unū, ubi non obviat relationis oppositio; sed si Spiritus Sanctus non procederet à Filio, inter illos non esset talis oppositio, ergo essent idem. R. concedendo maj: & distingu: min: Non esset oppositio correlativa propriè dicta, concedo min: oppositio realis & disparata, nego min: & consequentiam. Pater enim ut talis, realiter distinguitur à Spiritu Sancto, quamvis illi correlativè non opponatur, ergo & Filius ab illo distingueretur, quamvis non occurreret talis oppositio.

Obijc:2. Major perfectio est identitas, quàm distinctio, ubi non obviat relatio producentis, & producti; sed in casu nostro, non obviaret talis relatio, ergo in illo casu identitas est asserenda. R. neg: maj: quia sicut non est major perfectio, ubi obviat illa relatio, quia ibi est impossibilis, & nullum impossibile potest esse perfectius; ita non erit major perfectio in casu nostro, in quo obviat aliquid, cum quo identitas illa est impossibilis, nimirum incompossibilitas spirationis passivæ exeuntis à voluntate, & Filiationis seu generationis passivæ, exeuntis à memoria fœcunda.

EPYSTILIUM PROBLEMATICUM COLUMNÆ SEXTÆ.

An reprehendendus esset, qui ingeniosè Trinitatis Mysterium demonstraret?

CO-



COLVMNA VII.

De Angelis.

Dari Angelos fides probat.

ASSERTIO I. Dari Angelos non ratio naturalis, sed fides evidenter probat.

Probatur 1. pars. Effectus omnes qui de facto Angelis attribuuntur, possunt attribui Deo vel animæ separatæ, ergo ex illis effectibus nequit quis probare evidenter existentiã Angelorum.

Probatur 2. pars. tum ex innumeris utriusq; testamenti locis, in quibus de Angelis fit mentio: tum ex cap: *Firmiter*, in quo definitur, quòd *Deus ab initio temporis utramq; de nihilo condidit naturam, spiritualem & corporalem, Angelicam & mundanam, ac deniq; humanam.* ergo de fide est dari Angelos.

ASSERTIO II. Angeli creati sunt à Deo, in cœlo sidereo, non ab æterno, sed in primo instanti temporis, simul cum cœlo & terra. *Quòd sint creati, prob:* tum ex script: Job: 1. psal: 118. *Ipse mandavit, & creata sunt:* tum ex cap: *Firmiter*, jam citato.

Quo loco sunt creati

Probatur etiam 2. pars. tum quia creationi Angelorum commodior locus assignari non potest; tum etiam quia hæc dicendo facilè, non solùm textus ille Sacræ Scripturæ Isai:14. de Lucifero loquens: *In cœlum ascendam, similis ero altissimo.* sed & alia loca, in quibus de lapsu angelorum fit mentio, explicari poterunt: ergo in cœlo sidereo creati sunt.

Pro-

Probatur 3. pars. tum ex cap: *Firmiter.* tum etiam ex ſcript: Proverb: 8. & Eccl: 24. quibus in locis dicitur, quòd ſapientia incarnata fuerit ab æterno ante omnem creationem, & ante Angelos, ſed hoc non eſſet verum, ſi eſſent creati ab æterno. Ergo non ſunt.

Probatur ultima pars. tum ex cap: *Firmiter,* tum ex illo Eccl: 18. *Qui vivit in æternum, creavit omnia ſimul.* Job 4. *Ipſe*, id eſt, Lucifer, *eſt initium viarum Dei*, id eſt, rerum creatarũ; ergo ſimul cum cœlo, & terra creati ſunt.

ASSERTIO III Angeli ſunt puri Spiritus, naturaliter indeſtruibiles, & phyſicè ſimplices. *1. pars probatur.* tum ex cap: *Firmiter*; tum ex Scriptura, quæ frequenter Angelos ſpiritus vocat; tum etiam ratione, quia Angeli ſunt perfectiores homine, ut patet ex illo pſal: 8. *minuiſti eum paulò minùs ab Angelis*; ſed anima rationalis eſt purè ſpiritualis: ergo & Angelus.

Naturæ Angelicæ explicatio.

Probatur 2. pars. Anima rationalis eſt ex natura ſua (id eſt, exigit quantum eſt ex ſe, & reſpiciendo potentiam ordinariam Dei) indeſtruibilis, ut docet *Conc: Later: ſeſſ: 8.* ergo idem dicendum eſt de Angelo.

Probatur 3. pars ſine ratione, & neceſſitate, diceretur, quòd Angeli eſſent phyſicè compoſiti ex materia prima, & formâ ſubſtantiali: ergo non ſunt ſic compoſiti, & conſequenter erunt Phyſicè ſimplices. Patres qui docuerunt Angelos eſſe corporeos, non errârunt contra fidem, quia tum controverſia hæc non fuit definita; qui vero poſt *Later: Conc:* deciſionem idem docent, meritò temeritatis notâ arguuntur,

Obji-

Obijcies contra primã partem. Angeli Gen: 6. acceperunt sibi uxores, *videntes*, inquit, Scriptura, *filij Dei filias hominum, &c.* sed hoc non facerent nisi essent corporei; ergo sunt corporei, & non spiritus. ℟. negando maj: quia non de Angelis, sed de hominibus justis, qui ex stirpe Zeth descenderunt, loquitur ibi scriptura; vide nostrũ Liranum in commentario supra illum locum.

Obijc: contra ultimam partem. Si Angeli carerent compositione, essent simplices sicut est Deus: ergo non carent. ℟. distingũ: antec: compositione physicâ, nego antec: metaphysica transeat antec: & nego consequentiam: componuntur enim metaphysicè, ex genere, differentia, natura, & suppositalitate ab ea realiter distincta.

Angeli omnes ejusdem sunt speciei. ASSERTIO IV. Quamvis non repugnant diversæ speciei Angeli, omnes tamen defacto existentes ejusdem sunt speciei.

Probatur 1. pars. quia in hoc nulla est repugnantia, ergo non repugnant.

Probatur 2. pars. Nulla est necessitas multiplicandi species Angelorum; ergo omnes sunt ejusdem speciei. Consequentia est evidens, quia non sunt multiplicanda entia sine necessitate. Probatur antec: quia nec pulchritudo universi, nec diversitas Hierarchiarum, contrarium suadent, quia mundo majorem pulchritudinem dare non debemus, quam ratio, vel authoritas dictat; & ejusdẽ speciei Angeli, juxta Dei ordinationem, diversas Hierarchias, id est, Respublicas sacras, constituere possunt, sicut ejusdem speciei homines, diversa habent officia, & dignitates.

AS-

ASSERTIO V. Intellectus Angelicus est ex natura sua discursivus, & ab humano specie distinctus. *Probatur 1. pars.* Est perfectionis in intellectu humano discurrere, inferendo notum ex ignoto, mediante discursu; ergo intellectui Angelico posse sic discurrere, negari non debet. *Intellectus Angelicus ab humano specie distinguitur.*

Probatur 2. pars. tum quia intellectus humanus ex natura sua exigit pro aliquo statu, nempe viæ, dependentiam à phantasmatibus; Angelicus verò nunquam; ergo hic ab illo, specie distinguitur; Prob: consequentia: quotiescunq; unum connaturaliter aliquid exigit, quod ab altero non exigitur, illud debet specie distingui ab illo altero; ergo cùm intellectus humanus aliquid exigat, quod ab Angelico non exigitur, distinguetur specie ab illo, tum etiam, quia Angelicus intellectus est perfectior humano, ut postea dicemus: ergo est specie diversus ab illo.

ASSERTIO VI. Angelus cognoscit aliqua possibilia futura, & præterita, secreta tamen cordis alterius, ipso invito, absq; revelatione cognoscere nequit. *Probatur 1. pars.* nos homines talia cognoscimus: ergo cognitio talium objectorum angelo negari non debet. *Secreta cordiũ soli Deo nota.*

Probatur 2. pars. tum ex Script: 3. Regũ 8. Joann:12. psal: 7. quibus in locis dicitur, quòd solus Deus sit scrutator cordium; ergo. tum etiam ratione, non debetur Angelis concursus Dei necessarius ad cognoscenda secreta cordis alterius, ut docent SS. PP. qui dicunt, certò cognoscere secreta cordis, certissimum esse divinitatis indiciũ. ergo non cognoscunt illa secreta.

At

Posset Angelus cum concursu connaturali Dei cognoscere secreta cordis.

At si Deus vellet connaturaliter cum Angelo concurrere, certum mihi est, quòd possit cognoscere secreta cordis, nam secretum illud, puta cogitatio actualis, est ens naturale, actu intelligibile, debitè proportionatum, & applicatum intellectui angelico; ergo illud naturaliter posset cognoscere, si Deus cum illo connaturaliter vellet concurrere.

Potestas Angeli ad sui cognitionem.

ASSERTIO VII. Potest Angelus se ipsum tam intuitivè, quàm abstractivè cognoscere, non tamen necessariò se sic cognoscit defacto. *Probatur 1. pars.* Substantia Angelica est objectum intuitivè intelligibile, & proportionatum suo intellectui; ergo est intuitivè ab Angelo cognoscibile.

Probatur 2. pars. In tali abstractiva cognitione nulla est difficultas, ergo Angelo negari non debet. *Probatur 3. pars.* Intellectus Angelicus est potentia subordinata voluntati ejus liberæ, taliter ut voluntate volente, ut maneat in consideratione alicujus objecti, debeat ad illud se convertere: sed hoc non esset verum, si necessariò se ipsum, aut alia omnia sibi præsentia cognoscere: ergo non cognoscit.

Objicies. Angelus se ipsum semper intuitivè videt: ergo se nunquam abstractivè cognoscere potest. ℟. concedendo antec: & disting: consequens, defacto, concedo consequentiā, de potentia absoluta, nego conseq:

ASSERTIO VIII. Potest Angelus naturaliter videre visionem beatificam alterius, & existentiam aliorum actuum, & habituum supernaturalium. *Prob:* tum quia in hoc nulla est inconvenientia: tum quia nos

nos ipsi experimur actus nostros supernaturales: ergo Angelus potest non solùm ipsos actus & habitus, sed etiam rationem supernaturalitatis in illis cognoscere: Prob: consequ: potest cognoscere, quòd habitus naturales facilitent ad operandum, & augeantur per actus; & similiter videre, quòd habitus supernaturales, quos entitativè videt, nec augeantur, nec facilitent; ergo potest rationabiliter inferre, quòd sint infusi, & supernaturales. *Potestas angeli in ordine ad alia objecta.*

Obijc: Non potest Angelus naturaliter producere cognitionem supernaturalem, sed cognitio qua cognosceret visionem beatificam; v. g. esset supernaturalis, ergo Angelus non potest naturaliter illã cognoscere. Prob: min: haberetur dependenter à concursu principij supernaturalis, nempe visionis beatificæ objectivè causantis illam cognitionem, sed cognitio dependens causaliter à principio supernaturali, est supernaturalis: ergo cognitio illa esset supernaturalis. ℟. concedendo maj: & negando min: & disting: ejus probationem, haberetur dependenter à concursu principij supernaturalis, elevantis potentiam ad actum, quem naturaliter elicere non potest, nego majorem: dependenter à concursu principij supernaturalis, non elevantis potentiam, sed se tantùm habentis per modum objecti, concedo majorem, & distincta similiter min: nego consequentiam.

ASSERTIO IX. Quamvis angeli possint inter se per signa aliqua supernaturalia loqui; defacto tamen non sic loquuntur; nec etiam per hoc, quòd unus Angelus vellet al-

terum intelligere conceptum suum de ea re, de qua loquitur.

Non loquuntur, neq; per signa, neq; per volitionem intelligendi conceptũ alterius.

Probatur 1. pars. Quia nulla potest ostendi implicantia in hoc, quòd sic possint loqui: ergo non est illis negandum.

Probatur 2. pars. Ut Angeli loquerentur per signa, deberet ab ipsis institui, quòd talia signa, hæc, & illa significarent; sed non possent ab Angelis sic institui, nisi alio aliquo modo possent sibi invicem significare, quod velint illa instituere: ergo loquela ipsorum non bene universaliter defacto explicatur per talia signa, prob: min: quia antequam instituissent Angeli signa illa, aut dum deliberâssent de eorum institutione, quæro per quid se mutuò intelligebant? non per signa talia, aliàs daretur processus in infinitum, ergo per aliquam aliam loquelam independenter à signis. *Probatur 3. pars.* tum quia sine omni fundamento dicitur, quòd voluntas unius Angeli, habeat vim determinativam intellectûs alterius, ad intelligendum conceptum illius Angeli, cujus est ipsa volitio; tum maximè, quia si sic loquerentur, non possent inter se mentiri, sed hoc est falsum, loquendo solùm de malis Angelis, & etiam in statu viæ, loquendo de bonis, ergo non est dicendum: Prob: sequela maj: secundùm Pontium, cujus est illa sententia, Deus producit speciem, & intellectionem conceptûs unius Angeli in intellectu alterius, aut saltem ipsam intellectionem; sed Deus non producit speciem, nec concurrit ad intellectionem conceptûs, qui reverà non est, & consequenter Angelus nunquam potest mentiri,

Reijcitur Pontius.

quia

quia alter Angelus nunquam intelligit conceptum illius de aliqua re, quæ revera non sit. Confirm: sine necessitate recurritur ad Deum in tali casu. Ergo non est recurrendum.

ASSERTIO X. Vnus Angelus alteri loquitur, per hoc, quòd Angelus loquens, mediante suo intellectu, producat in intellectu audientis cognitionem sui conceptûs, ut ab eo procedentis de re aliqua. *Prob:* tum authorit: SS. PP. dicentium intellectum esse linguam Angelorum; tum quia modus ille explicandi loquelam Angelorũ est facilis, nam sicut potest Angelus producere intellectionẽ sui conceptûs de re aliqua, in se ipso, non video, cur etiam non possit illam in intellectu alterius angeli, debitè applicato, & non impedito producere, & hoc modo angeli superiores illuminant inferiores, revelando illis arcana, sibi solis à Deo anteà revelata. *Modus verus, quo Angeli sibi loquuntur* *Quomodo Angeli superiores illuminẽt inferiores.*

Obijc: Intellectus est potentia immanenter agens: ergo non habent virtutem productivam talis conceptûs. ℞. negando antec: vel illud distinguendo, immanenter agens quoad aliquos suos actus, concedo antec: quoad omnes, nego antec: & consequentiam. *Intellectus Angeli indiget speciebus.*

ASSERTIO XI. Intellectus Angelicus indiget speciebus ad res non præsentes cognoscendas. *Probatur.* Intellectus Angelicus non est causa adæquata intellectionis, nam ad ipsam concurrit objectum, vel aliquid supplens vices ipsius, sed ad cognitionẽ rei absentis non concurrit ipsum objectum; ergo aliquid aliud supplens vices ejus concur-

rere debet; ſed illud eſt ſpecies: ergo Angelus indiget ſpeciebus ad intelligendum.

Dixi *non præſentes*, quia cùm ſpecies vicaria ſit objecti, præſente objecto, non concurrit cum intellectu Angelico ad cognitionem, quia talis concurſus eſſet ſuperfluus; ergo non eſt admittendus.

Angeli nõ habẽt ſpeciem universalem.

ASSERTIO XII. Angeli defactò non habent ſpecies univerſales, hoc eſt, ſpeciem unam repræſentativam omnium, quãvis talem non repugnare putamus.

Probatur 1. pars. Species tales non producerentur ab objectis, quia non ſunt nata aliter cauſare ſui ſpeciem, quàm ut quodvis unã ſingularem producat: non etiam à Deo infunderentur, quia ſine fundamento id diceretur. ergo non dantur.

Probatur 2. pars. In productione talium ſpecierum nulla eſt repugnantia. ergo non repugnant.

ASSERTIO XIII. Angelus habet eſſe in loco per ubi ſpirituale in ipſo ſubjectatũ. *Prob:* à paritate corporis, quod in loco conſtituitur per ubi materiale: ergo & Angelus per ubi ſpirituale.

Locus Angelorum qualis.

ASSERTIO XIV. Angelus habet determinatum locum quoad magnitudinem, ſic ut majorem occupáre non poſſit. *Prob:* Si non haberet talem locum, eſſet immenſus ſicut Deus, ſed hoc non eſt dicendum. ergo habet determinatum locum.

Angelus aſſumit ſed non informat corpꝰ

ASSERTIO XV. Poteſt ſe ipſum Angelus localiter movere, & aſſumere corpus, non tamen informando ipſum.

Probatur 1. pars Lucæ 10. *Vidi Sathan deſcen-*

ſcendentem de cælo : ſed non deſcenderet, niſi ſe poſſet movere ; ergo poteſt. Deinde in hoc nulla eſt inconvenientia.

Probatur 2. pars. tum ex exemplo Dæmonum, qui defactò ſic aſſumunt corpora, illiſq; mediantibus varias exercent operationes vitales ; tum etiam, quia id non eſt denegandum virtuti angelicæ.

Probatur ultima pars. Si Angelus informaret corpus, faceret cum illo unum per ſe ; ſed hoc illi repugnat, quia eſt ens completū : ergo non informat illud.

ASSERTIO XVI. Angeli in primo inſtanti creationis ſuæ, receperunt à DEO gratiam ſanctificantem, cujus collationem pro illo inſtanti mereri poterant : ſed non meruerunt. *Gratia Angeli.*

Probatur 1. pars. Adam, ut docet Trident: Seſſ: 5. c.1. conditus erat in gratia ſanctificante : ergo & angelus, præſertim cùm nulla ſit ratio, ob quam collatio illius deberet differri.

Probatur 2. pars. Non implicabat, ut angeli elicerent aliquos actus bonos priùs natura, quàm infudebatur ipſis gratia ſanctificans : ergo intuitu illorum actuum, potuit illis infundi talis gratia.

Probatur 3. pars, quia nec ratione, nec authoritate conſtat, quod defacto meruerint illam gratiam : ergo non eſt dicendum, quòd illam meruerint.

ASSERTIO XVII. Veriſimilius eſt, quod defacto nullus Angelus peccavit in primo inſtanti creationis ; poterant tamen omnes, de abſoluta potentia, pro illo inſtanti peccare. *In primo inſtanti creationis nō peccavit, peccare tamen potuit Angelus.*

Probatur 1. pars. Omnes creati sunt pro illo instanti in gratia sanctificante: ergo pro instanti illo non peccârunt.

Probatur 2. pars. Omnia principia quæ habebant Angeli ad peccandum in secundo, vel tertio instanti, post creationem, habuerunt in primo; sed insequentibus illis instantibus poterant peccare, secundùm omnes: ergò & in primo. prob: maj: nullum proximum principium habuerunt ad peccandum pro secundo, & tertio instanti, nisi voluntatem liberã; cognitionem mali, & concursum generalem Dei; sed hæc omnia habuerunt pro primo instanti: ergo pro primo instanti poterant peccare.

Primum Angeli peccatum. ASSERTIO XVIII. Peccavit Angelus varijs modis; primum tamen peccatum ipsius non fuit probabiliter loquendo superbia proprie dicta, sed amor inordinatus sui.

Probatur prima pars. Diabolus inordinatè concupivit unionem hypostaticã, & beatitudinem supernaturalem; item inordinatè appetijt superioritatem super alias creaturas, & se æqualem esse cum Deo, ut Theologi fatentur communiter: sed ista sunt peccata diversa. Ergo Angelus diversimodè peccavit.

Probatur 2. pars, quamvis poterat peccato superbiæ primo peccâsse, tamen verisimilius est, quod fuerit magis propensus ad inordinatum amorem sui, quam ad aliud malum; ergo prius illo amore peccavit, quàm alio.

Confirm: Amor ille optimè assignari posset pro radice superbiæ: ergo si ulla est prioritas inter superbiam & hunc amorem, potiùs dicendum est hanc fuisse priorem, quàm illam.

Obij-

Obijcies illud Eccles: 10. *Initium omnis peccati est superbia.* Tobiæ 4. *In superbia initium sumpsit omnis perditio:* ergo superbia, & non amor ille fuit primum Angeli peccatum.

℟. loca illa intelligi de superbia radicali, amore scilicet illo inordinato sui, qui est ordinariè causa, ob quam quis incidit in superbiã formalem; & per hoc patet ad alias objectiones, quas hic multi adducunt.

ASSERTIO XIX. Peccatum Luciferi fuit alijs occasio peccandi. Ex novem ordinibus angelorũ aliqui tantùm lapsi sunt, & perierunt. *Seductor Angelorũ Lucifer.*

1. Pars patet ex Apoc: 12. ubi dicitur, *quòd cauda Draconis* (id est Luciferi) *traxerit secũ tertiam partem stellarum*, sed hoc non esset verum, nisi Lucifer seduxisset alios: ergo seduxit. *Probatur 2. pars.* quia certum est ex novem Angelorum ordinibus, aliquos jam esse beatos; ergo nullus integer ordo ex ipsis cecidit.

ASSERTIO XX. Dantur Angeli custodes, & ex quolibet ordine ad custodiam aliqui mittuntur. *Hæc est certa de fide*, quoad primam partem, ex script: psal. 90. *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te, &c.* & Matth: 18. *2. etiam pars patet* ex communi consensu PP. ac Doctorum, quorum authoritate potiùs quàm evidenti ulla ratione probatur. *Custodes hominum.*

EPISTYLIUM PROBLEMATICUM COLUMNÆ SEPTIMÆ.

An in sedẽ nobilissimi quondã Archangeli Luciferi, Seraphicus Franciscus sit sublimatus?

CO-



COLVMNA VIII.

De opere sex Dierum, statu Innocentiæ, ac Beatitudine supernaturali.

Propriè dictæ dies creationis.

ASSERTIO I. Labore sex dierū propriè dictorum Orbis universus creatus est. Probatur, tum ex script: Genes: 1. & Exod: 20. tum etiam, quia sine fundamento allegoricè pro cognitionibus matutinis, & vespertinis, dies illi explicantur. ergo non debent sic explicari.

Obijc: Illud Eccl: 18. *Qui vivit in æternum, creavit omnia simul:* sed non esset verum, quòd omnia simul crearet, si loca illa scripturæ intelligi deberent de sex diebus propriè dictis: ergo non debent sic intelligi. ℞. ly *simul* ibi, sicut in cap: *Firmiter*, non denotare simultatem temporis, sed potiùs rei, hoc est dicere, quòd Deus tam unā, quàm omnia creavit, quod non est ad rem.

Opus primæ & secūdæ diei.

ASSERTIO II. Opus primæ diei sunt cœlum, terra, aqua, lux sensibilis, & materialis: secundæ verò diei, Firmamentum dividens aquas veras elementares, quas supra se tenet, ab aquis hisce inferioribus. *Hæc assertio* quoad omnes partes colligitur expresse ex genesi, præterquàm quòd expresse non dicat, lucem factam primâ die esse sensibilem, & materialem, & aquas supra firmamentum esse elementares.

Prob:

Prob: Concluſio de luce; tum ex communi conſenſu SS. PP. ſic ſentientium: tum etiam, quia hoc dicendo, verba ſcripturæ propriè accipientur, prout ſonant. ergo debet ſic dici:

Dices, die quartâ fecit Deus luminaria magna: ergo malè dicimus lucem factam primâ die, fuiſſe veram lucis qualitatem. ℞. negandò conſequentiam, quia lux illa fuit vera illuminatio hujus noſtri Hemiſphærij, facta à Sole creato etiam illa die in altero hemiſphærio, & movente ſe ad hoc noſtrum.

Dices 2. Solē & lunam fuiſſe creatos quartâ die, ut habetur Geneſ: 1. v. 19. ergo. ℞. negando antec: nam ſimul cum alijs corporibus cœleſtibus creati ſunt quoad ſubſtantiam; & quartâ die quoad augmentum luminis majoris tantùm, quod ſufficit ad ſatisfaciendum Scripturæ loco, ab adverſarijs adducto.

Probatur etiam Concluſio de aquis, quia ſine fundamento aſſeritur, quòd non ſint veræ elementares aquæ; ſunt enim aquæ nubium, & aliarum ſimilium impreſſionũ, quæ quandoq; decidunt ad partes has inferiores; ergo ſunt veræ aquæ.

ASSERTIÒ III. Tertia die congregavit Deus aquas in locum unum, miniſterio fortè Angelorum, vel per infinitam ſuam omnipotentiam, concavitatem magnam in viſceribus faciendo; in quam virtute divina, vel naturali propenſione aquarum ad deſcēdendum, aquæ ſtatim confluxerunt: Hac die etiam plantas, & herbas, nec nòn vegetabilia alia in debita magnitudine, & multitudine ſufficienti producta ſunt, & conſe- *Opus tertiæ diei.*

quenter Paradisus herbis, & plantis ornatus est. Hæc quoad omnes partes est communis, & patet ex Scriptura supra citata.

Opus quartæ, quintæ & sextæ diei.

ASSERTIO IV. Quartâ die præter augmentū luminis in sole, luna & stellis productum, nil singulare invenio factum. Pisces, & aves, in varietate, & multitudine magnâ quintâ die, & simul cum Proto-Parentibus nostris, reliqua animantia sextâ die creata sunt. *Hæc etiam quoad omnes partes habetur* expressè in Scriptura. Unde de Protoparentibus nostris, hæc subsequentia obiter notanda sunt.

Proto-parentes à solo Deo producti sunt.

I. Ipsum Deum, sine ullo Angelorum ministerio illos produxisse; Adamum quidem ex limo loci illius, in quo creatus est: qui limus terra fuit rubra, seu rufa, teste Josepho. Evam verò ex vera Adami costa, quæ

Eva ex vera costa.

costa sine ulla inconvenientia potuit esse à Deo studio producta in Adamo, ad formandum ex ea corpus Evæ; & sic ex illius absentia in Adamo non fuit defectus corporalis.

Statura pulchra & proportionata protoparentū

II. Quòd statura utriusq; fuerit valdè proportionata, & accommodata ad actiones tam corporis, quàm animæ exercendas, sicut ordinariè solet esse statura hominum, anno 34. ætatis eorum.

III. Utrumq; fuisse creatum cum magna pulchritudine, ac dispositione corporum.

IV. *Adamum sine controversia fuisse rufum,* ut docet Josephus lib: 1. Antiquitatum c. 4. *& ratio est, quia color ille in se pulcher est, temperatæ complexionis indicium, & in scriptura, præ alijs coloribus sæpè laudatus;* ergo Adamo à Deo creato tribuendus est. Tum denique,

quia

quia sicut Adam cuncta animalia nominibus illis convenientibus vocavit, sic etiam credendum est Deum illum nominasse, nomine illi convenienti, sed vocavit illum Adam, quod latinè, teste Josepho, significat rufum. Ergò fuit rufus.

Quod dico de Adamo, idem de Christo Domino sentio, ob has rationes. Primò Christus, qui secundus Adam est, fuit præfiguratus in proto-parente Adamo, & in Davide, qui, sine controversia, rufus erat: ergò cùm nullam in Christo arguat imperfectionem, tenendum est, quod fuerit rufus, & sic perfectiùs appareat figuræ veritas. Secundò credendum est, Deum, qui se solo primum hominem creavit, inter alias perfectiones, optimum illi tribuisse colorem; sed ut jam ostendi, tribuit ei colorem rufum, ergo color ille optimus est & præferendus alijs coloribus; Subsumo, sed præstantior color Christo Domino, qui *speciosus fuit præ filijs hominum*, simul cum alijs perfectionibus corporalibus tribuendus est: ergò & rufedo. Tertiò, experientià constat, rufos ordinariè ingeniosos esse, suaves, misericordes, magnanimos, fideles, & mites; sed perfectiones illæ in Christo maximè eminebant: ergo fuit rufus.

Non solùm Adamus, sed etiam Christus rufus erat.

Reprehendendi ergo sunt pictores (nisi dicas illis licere æquè ac Poëtis fingere) qui proditorem illum Judam, in notam ignominiæ, rufum pingunt, cùm deberet potiùs pingi niger, sicut dæmon, nam si perversitas animi ex ullo colore rectè colligitur (quod non credo, nam boni & mali rufi, castanei & nigri inveniuntur) saltem ex rufedine, in Scri-

ptura

ptura toties laudata, non colligitur; unde vulgare illud adagium, *à nigro, calvo, & bleso, libera me Domine quæso.* ruforum mentionem non facit.

Autor suorum parentum mentionẽ facit.

Nec juvat dicere, me hic pro mea agere domo; nam ex 27. filijs, & filiabus, quos carissima mea Domina Mater, Margarita nata de Mollonij, cum dilecto meo Domino Parente, Milero Bruodino (usq; ad Crumvelis Tyrannidem, hæreditario jure hæc in Tuomonia possederunt Bona, *Balliogan, Drumbannuf, Cluonàvillen, Cnoknamuki, & Boliduf;* quorum hic facio mentionem, ut sic optimis meis Parentibus, *quorum memoria in benedictione est,* pro tot acceptis beneficijs, filialis mei affectûs indicium aliquod rependere videar) habuit; nullus fuit in capillis rufus; licèt bene in barba, prout ego sum; sic non gratiâ mei, sed gratiâ potiùs veritatis indagandæ hæc scribo.

Dices cum P. Bonaventura Bruodino (Patruelis meus est, qui per duodecim continuos annos, ex quibus per septem annos in celeberrimo hoc Nivensi Conventu habitavit, & etiam docuit, in nominatissimo Eminentissimi Principis Cardinalis ab Harrach Pragensi Seminario, summa cum laude, primò Philosophicam, & posteà primariam Theologicam Cathedram rexit) Protoparentem post lapsũ fuisse primò à DEO sibi offenso, Adam seu rufum in signum displicentiæ, vocatum; ergo non debemus ignominiam illam Christo tribuere, qui Patrem nunquam offendit, ut eum dicamus rufum. *Contrà*, in Scriptura Genes. 2. v. 19. 20. & 21. primus parens nominatur

Reijcitur Bruodinus junior.

natur *Adam*, & hoc antequam peccavit: ergo falsum est, quòd in signum offensionis divinæ, post peccatum primò fuerit Adam vocatus. Alia quæ ipse contra hanc meam assertionẽ in suo tractatu de opere sex dierum, habet, non adduco, quia reverà nihil concludunt, & tractatus ipse adhuc lucem publicam non vidit.

Paradisus de facto existit. Lignum vitæ moralem tantùm habuit virtutem.

ASSERTIO V. Paradisus defacto existit, lignum vitæ, moralem tantùm virtutem causandi talem effectum habuit.

Probatur 1. pars. tum ex communi consensu SS. PP. tum ex script: quæ docet Eliam & Enoch fuisse illuc translatos.

Probatur 2. pars. Non est potior ratio, cur Sacramentis negatur, in probabili sententia, physica virtus causandi gratiam, quam lignis vitæ, ac scientiæ boni, & mali, physica virtus causandi illos effectus: ergo non physicè, sed moraliter illos causant.

Compatibilitas status Innocentiæ cũ peccato.

ASSERTIO VI. Status Innocentiæ compatibilis erat cum peccato mortali. In eo parentes priùs venialiter quàm mortaliter peccare potuerunt.

Probatur 1. par. Quamvis Charitas, quæ maxima perfectio erat illius status, per quodcunque peccatum mortale tolleretur, adhuc quoad reliquas perfectiones posset status ille manere, præsertim quoad subjectionem partis sensitivæ ad rationem, & immortalitatem, si ab esu pomi vetiti abstinerent: ergo aliud aliquod mortale peccatum distinctum ab esu pomi potuit absolutè esse compatibile, cum statu innocentiæ.

Probatur 2. pars. Non est potior ratio, cur

priùs

priùs potuiſſet Adam peccare mortaliter, quàm venialiter; ſed de facto peccavit priùs mortaliter: ergo potuit peccare venialiter.

Peccatum primũ eorũ poterat eſſe veniale. *Objicies* contra hoc, peccatum veniale tolleret ſtatum innocentiæ, & ſummam ejus rectitudinem: ergo eſſet mortale in illo ſtatu. ℞. negando antec: nam nil niſi negationem ſui, quæ eſt pars aliqua innocentiæ, & rectitudinis tolleret.

Dona quæ accepit Adã in creatione. ASSERTIO VII. Adam in primo inſtanti ſuæ creationis, præter virtutes morales, & gratiam ſanctificantem, recepit fidem, ſpem, & charitatem. *Prima pars* de virtutibus & ſcientijs naturalibus colligitur expreſsè ex Eccleſ: 17. *Cor dedit illis excogitandi: & diſciplina intellectûs replevit illos: creavit illis ſcientiam ſpiritus; & ſenſu complevit corda eorum, &c.* De gratia ſanctificante dubitare non poſſumus poſt Trident: ſeſſ:5. cap: 1. ubi habetur: *quòd Adam per peccatum juſtitiam, & ſanctitatem amiſit, in qua à Deo erat conditus.* De virtutibus tribus Theologicis, quod nimirùm illas habuerit, *probatur*, à paritate donorum naturalium, & gratiæ juſtificantis Adæ pro illo inſtanti conceſſorum.

Juſtitia originalis ſtatu Innocentiæ durante, duraret. ASSERTIO VIII. Omnes poſteri Adæ durante ſtatu Innocentiæ, haberent juſtitiam originalem; non confirmarentur tamen in gratia, antequam vincerent primam tentationem. *Probatur 1. pars.* Haberent immortalitatem, virtutes morales infuſas, ac ſcientias naturales, gratiam ſanctificantem, Fidem, Spem, & Charitatem, alias (loquendo de his ultimis donis) non eſſent Filij Dei, nec conſequenter innocentes, quoad omnem perfe-

perfectionem illius statûs, sed in his consistit justitia originalis: ergo haberent justitiam originalem.

Probatur 2. pars. Ipse Adam non erat confirmatus in gratia, ut patet ex ipsius lapsu, sed descendentes ex illo non deberent habere meliorem conditionem, quàm ille habuit: ergo non statim confirmarentur in gratia. *Quando existentes in statu Innocentiæ fuissent cõfirmati in gratia?*

Probatur ultima pars, secundùm Ansel: l.1. Cur Deus homo. Si ipse Adam vicisset primã tentationem, fuisset confirmatus in gratia: ergo si perseverâsset ille status, descendentes ex illo statim ac vicissent primam tentationem, confirmarentur in gratia.

ASSERTIO IX. Beatitudo formalis subjectatur immediatè in potentijs animæ rationalis; Ejus objectum formale est ipse Deus. *Probatur 1. pars.* Beatitudo formalis non distinguitur à visione & fruitione; sed hæ subjectantur in potentijs animæ, ut anteà diximus; ergo & Beatitudo formalis: *Subjectum Beatitudinis formalis ejusq; objectum.*

Probatur 2. pars. Objectum beatitudinis est illud, quo perfectissimè quietantur potentiæ rationalis animæ; sed solâ visione & fruitione DEI, satiantur prædictæ potentiæ: ergo Deus est objectum Beatitudinis formalis.

Objicies. Pecuniæ omnia obediunt; ergo erit objectum beatitudinis formalis. ℞. negando consequent: quia locus ille intelligendus est de hisce transitorijs, & venalibus rebus, non vero de æterna felicitate.

ASSERTIO X. Beatitudo formalis animæ, principaliùs consistit in fruitione, quàm in visione beatifica. *Prob:* ex August: de Doct: Christ: cap: 6. *Summa,* inquit, *merces* *In quo cõsistat Beatitudo animæ.*

ces est, ut ipsâ fruamur; sed beatitudo est summa merces laborum nostrorum, ergo consistit magis principaliter in fruitione, seu amore amicitiæ, quàm in visione.

Confirm: tum quia operatio voluntatis, qualis est fruitio, magis commendatur in scriptura, quàm operatio intellectûs, ut patet ex illo Pauli, *si linguis hominum loquar, &c.* tum etiam, quia perfectissima beatitudo consistit in operatione perfectissimæ potentiæ, sed voluntas est perfectior intellectu, ut probavi in libris de anima; ergo in operatione illius consistet principaliter beatitudo.

Dixi *principaliùs*, quia certum est, quòd intellectus conjungatur Deo per visionem, & consequenter quod visio illa extensivè perfectionem formalem beatitudinis ingrediatur, & hoc est quòd fortè volunt Thomistæ, nec aliud probant ipsorum objectiones.

Objic: Summa miseria consistit in pœna damni, quæ nil aliud est, quàm privatio visionis beatificæ; ergo ipsa visio, & non fruitio, est summa, & principalis beatitudo. ℞. negando antec: pro secunda parte, quia consummata illa miseria, in utriusq; actus. visionis scilicet, & amoris, privatione consistit; & quidem ultimatè in privatione fruitionis, quia simpliciter pejus est Deum odire, seu non amare, quàm non videre.

Appetitus viatoris ad Beatitudinem. ASSERTIO XI. Beatitudinem appetit viator necessario, appetitu innato, non verò appetitu elicito. *Prob:* Non potest voluntas non appetere suam perfectionem, seu non habere inclinationem naturalem ad illam; sed appetitus innatus, in tali inclinatione

tione consistit. ergo voluntas necessariò, appetitu innato, appetit Beatitudinem. *Ex hoc patet*, quod appetitu innato, etiam Dæmones beatitudinem appetant.

Probatur 2. pars. Voluntas creata circa quodcunq; objectum suum, est taliter libera, etiam libertate contradictionis, ut nisi extrinsecè impediatur, possit re ipsâ convertere se, vel avertere à quocunq; objecto, ad quodcunq; aliud sibi sufficienter applicatum: ergo in statu viæ propositâ sibi beatitudine, per nudam apprehensionem objecti, potest se ab illa avertere, & consequenter appetitu elicito non necessariò illam appetit.

Objcies contra hanc partem. Voluntas non potest non velle illud, in quo nullus est defectus boni, nec mali ratio; sed in fine ultimo nullus est defectus boni, nec ratio mali; ergo non potest voluntas non velle istum finem. ℞. negando maj: nam supposita quacunq; apprehensione, potest voluntas suspendere omnem suum actum, ut posteà dicemus.

ASSERTIO XII. Voluntas beati non physicè, sed moraliter necessitatur ad amandum Deum clarè visum.

Probatur 1. pars. Eadem est entitas & natura voluntatis in via, & in patria; sed in via non necessitatur physicè ad amandum Deum, sub ratione omnis boni propositum: ergo nec in Patria.

Voluntas Beati moraliter tãtùm necessitatur ad amorem.

Probatur 2. pars. Objecta delectabilia in hac vita, ita moraliter necessitant voluntatem ad ea amanda, ut sine gratia particulari, non possit non amare illa, non obstante periculo incurrendi damnationem æternam,

ut patet experientia : sed certum est, Deum esse magis delectabilem videnti ipsum clarè, quàm sint illa quomodocunq; percepta : ergo moraliter necessitat voluntatem ad amandum illum.

Perpetuitas beatitudinis.

ASSERTIO XIII. Beatitudo formalis perpetua est à parte post : de ejus tamen essentia nec perpetuitas est, nec securitas, nec gaudium, quamvis ad perfectionem ejus extrinsecam spectent.

1. *Pars* est definita contra Begardos. *Probatur 2. pars, & simul etiam aliæ.* Duratio de nullius rei permanentis est intrinsecâ ratione, nam res quævis talis post sui existentiam, potest statim divinitùs annihilari, sed hoc non esset verum, si perpetuitas esset de essentia Beatitudinis. Ergo non est. Eadem ratione probatur, quòd securitas, quæ semper respicit perpetuitâtem, non sit de perfectione intrinseca beatitudinis. De gaudio non est magna difficultas, quia præsupponit beatitudinem : ergo non est de illius essentia.

EPYSTILIUM PROBLEMATICUM COLUMNÆ OCTAVÆ.

An si perseverasset Status Innocentiæ, electi jam ex reprobis nati, nascerentur?

CO-



COLVMNA IX.

De Actibus humanis.

ASSERTIO I. Voluntarium est actus quo ab intrinseco potentia appetitiva, fertur in objectum præviâ cognitione. Hoc modo, etiam bruta agunt. *Definitio voluntarij.*

Probatur 1. pars. quia sufficienter, & bene declarat naturã definiti: ergo est bona. Probatur antec: illud explicando. per ly *actus quo ab intrinseco*, convenit cum omni actu vitali. Per ly *potentia appetitiva*, excluduntur operationes intellectûs quà tales; ly *præviâ cognitione*, additur claritatis potiùs, quàm necessitatis gratiâ, ad denotandum, quòd voluntariũ debeat necessariò esse ex præviâ cognitione illius, qui actum elicit.

Probatur 2. pars. (de Deo, Angelis & hominibus non est difficultas) bruta spontaneè agunt: ergo & voluntariè. Deinde certum experientiâ est, bruta agere ex prævia cognitione finis, ut patet in canibus, felibus, & hujusmodi alijs animalibus, quæ latratu, pedũ extensione cibum petunt, ergo & voluntariè. *Voluntariè etiam bruta agunt.*

Objicies contra primam partem. Nostra descriptio non convenit purè omissioni liberæ; ergo non est bona. Prob: antec: Omissio illa non est actus, sed voluntarium est actus. ergo. ℞. negando antec: & distingu: ejus probationis maj: non est actus positivus concedo maj: non est actus interpretativus, id est, ali-

quid æquivalens actui positivo in ordine ad prosequendum, vel fugiendum liberè objectum, nego maj: & consequentiam.

Qualis divisio voluntarij in liberum & necessarium.

ASSERTIO II. Divisio voluntarij in liberum, & necessarium est tantùm subjecti in accidentia. Datur in nobis libertas etiam in ordine ad actus conducentes ad vitam æternam; ratione licet naturali, saltem quà talis est indemonstrabilis.

Probatur 1. pars. Idem voluntatis actus est indifferens ut sit liber, vel necessarius, imò de libero in necessarium potest transire, ut posteà dicam, sed neutrum esset verum, si liberum & necessarium specie physicâ inter se realiter distinguerentur, ergo non distinguuntur, & consequenter illa divisio erit subjecti in accidentia tantùm.

Probatur 2. pars. tum ex Apost: ad Cor: 5. *Non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis:* tum etiam, quia in nobis datur potentia, quæ positis omnibus prærequisitis ad agendum, potest agere & non agere; sed nomine liberi arbitrij talem intelligimus: ergo talis in nobis datur.

Confirm: tum experientiâ, quâ etiam Lutheranus sibi conscius est, se liberè observare aliqua Dei præcepta: aliàs omnes Lutherani essent fures. *tum etiam,* potest quis liberè legere librum aliquem, & non legere (successivè loquor) ergo possit hoc facere, quamvis à Deo esset præceptum, sed tunc eliceret actum meritoriè conducentem ad vitam æternam: ergo talis actus liberè elici potest.

Libertas hæc indemonstrabilis est.

Probatur ultima pars. Ipsa vita æterna est naturaliter indemonstrabilis: ergo indemonstra-

ſtrabile eſt, quòd in nobis detur libertas in ordine ad actus conducentes ad vitam æternam.

ASSERTIO III. Actus dicitur produci liberè, denominatione extrinſeca proveniente à potentia, potente, poſitis omnibus prærequiſitis ad actionem, effectivè eam ponere, vel non ponere. *Probatur.* Actus liber per hoc ſolùm diſtinguitur à neceſſario, quòd liber actionem talis potentiæ terminet: ergo dicitur liber denominatione deſumpta ab illa terminatione. *Vnde actꝰ dicatur liber.*

Obyc: Manente actione ejusdem rationis in voluntate, actus fit de libero neceſſarius, & è contra; ergo non à terminatione actionis habet actus, quòd ſit liber. Prob: antec: quando Deus neceſſitaret voluntatē ad conſervandum actum jam productum, ut poteſt, tranſiret tunc actus de libero in neceſſarium, & tamen actio eſſet ejusdem rationis, quia principium & terminus illius, id eſt voluntas, & actus ejusdem, eſſent ejusdem rationis ſemper: ergo non à terminatione actionis potentiæ actus dicitur liber. ℞. negando antec: & diſtingu: conſequens: à terminatione actionis præcisè concedo conſequentiā; actionis potentiæ potentis actum ponere, & non ponere, conſervare, vel non conſervare, nego conſequentiam, hoc ultimum nos requirimus ad hoc, ut actus à terminatione actionis dicatur, & ſit liber, & cum ſola voluntas ſit talis potentia, propterea concludimus libertatem formaliter & radicaliter in illa conſiſtere.

Potest dari omissio purè libera.

ASSERTIO IV. Potest dari omissio pura libera, etiam sine ullo præcepto.

Probatur 1. pars. tum quia potest voluntas nullum elicere actum, sed tunc haberet omissionem puram liberam omnis actus positivi: ergo talis est possibilis. tum etiam, quia admittendo, quòd voluntas posset purè omittere (cujus rei inconvenientiam, nec ratio, nec authoritas ostendit) libertas maximè juvaretur, & extolleretur, ergo hoc est admittendum.

Probatur 2. pars. Ut volitio sit libera, non requiritur præceptum, ergo nec requiritur, ut pura omissio sit libera. antecedens est certum, & consequentia à paritate patet.

Obijcies contra primã partem. In exercitio libertatis, actus secundus debet necessariò aliquid superaddere actui primo; sed pura omissio nil superaddit voluntati sumptæ per modum actûs primi: ergo pura omissio non potest esse libera, maj; est certa: prob: min: Voluntas cum pura omissione nil aliud est, quàm voluntas cum privatione omnis actus, sed in actu primo est talis. ergo pura omissio nihil superaddit voluntatis. ℞. negando min: cum minori suæ probationis; voluntas enim, quatenùs præcisè dicit illa, quæ in actu primo illi conveniunt, non est voluntas cum privatione, sed potiùs cum negatione pura omnis actûs; quando autem est cum privatione omnis actûs, tunc est in actu secundo, non minus quàm quando est cum volitione, aut nolitione.

Quid sit necessariũ.

Pro intelligentia subsequentium adverte, illud dici *necessarium*, quod sine libertate indifferen-

ferentiæ fit. *Violentum* dicitur, quidquid fit contra inclinationem, seu potiùs resistentiā naturæ suæ subjecti. *Involuntarium* & *coactum* dicitur, quidquid fit contra inclinationem, seu actus appetitus. hoc notato, sit. *Violentum & Involūtarium.*

ASSERTIO V. Voluntas creata potest divinitùs necessitari, violentari, & cogi ad omnes actus imperatos. *Prob:* quia in hoc nulla est implicantia: ergo non debet negari potentiæ divinæ. *Voluntas potest violentari.*

ASSERTIO VI. Quæ fiunt ex metu, aut ex concupiscentia, sunt semper simpliciter voluntaria. *Probatur 1. pars.* Illis, quæ fiunt ex metu, convenit definitio voluntarij suprà assignata; ergo sunt simpliciter voluntaria. *Confirm:* quæ sic fiunt, sunt ordinariè libera, libertate etiam indifferentiæ, nam in potestate hominis est tolerare quodcunq; malum, quo hic & nunc terretur, ergo & voluntaria. *Actus ex metu procedētes an voluntarij sint?*

Probatur 2. pars eodem modo, nam concupiscentia non magis minuit voluntarium quàm metus; ergo si metus non tollit voluntarium, nec concupiscentia tollet.

Objicies. Metus subinde est tam gravis (idē dic de concupiscentia) ut tollat usum rationis; ergo quæ tunc ex metu fiunt, non erunt simpliciter voluntaria. ℞. negando consequentiam; nam ad voluntatem simpliciter, usus rationis non requiritur.

ASSERTIO VII. Metus, & concupiscentia minuunt quandoq; voluntarium, & etiam liberum. *Prob:* quæ sic fiunt, cum minori deliberatione, & majori determinatione ab extrinseco fiunt, sed hoc sufficit ad *Metus minuit voluntariū.*

minuendum voluntarium, & liberum: ergo minuunt utrumq;.

Unde act9 dicatur humanus & moralis. *Hic pro intelligentia sequentium adverte*, actum liberum hominis, & etiam Angeli, dici à Theologis *Humanum*, quia procedit liberè ab illis libertate perfectâ indifferentiæ. Dicitur etiam hujusmodi actus, *moralis*, quia ut procedit ab eliciente, judicio prudentum, est laude, vel vituperio dignus. nunc sit.

Actus indifferens est dabilis. ASSERTIO VIII. Datur actus humanus, non solùm ex objecto, sed etiam ex circumstantijs indifferens.

Probatur 1. pars. tum quia objecta aliquorum actuum sunt indifferentia ad bonum & malum, ut elevare festucam, fricare barbam, ergo datur actus, vel dari saltem potest ex objecto indifferens. *Confirm:* hoc ex Concilio Constantiensi, in quo hæc propositio Joannis Hus: *Nulla sunt opera indifferentia*, damnata est.

Etiam in circumstantijs. *Probatur 2. pars de circumstantijs*, tum ex jam dictis, quia fricare barbam potest esse talis; tum quia probabile est, quòd detur actus humanus indifferens, tã in specie, quàm in individuo, motio v. g. digiti; ergo qui eliceret talem actum, ex illa opinione, eliceret actum indifferentem in specie, & individuo; tum denique, quia potest aliquis operari liberè, absq; eo quod videat, aut intendat bonitatem ullam, aut malitiam objecti, vel circumstantiarum actus; sed operatio illa non esset bona, aut mala moraliter; ergo esset indifferens. Prob: min: quia nec objectum, nec circumstantiæ communicant bonitatem, aut malitiam actui, nisi in quantum præ-

prævideantur, & intendantur: ergo qui operaretur sine eo, quod neutrum intenderet, eliceret actum indifferentem.

Objic: 2. Tenetur homo semper ordinare actum suum ad finem virtutis, juxta Apost: 1. Corinth: 10. sed actus qui sic ordinatur est honestus, & qui non ordinatur, inhonestus. ergo. ℞. distingu: maj: Si advertat illam obligationem, transeat maj: si non advertat, nego maj: & consequentiam, nam potest non advertere illam obligationem.

ASSERTIO IX. Actus moralis bonus est ille, qui habet essentiam aliquam specialem, ob quam apparet esse dignum creaturâ rationali illum elicere. *Prob:* quia convenit omni, & soli. ergo est bona descriptio.

Actus moraliter bonus quis sit.

ASSERTIO X. Ad bonitatem, seu honestatem actûs moralis, sequentia requiruntur: 1. Si est actus prosecutionis, debet præcognosci quod objectum illius sit bonum, bonitate honestâ; et si sit actus bonus fugæ, debet præcognosci, quòd objectū illius sit inhonestum. 2. requiritur ut actus feratur in illud objectum (si sit prosecutio) sub ratione boni honesti in illo cogniti; & recedatur ab illo, si sit fuga, sub ratione mali inhonesti. 3. Requiritur, ut nulla circumstantia mala videatur annexa illius objecto; hæc omnia apparent ex terminis vera.

De ijs quæ ad bonitatem actus sunt necessaria.

ASSERTIO XI. Actus humanus constituitur formaliter in esse boni honesti, per conformitatem ad rationem rectam hic, & nunc proponentem legem, seu approbationē superioris voluntatem. *Prob:* Quia omnis,

Ratio formalis act9 boni quæ?

mnis, & solus, qui operatur conformiter ad legem, vel approbativam superioris voluntatem, bene & honestè operatur: ergo nil est in actu honesto, in quo potiùs constitui debet ratio formalis illius, quàm in conformitate tali.

Dices. Potiùs deberet sic constitui per tendentiam in objectum honestum, nullâ circumstantiâ malâ affectum: ergo. ℞. negando antec: quia objectum non est honestū, nisi quatenus proponitur per rationem rectam, quod legi, aut approbativæ superioris voluntati, sit conforme illud prosequi, aut fugere; ergo tendentia in objectum, ut præscindit ab illis, non potest esse ratio formalis constituitiva actûs boni.

Dixi in Conclusione, *aut approbativam superioris voluntatem*, propter actûs consilij, qui licet sint boni, non tamen sunt conformes legi, quia consilium non est lex, sed approbativa tantùm Superioris voluntas.

Actus externus addit malitiam interno.

ASSERTIO XII. Actus externus bonus addit bonitatem, & externus malus, malitiam, actui interno. *Probatur ratione.* Actus externus malus addit malitiam actui interno malo; ergo à paritate, & bonus bono. Prob: antec: actus externus malus debet confiteri, etiam secundum Adversarios; ergo superaddit malitiā actui interno malo; Prob: consequentia, nulla est causa, ob quam actus externus malus confiteri debeat, nisi quia malitiam superaddit actui interno malo: ergo addit. Hoc argumento maximè premuntur adversarij, unde ad illud diversimodè respondent.

1. Di-

1. Dicunt causam esse, cur debeat actus externus confiteri, quia per confessionem actûs externi, significatur efficacia, aut major intentio actûs interni. *Contra*, potest confitens sine expressione actûs externi dicere, quòd habuerit actum intensissimum & efficacissimum, ergo ob illam rationem malè infertur, quod debeat confiteri.

℞. 2. Ideo actum illum esse confitendum, quia malitia derivatur ab externo in internum. *Contra*, non potest malitia derivari ab uno actu in alium, qui penitùs nullam habet malitiam propriam, distinctam à malitia alterius, sed actus externus est talis, secundùm ipsos; ergo non derivatur ab illo malitia in internum actum. *Responsiones diversæ AA. ad nostra fũdamenta reyciũtur.*

℞. 3. *cum Arriaga*, actum externum ideo esse confitendum, quia est verè peccatum; *Contra*: vel est unum peccatum cum interno, vel non? si primum ergo sufficit hunc confiteri; si secundum, ergo est diversum, & sic habemus intentum. Deinde non tenetur quis confiteri nisi numerum, & speciem suorum peccatorum; sed hæc potest sine confessione externi actus, si nullam habet malitiã distinctam ab interno, ergo non tenetur illud confiteri.

Obyc: In actu externo non est distincta libertas; ergo nec distincta malitia. ℞. negando consequent: & ratio est, quia major bonitas, aut malitia, non desumitur à libertate, imò nec ulla bonitas, aut malitia, aliàs non possit dari actus liber indifferens, aut duo actus æqualis bonitatis, vel malitiæ. potest etiam antec: absolutè negari.

Quando circūstantiæ diversificāt bonitatē & malitiam actûs.

ASSERTIO XIII. Circumstantiæ quibus augentur bonitas & malitia actuum moralium, tunc solùm diversificant specie actū, quando faciunt illum spectare ad virtutem specie diversam (loquor de actu bono) ab ea, ad quam spectat ex objecto, aut quando faciunt ut habeant honestatem, aut decentiam aliquam (vice versâ discurre de actu malo) aut modum tendendi in objectum, in opinione prudentum, notabiliter diversum, ab eo, quem actus habuit ex objecto.

Prob: quia non potest ostendi, quâ aliâ ratione circumstantiæ possint diversificare actus. ergo aliquomodo ex dictis in Assertione diversificant.

Quæ circūstantiæ communicent bonitatem actui.

ASSERTIO XIV. Omnis circumstantia, & nocumentum, quod per se sequitur ad actum malum, communicat ei suam malitiam, licet directè non intendatur. Circumstantiæ se tenentes ex parte objecti, non communicant bonitatem actui, nisi ab operante cognoscatur, quòd bonitas aliqua ab illis in actum derivetur, & similiter est dicendum, ut communicent malitiam.

Probatur 1. pars. Indecens est creaturæ rationali elicere actum, cui, sive ex conditione operis, sive ex intentione operantis, est annexa circumstantia mala; ergo talis circumstantia communicat actui malitiam.

Probatur 2. pars. Si malitia circumstantiæ non deberet præcognosci, sequeretur furantem ex ignorantia invincibili, in loco sacro committere sacrilegium, sed hoc est absurdum. ergo malitia illa præcognosci debet.

A S-

ASSERTIO XV. Circumſtantiæ actûs moralis reducuntur à Doctore noſtro 4. d. 14. ad ſeptem ſequentes, *Quis, quid, ubi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando. Quis*, qualitatem & conditionem operantis ſignificat; *Quid*, objectum. *Vbi*, locum. *Quibus auxilijs*, media, quibus ad operandum quis utitur. *Cur*, circumſtantiam finis. *Quomodo*, actionis modum. *Quando* deniq;, ſignificat tempus, ſeu durationem actûs, ut ſcilicet, an diu duraverit nec ne, an die feſto, vel feriali, &c. *Numerus circũſtantiarum.*

ASSERTIO XVI. Regulæ actuum humanorum ſunt, divina voluntas, ut comprehendit leges divinas, & Conſcientia. Divinæ voluntati præcipienti, vel prohibenti aliquid, tenetur homo ſe conformare. *Regulæ actg humani.*

Probatur 1. *pars.* Quia alia nulla regula aſſignari poteſt; ergo illæ ſolæ ſunt humanorum actuum regulæ. *Patet* 2. *pars*, ex illo Matth: 19. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* ergo voluntati divinæ præcipienti aliquid tenetur homo ſe conformare.

ASSERTIO XVII. Conſcientia ſpectat totaliter ad intellectum; & bene deſcribitur, Judicium practicum intellectus, quo cognoſcitur hic & nunc, quid faciendum, quidve fugiendũ, & id quod fecimus, aut non fecimus, eſſe bene aut male factum, aut omiſſum. *Definitio conſcientiæ ut ſic.*

Probatur 1. *pars* Eccleſiaſt: 7. *Scit conſcientia tua, quia tu crebrò malè dixiſti alijs.* Rom: 1. *Teſtimonium perhibente illis conſcientiâ.* ſed ſcire & teſtari ad intellectum ſpectat, unde Damaſc: 7. de fide, vocat Conſcientiam *Legem*

gem

gem intellectûs; & meritò, quia eſt regula, & directrix actuum voluntatis in praxi.

Probatur 2. pars. ipſam explicando, dicitur *judicium intellectûs*, ut excludantur actus voluntatis, & ſimplex apprehenſio. Dicitur *hic, & nunc*, ſeu in particulari, quia ad ſyntereſim, ut, in communi ſententia, diſtinguitur à conſcientia, ſpectat in communi judicare, ſeu dictare bonum eſſe amandum: additur *quid faciendum, quidve fugiendum*, ut oſtendatur objectum conſcientiæ eſſe actiones prçteritas, præſentes & futuras indifferenter.

Probabilis Conſciētia ſufficit ad operandū bene.

ASSERTIO XVIII. Ad bene operandum ſufficit plerumq; conſcientia probabilis. *Prob:* tum ex communi ſenſu Doctorum, tum quia aliàs eſſemus valde perplexi in multis caſibus, in quibus non poteſt haberi infallibilis certitudo; ergo ſufficit probabilis certitudo ad bene operandum.

Conſciētia erronea obligat ad ſequelam ſui.

ASSERTIO XIX. Conſcientia erronea invincibilis, actu proponens hic, & nunc, ex obligatione operandum ſub culpa mortali, vel veniali, juxta dictamen propoſitum, obligat ad ſui ſequelam. *Hæc eſt communis*, & colligitur ex ſcriptura varijs in locis, ut ad Galatas 5. *Teſtificor omni homini circumcidenti ſe, quia debitor eſt univerſæ legis faciendæ*; ſed hoc debitum eſt ex ſola conſcientia erroneæ, Ergo &c. idē habetur ad Rom: 14. 1. Corint: 8. & ratio eſt, quia per tale dictamen proponitur nobis lex ſuperioris obligans; ergo ad operandum obligat.

Obyc: Ex Concluſione ſequeretur aliquem fore ita perplexum, ut quidquid agat neceſſariò peccet, ſed hoc non eſt dicendum; ergo.

℟. ne-

℟. negando sequelam, quia quamvis peccaret talis, adhuc tamen non necessariò, sed liberrimè peccat.

Hic restat, ut advertat, conscientiam dubiã esse illam, quæ facit mentem inter duo extrema fluctuare. *Dubium* hujusmodi unum est speculativum, & alterum practicum. *Speculativum* est, quando dubitatur in generali, ut, an liceat in die festo studere, pingere, &c. *Dubium practicum* est, quando dubitatur in particulari, v. g. an in hoc festo, vel hic, & nunc liceat hoc facere. Certum est, quòd non liceat operari manente conscientiâ practicè dubiâ, quia sic operans, exponit se periculo peccati, quod non licet sub peccato.

Conscientia dubia.

Dubium quotuplex

ASSERTIO XX. Illa sola censenda est opinio probabilis, quæ principijs legis naturalis, vel positivæ, est conformis; vel non repugnans, sive sit unius, sive plurium Doctorum. Licet subinde in praxi sequi opinionem minùs probabilèm, relictâ probabiliori, sed non semper.

Quæ putanda sit opinio probabilis.

Probatur 1. pars. Regula omnis bonæ actionis est lex: & consequenter sicut per conformitatem ad illã, intelligitur quævis actio bona, ita per recessum ab eadem, dicitur mala: ergo cùm conscientia sit instrumentum proponens nobis legem; illa sola poterit dici probabilis & secura, quæ ratione ostendit, aliquam actionem talem esse conformem, vel certè non repugnantem legi.

Probatur 2. pars. tum ex communi consensu Doctorum, tum etiam, quia opinio minùs probabilis, potest esse conformis ad legem; ergo in praxi licitè amplectitur.

Licet sequi opinionem minùs probabilem.

Pro-

Probatur ultima pars. ubi dubitatur de materia & forma Sacramentorum, aut de eorũ validitate, exponeret ſe magno periculo nil efficiendi, qui minùs probabilem ſequeretur opinionem. Ergo in tali caſu non licet ſequi opinionem minùs probabilem.

2. Judex in ferendis ſententijs tenetur ſequi probatiorem opinionem ſecundùm allegata & probata. & ratio eſt, quia etiam pars probabilior potiori jure, meretur per ſe ſententiam. Ergo in favorem probabilioris partis, ſententia ferri debet.

EPISTYLIUM PROBLEMATICUM COLUMNÆ NONÆ.

An ignorantia invincibilis excuſet à peccato?



COLVMNA X.

De Peccatis.

Quid ſit peccatum? ASSERTIO I. Peccatum morale, eſt actus moralis, habens indecentiam aliquam ſpecialem, ob quam apparet, dedecere creaturam rationalem illum elicere. Formaliter conſtituitur per poſitivum. *Prima pars* non habet difficultatem; unde *probatur* 2. *pars.* Peccatum, ſecundùm adverſarios, conſiſtit in privatione rectitudinis debitæ in eſſe: ergo aliquod peccatum, & conſequenter

ter omne peccatum commiſſionis (de hoc ſolo eſt controverſia, nam certum eſt omiſſionis peccatum in negativo conſiſtere) conſiſtit in poſitivo. Prob: conſequentia, peccatum occiſionis v.g. in hoc formaliter conſiſtit, per quod tollitur debita rectitudo in eſſe occidēdi; ſed hæc tollitur per poſitivum, per ipſã nimirum occiſionem; ergo peccatũ occiſionis conſiſtit formaliter in poſitivo, ſeu in ipſa occiſione: maj: eſt certa, prob: min: rectitudo debita in eſſe occidendi, eſt carentia occiſionis; ſed hæc tollitur per ipſam occiſionem, & non per ullam privationem, alioquin daretur privatio privationis, ergo rectitudo debita in eſſe occidendi tollitur per poſitivũ; & conſequenter peccatum occiſionis in poſitivo conſiſtit: ſed eſt eadem ratio de omnibus alijs peccatis commiſſionis; ergo omnia illa in poſitivo conſiſtunt.

Peccati ratio in poſitivo conſiſtit.

Confirm: Lex prohibens furtum, v. g. vel odium Dei, non exigit à me aliud, quâm carentiam odij, vel furti, ergo non aliter violo iſtam legem, quàm habendo ipſum odium, vel voluntatem furandi; ſed odium & voluntas furandi ſunt entitates poſitivæ, ergo per entitates poſitivas peccata illa conſtituuntur. *Confirm: 2.* Actus odij, ſeu furti habet aliquid, ob quod neceſſariò ſequitur ad ipſum privatio illa rectitudinis, ante ipſam privationem, aliàs non eſſet ratio, cur ad illam ſequeretur illa privatio, potiùs quàm ad actum bonum: ergo habet ab illo eſſe malus ante privationẽ; ſubſumo, ſed illud non eſt alia privatio, aut negatio, aliàs daretur proceſſus in infinitum:

ergo eſt entitas poſitiva, & conſequenter per poſitivum peccatum conſtituitur.

Obijc: Scripturam quæ docet res omnes eſſe bonas, ſed quævis entitas poſitiva eſt res aliqua; ergo quævis talis eſt bona. tum etiã SS. P.P. quos fusè citat Suarez, qui videntur dicere, quòd peccatum in privatione conſiſtat; ergo. *Ad primum* ℞. res omnes eſſe in ſe, ſi phyſicè conſiderentur bonas, licet ex eis aliqua alijs ſint mala, ſicut calor, qui in ſe bona qualitas eſt, alijs ſubjectis multis mala eſt. Ad 2. ℞. PP. loqui de peccato omiſſionis, non verò commiſſionis, & hoc modo explicari poteſt *Doctor noſter,* qui adverſarijs favere videtur.

Obijc: 2. Illud eſt de eſſentia peccati, ſine quo nec eſſe, nec intelligi poteſt; ſed peccatum neutro modo ſine privatione intelligi poteſt; ergo privatio eſt de eſſentia peccati. *Confirm:* ſi non conſiſteret peccatum in privatione, Deus eſſet cauſa peccati; ergo conſiſtit. ℞. negando maj: nam relatio ſine fundamento & terminò intelligi nequit; & tamen non ſunt de ipſius eſſentia: ergo quamvis peccatum intelligi non poſſit ſine privatione, adhuc privatio non eſſet de illius eſſentia. *Ad Confirm:* ℞. Illud argumentum æq; poſſe urgeri contra Adverſarios, nã non aliter privatio illorum cauſatur ab homine, quàm producendo entitatem phyſicam, ad quam ſequitur privatio illa; ſed Deus producit æq; illam entitatem phyſicam, ac homo, ergo erit cauſa peccati, ſicut eſt homo. ℞. negando ſequelam, quam Adverſarij non pro-

probant, in sensu aliquo, quo dedeceret Deũ esse causam peccati.

ASSERTIO II. Divisio peccati in originale, & actuale, bona est. Originale nostrum, est illud ipsum Adæ peccatum, manens in nobis moraliter, eò quòd moraliter peccavimus cum ipso, quando ipse physicè & realiter transgressus est mandatum Dei.

Divisio peccati bona.

1. Pars est certa. *Probatur 2. pars.* tum quia non potest ostendi, in quo alio consisteret; tum etiam quia posteri Adæ peccaverunt in ipso, quandò transgressus est legem Dei; ut patet ex illo Rom: 5. *In quo omnes peccaverunt.* sed illud peccatum non condonatur illis, nisi per baptismum, ergo natione illius sunt peccatores.

In quo cõsistit originale nostrum.

Dices Peccatum originale non distingui à concupiscentia, hoc est, ab illo, quo inclinamur ad bonum delectabile. *Contra.* Concupiscentia illa manet in nobis post baptismum: ergo non est peccatum; nec sic dici potest, nisi in quantum inclinat ad peccatum, & ab illo promanat, ut loquitur Trident: Sess: 5. cap: 5. vel num: 5.

Dices Peccatum illud consistere in privatione justitiæ originalis. Contrà, peccatum semper liberè procedit ab ipso peccatore, sed privatio justitiæ originalis non procedit ab ipso peccatore, sed à solo Deo, qui solus potest ipsam justitiam originalem ponere. Ergo. Deinde in peccatore baptizato invenitur carentia justitiæ, tã originalis, quàm sanctificantis, sed in illo non est ogirinale, ut fides docet; ergo in tali carentia non consistit.

Obycies. Sententia nostra non differt

ab illa Acatholica, quæ docet peccatum originale esse tantùm denominationem extrinsecam; desumptam à peccato Adæ; ergo non est tenenda. ℞. negando antec: quia nos dicimus, quòd ipsissimus actus inobedientiæ, qui in Adamo fuit personale, sit in unoquoq; nostrum, intrinsecè, moraliter tamen, & originaliter, & per hoc patet ad Trident: loca jam citata cap: 3. *ubi dicit originale inesse cuiq; proprium, &c.*

Mors est pœna originalis.

ASSERTIO III. Mors tam animæ, quàm corporis, non verò mortalitas, inter pœnas originalis peccati numerari debet.

1. Pars est de fide Gen: 1. & 3. & Roman: 5. *2. Pars prob:* Corpus Adami potuit pati à contrarijs. Deinde certum est, quòd fame, gladio, & suffocatione durante illo statu potuisset quis perire; ergo mortalitas non est pœna originalis peccati.

Quid habeant infantes in origine defuncti.

ASSERTIO IV. Probabile valde est, quòd infantes decedentes cum solo originali, non solùm non puniantur pœnâ sensûs, sed quòd multa eis naturalia dona concedantur, in loco aliquo subterraneo, tam lucido & capaci, ut possint ibi ambulare se invicem visitare, & agnoscere. Hæc est Doct: in 2. d. 33. q. unica in 2. Lyrani nostri in cap: 4. Eccles: & multorum aliorum, contra Bellarminum, Conrium TuamensemArchiEpiscopum, Pontium, & Tannerum, qui in miseros infantes crudeles videntur esse, dum docent illos puniri intolerabili illâ pœnâ exteriori, ignis æterni.

Probatur 1. pars. tum authorit: Innocentij III. citati in cap: Majores, Nazianzeni in orat:

rat: ad S. Lavaerum. & etiam August: lib: 5. ad Julianum cap: 8. qui re ipsâ, idem docent. Tum etiam ratione, quia videretur esse non solùm durum, sed etiam contra divinam misericordiam punire, pœnâ sensus, parvulos qui nec sensualitate, nec voluptate inordinatâ illum unquam offenderunt aliter, quàm in Adamo peccando: ergo cum nec ratio, nec urgens authoritas contrarium suadet, tenendum est, quòd sic non puniantur.

Obijc: Varia Scripturæ loca, & præsertim illud Matth:3.& 15. *Ite maledicti in ignem æternum.* ex quibus oppositū conclusionis ostenditur; ergo. ℞. non parvulorum, sed fideliū, qui Ecclesiam per Baptismum intrârunt, in illis locis mentionem fieri, ut docet Aug: lib: contra Donatistas cap: 10. unde nego antec: & consequentiam.

Obijc: 2. Pelagiana hæresis est, promittere parvulis non renatis, æternam & beatam quandam vitam, extra regnum Dei; sed talem nos illis promittimus; ergo. ℞. disting: maj: æternam & beatam quandam vitam, excludentem omnem peccati miseriam, transeat maj: non excludentem originalis peccati miseriam, nego maj: & distincta similiter min: nego consequentiam.

Obijcies 3. Illud Aug: in Enchyridio cap: 23. *Firmissimè, inquit, tene, & nullatenus dubites, omnes, qui sine sacro baptismatis lavacro de hoc sæculo transeunt, æterni ignis supplicio puniendos.* sed parvuli sic transeunt: ergo æterni ignis supplicio puniuntur. ℞. antec: posse intelligi in sensu accommodo, sicut intelligitur ille locus Apostoli: *Omnes in Adam pec-*

Quomodo locus D. Aug: intelligendus sit.

caverunt. ℞. 2. explicando sanctum Doctorem, æterni ignis supplicio aliquo, concedo maj: omni nego min: Itaq; in illo supplicio præter pœnam sensus, includitur etiam pœna damni, quo parvuli puniuntur, & hoc satis est ad mentem Augustini.

Peccata venialia ex se non possunt puniri pœnâ gehennæ.

ASSERTIO V. Peccata venialia de facto sunt talia ex natura sua, quod DEUS non possit propter illa punire aliquem pœnâ æternâ sensûs, aut damni, aut subtractione gratiæ sanctificantis. *Prob:* quia aliàs non essent venialia, sed mortalia; nam hujusmodi vocamus ea, quæ enumeratis jam pœnis puniuntur; & per hoc patet ratio distinctionis specificæ mortalis à veniali, nam unum meretur æternam pœnam sensus & damni; alterum verò non.

Multiplicatio venialium non facit mortale.

ASSERTIO VI. Venialia, nullam inter se habentia connexionem, quantumvis multiplicata, non efficiunt unum mortale. *Prob:* per multiplicationem individuorum tantùm, nullius rei natura specificè mutatur: ergo quod ex natura sua veniale est, solâ multiplicatione similium, non potest fieri mortale.

Si non habeant cōnexionem.

Dixi, *non habentia connexionem*, quia si talem inter se haberent venialia, ratione cujus advertenter, grave proximi damnum sequeretur, tunc multiplicando venialia, putà minuta furta, peccaret quis mortaliter.

Nullū peccatum est infinitæ malitiæ.

ASSERTIO VII. Nullum peccatum, etiam mortale, infinitæ est malitiæ; veniale, nec etiam per conjunctiouem sui cum mortali, punitur pœna æterna.

Probatur 1. pars. Si mortale esset infinitæ mali-

malitiæ, omnia mortalia essent æqualis malitiæ, sed hoc est falsum, ut patet ex Scriptura Joann: 19. *Qui me tibi tradidit, majus peccatum habet.* ergo non est infinitæ malitiæ.

Probatur 2. pars Si veniali etiam per accidens, seu per conjunctionem sui cum mortali corresponderet pœna æterna, veniale esset mortale; sed hoc non est verum, ergo. prob: maj: veniale distinguitur à mortali, per hoc, quòd huic correspondet pœna æterna, illi verò non, sed temporalis: ergo si in casu conclusionis, corresponderet ipsi pœna æterna, esset mortale.

Objic: contra hoc. Debet semper manere & puniri peccatum, usq; dum fiat satisfactio requisita pro ipso; sed damnati non possunt satisfacere: ergo peccata venialia eorum debent semper manere, & puniri. ℟. disting: maj: donec fiat satisfactio consistens in retractatione peccati, aut in opere aliquo bono, ob quod condonaretur, nego maj: satisfactio, id est persolutio debitæ pœnæ concedo maj: & distincta similiter min: nego consequentiam. Hoc ultimo modo damnati satis faciunt, seu potiùs satis patiuntur pro veniali in inferno.

ASSERTIO VIII. Peccati causa per se & specialis Deus non est. *Probatur Conclusio ex Script:* Sapient: 11. *Nihil odisti eorum, quæ fecisti;* sed certum est, quòd Deus odit peccatum, & expresſè colligitur Sapient: 14. *Odio sunt Deo impius, & impietas ejus*: ergo Deus nec fecit; nec faciet peccatum; & consequenter non est illius causa.

Deus non est causa peccati.

Prob: 2. Ad hanc veritatem probandam

congerere foret inutile, cùm in illam unanimiter omnes conſpirârunt. Adferam ſolum S. Fulgentium à D. Thoma hîc citatum; *Deus*, inquit, *non eſt author ejus rei, cujus eſt ultor*; ſed clarum eſt, quòd Deus ſit peccati ultor, ut ex infinitis propemodum Scripturæ locis conſtat: ergo non eſt illius author.

Probatur ratione.

Probatur 3. ratione. Concurſus Dei ad actum peccaminoſum, eſt tantùm cauſæ univerſalis, neceſſariò requiſitus ad operationē cauſæ ſecundæ; ſed ſic univerſaliter tantùm concurrens, non rectè dicitur cauſa per ſe, aut ſpecialis effectûs producti; & multò minùs defectûs: ergo Deus non poteſt dici cauſa per ſe peccati. *Confirmatur*, & probatur concluſio, ſolvendo Adverſariorum fundamenta, pro quibus:

Obyc: 1. ex varijs Scripturæ locis colligitur, quòd Deus ſit cauſa per ſe peccati: ergo eſt. *Probantur* Pſal:43. *Declinaſti ſemitas noſtras à via tua.* Pſal: 104. *Convertit cor eorū, ut odirent populum ejus, & dolum facerent.* Idem habetur 2. Regum 16. 3. Regum, ultimo. Geneſ: 45. quibus in locis dicitur quòd Deus ordinat, præcipit, ac ſuadet peccatum: ergo. ℞. negando antecedens, & ad ejus probationem reſpondeo primò, illud non poſſe eſſe peccatum, quod ex Dei ordinatione, præcepto, vel ſuaſione fit; & per hoc patet ad ultima Scripturæ loca. ℞. ſecundò, ad omnia generaliter illa intelligi debere de voluntate ſeu concurſu permiſſivo Dei; nam ut oſtendat ſuam gloriam per adminiſtrationem juſtitiæ, quæ relucet in ſupplicijs damnatorum, & malè operantium, permittit,

Satisfit Scripturæ locis.

tit, sicut frequenter permisit, multa mala fieri, relinquendo hominem, divinis inspirationibus, & auxilijs acquiescere nolentē, in consilio manuum suarum.

Obÿcies 2. ratione, ad omnes effectus positivos, & liberos creaturæ rationalis, concurrit Deus concursu immediato; sed furtum, v. g. homicidium, adulterium, & hujusmodi, quæ sunt entitates positivæ, & materiales peccatorum, sunt tales effectûs: ergo ad illos immediatè & physicè concurrit Deus; & consequenter non solùm est causa immediata physica illorum, sed etiam causa moralis omnis deformitatis annexæ illis.

Hoc argumentum compulit Durandū negare immediatum Dei concursum ad effectus causarum secundarum: sed *incidit in Scyllam* (ut fusiùs ostendi in physica) *cupiens vitare charybdim*; nam præterquam quòd dura illa ipsius sententia, à Catholicis communiter reijciatur Doctoribus, adhuc si vera esset, in proposito nobis præberet subsidium, quod sic ostendo.

Secundùm Durandum, non concurrit Deus etiam ad bonos effectus causarum secundarum, nisi tantùm mediatè; & tamen certum est, quod sit causa per se, & specialis illorum bonorum effectuum; ergo quamvis non cōcurreret ad effect⁹ peccaminosos nisi tantùm mediatè; adhuc posset dici vera causa illorū effectuum. Probatur antecedens, pro secunda parte; tum ex communi consensu omnium Theologorum, tum ex Trid: Sess: 6. can: 6. his verbis: *Si quis dixerit mala opera* *Reÿcitur Durandus*

congerere foret inutile, cùm in illam unanimiter omnes conſpirârunt. Adferam ſolum S. Fulgentium à D. Thoma hîc citatum; *Deus*, inquit, *non eſt author ejus rei, cujus eſt ultor*; ſed clarum eſt, quòd Deus ſit peccati ultor, ut ex infinitis propemodum Scripturæ locis conſtat: ergo non eſt illius author.

Probatur ratione. *Probatur 3. ratione.* Concurſus Dei ad actum peccaminoſum, eſt tantùm cauſæ univerſalis, neceſſariò requiſitus ad operationē cauſæ ſecundæ; ſed ſic univerſaliter tantùm concurrens, non rectè dicitur cauſa per ſe, aut ſpecialis effectûs producti; & multò minùs defectûs: ergo Deus non poteſt dici cauſa per ſe peccati. *Confirmatur*, & probatur concluſio, ſolvendo Adverſariorum fundamenta, pro quibus:

Obijc: 1. ex varijs Scripturæ locis colligitur, quòd Deus ſit cauſa per ſe peccati: ergo eſt. *Probantur* Pſal:43. *Declinaſti ſemitas noſtras à via tua.* Pſal: 104. *Convertit cor eorū, ut odirent populum ejus, & dolum facerent.* Idem habetur 2. Regum 16. 3. Regum, ultimo. Geneſ: 45. quibus in locis dicitur quòd Deus ordinat, præcipit, ac ſuadet peccatum: ergo. ℞. negando antecedens, & ad ejus probationem reſpondeo primò, illud non poſſe eſſe peccatum, quod ex Dei ordinatione, præcepto, vel ſuaſione fit; & per hoc patet ad ultima Scripturæ loca. ℞. ſecundò, ad omnia generaliter illa intelligi debere de voluntate ſeu concurſu permiſſivo Dei; nam ut oſtendat ſuam gloriam per adminiſtrationem juſtitiæ, quæ relucet in ſupplicijs damnatorum, & malè operantium, permittit,

Satisfit Scripturæ locis.

rit, sicut frequenter permisit, multa mala fieri, relinquendo hominem, divinis inspirationibus, & auxilijs acquiescere nolentē, in consilio manuum suarum.

Obijcies 2. ratione, ad omnes effectus positivos, & liberos creaturæ rationalis, concurrit Deus concursu immediato; sed furtum v. g. homicidium, adulterium, & hujusmodi, quæ sunt entitates positivæ, & materiales peccatorum, sunt tales effectûs: ergo ad illos immediatè & physicè concurrit Deus; & consequenter non solùm est causa immediata physica illorum, sed etiam causa moralis omnis deformitatis annexæ illis.

Hoc argumentum compulit Durandū negare immediatum Dei concursum ad effectus causarum secundarum: sed *incidit in Scyllam* (ut fusiùs ostendi in physica) *cupiens vitare charybdim*; nam præterquam quòd dura illa ipsius sententia, à Catholicis communiter reijciatur Doctoribus, adhuc si vera esset, in proposito nobis præberet subsidium, quod sic ostendo.

Secundùm Durandum, non concurrit Deus etiam ad bonos effectus causarum secundarum, nisi tantùm mediatè; & tamen certum est, quod sit causa per se, & specialis illorum bonorum effectuum; ergo quamvis non cōcurreret ad effect⁹ peccaminosos nisi tantùm mediatè; adhuc posset dici vera causa illorū effectuum. Probatur antecedens, pro secunda parte; tum ex communi consensu omnium Theologorum, tum ex Trid: Sess: 6. can: 6. his verbis: *Si quis dixerit mala opera*

Reijcitur Durandus

congerere foret inutile, cùm in illam unanimiter omnes conspirârunt. Adferam solum S. Fulgentium à D. Thoma hîc citatum; *Deus*, inquit, *non est author ejus rei, cujus est ultor*; sed clarum est, quòd Deus sit peccati ultor, ut ex infinitis propemodum Scripturæ locis constat: ergo non est illius author.

Probatur ratione. *Probatur 3. ratione.* Concursus Dei ad actum peccaminosum, est tantùm causæ universalis, necessariò requisitus ad operationẽ causæ secundæ; sed sic universaliter tantùm concurrens, non rectè dicitur causa per se, aut specialis effectûs producti; & multò minùs defectûs: ergo Deus non potest dici causa per se peccati. *Confirmatur*, & probatur conclusio, solvendo Adversariorum fundamenta, pro quibus:

Objic: 1. ex varijs Scripturæ locis colligitur, quòd Deus sit causa per se peccati: ergo est. *Probantur* Psal:43. *Declinasti semitas nostras à via tua.* Psal: 104. *Convertit cor eorũ, ut odirent populum ejus, & dolum facerent.* Idem habetur 2. Regum 16. 3. Regum, ultimo. Genes: 45. quibus in locis dicitur quòd Deus ordinat, præcipit, ac suadet peccatum: ergo.

Satisfit Scripturæ locis. ℞. negando antecedens, & ad ejus probationem respondeo primò, illud non posse esse peccatum, quod ex Dei ordinatione, præcepto, vel suasione fit; & per hoc patet ad ultima Scripturæ loca. ℞. secundò, ad omnia generaliter illa intelligi debere de voluntate seu concursu permissivo Dei; nam ut ostendat suam gloriam per administrationem justitiæ, quæ relucet in supplicijs damnatorum, & malè operantium, permittit,

tit, ficut frequenter permisit, multa mala fieri, relinquendo hominem, divinis inspirationibus, & auxilijs acquiescere nolentẽ, in consilio manuum suarum.

Obijcies 2. ratione, ad omnes effectus positivos, & liberos creaturæ rationalis, concurrit Deus concursu immediato; sed furtum v. g. homicidium, adulterium, & hujusmodi, quæ sunt entitates positivæ, & materiales peccatorum, sunt tales effectûs: ergo ad illos immediatè & physicè concurrit Deus; & consequenter non solùm est causa immediata physica illorum, sed etiam causa moralis omnis deformitatis annexæ illis.

Hoc argumentum compulit Durandũ negare immediatum Dei concursum ad effectus causarum secundorum: sed *incidit in Scyllam* (ut fusiùs ostendi in physica) *cupiens vitare charybdim*; nam præterquam quòd dura illa ipsius sententia, à Catholicis communiter reijciatur Doctoribus, adhuc si vera esset, in proposito nobis præberet subsidium, quod sic ostendo.

Reijcitur Durandus

Secundùm Durandum, non concurrit Deus etiam ad bonos effectus causarum secundarum, nisi tantùm mediatè; & tamen certum est, quod sit causa per se, & specialis illorum bonorum effectuum; ergo quamvis non cõcurreret ad effect⁹ peccaminosos nisi tantùm mediatè; adhuc posset dici vera causa illorũ effectuum. Probatur antecedens, pro secunda parte; tum ex communi consensu omnium Theologorum, tum ex Trid: Sess: 6. can: 6. his verbis: *Si quis dixerit mala opera*

caverunt. ℞. 2. explicando sanctum Doctorem, æterni ignis supplicio aliquo, concedo maj: omni nego min: Itaq; in illo supplicio præter pœnam sensus, includitur etiam pœna damni, quo parvuli puniuntur, & hoc satis est ad mentem Augustini.

Peccata venialia ex se non possunt puniri pœnâ gehennæ.

ASSERTIO V. Peccata venialia de facto sunt talia ex natura sua, quod DEUS non possit propter illa punire aliquem pœnâ æternâ sensûs, aut damni, aut subtractione gratiæ sanctificantis. *Prob:* quia aliàs non essent venialia, sed mortalia; nam hujusmodi vocamus ea, quæ enumeratis jam pœnis puniuntur; & per hoc patet ratio distinctionis specificæ mortalis à veniali, nam unum meretur æternam pœnam sensus & damni; alterum verò non.

Multiplicatio venialium non facit mortale.

ASSERTIO VI. Venialia, nullam inter se habentia connexionem, quantumvis multiplicata, non efficiunt unum mortale. *Prob:* per multiplicationem individuorum tantùm, nullius rei natura specificè mutatur: ergo quod ex natura sua veniale est, solâ multiplicatione similium, non potest fieri mortale.

Si non habeant cōnexionem.

Dixi, *non habentia connexionem*, quia si talem inter se haberent venialia, ratione cujus advertenter, grave proximi damnum sequeretur, tunc multiplicando venialia, putà minuta furta, peccaret quis mortaliter.

Nullū peccatum est infinitæ malitiæ.

ASSERTIO VII. Nullum peccatum, etiam mortale, infinitæ est malitiæ; veniale, nec etiam per conjunctiouem sui cum mortali, punitur pœna æterna.

Probatur 1. pars. Si mortale esset infinitæ mali-

malitiæ, omnia mortalia essent æqualis malitiæ, sed hoc est falsum, ut patet ex Scriptura Joann: 19. *Qui me tibi tradidit, majus peccatum habet.* ergo non est infinitæ malitiæ.

Probatur 2. pars Si veniali etiam per accidens, seu per conjunctionem sui cum mortali corresponderet pœna æterna, veniale esset mortale; sed hoc non est verum, ergo. prob: maj: veniale distinguitur à mortali, per hoc, quod huic correspondet pœna æterna, illi verò non, sed temporalis: ergo si in casu conclusionis, corresponderet ipsi pœna æterna, esset mortale.

Objic: contra hoc. Debet semper manere & puniri peccatum, usq; dum fiat satisfactio requisita pro ipso; sed damnati non possunt satisfacere: ergo peccata venialia eorum debent semper manere, & puniri. ℞. disting: maj: donec fiat satisfactio consistens in retractatione peccati, aut in opere aliquo bono, ob quod condonaretur, nego maj: satisfactio, id est persolutio debitæ pœnæ concedo maj: & distincta similiter min: nego consequentiam. Hoc ultimo modo damnati satis faciunt, seu potiùs satis patiuntur pro veniali in inferno.

ASSERTIO VIII. Peccati causa per se & specialis Deus non est. *Probatur Conclusio ex Script:* Sapient: 11. *Nihil odisti eorum, quæ fecisti;* sed certum est, quòd Deus odit peccatum, & expressè colligitur Sapient: 14. *Odio sunt Deo impius, & impietas ejus:* ergo Deus nec fecit; nec faciet peccatum; & consequenter non est illius causa.

Deus non est causa peccati.

Prob: 2. Ad hanc veritatem probandam

tit, ficùt frequenter permifit, multa mala fieri, relinquendo hominem, divinis infpirationibus, & auxilijs acquiefcere nolentē, in confilio manuum fuarum.

Obijcies 2. ratione, ad omnes effectus pofitivos, & liberos creaturæ rationalis, concurrit Deus concurfu immediato; fed furtum v. g. homicidium, adulterium, & hujusmodi, quæ funt entitates pofitivæ, & materiales peccatorum, funt tales effectûs: ergo ad illos immediatè & phyficè concurrit Deus; & confequenter non folùm eft caufa immediata phyfica illorum, féd etiam caufa moralis omnis deformitatis annexæ illis.

Hoc argumentum compulit Durandũ negare immediatum Dei concurfum ad effectus caufarum fecundarum: fed *incidit in Scyllam* (ut fufiùs oftendi in phyfica) *cupiens vitare charybdim*; nam præterquam quòd dura illa ipfius fententia, à Catholicis communiter reijciatur Doctoribus, adhuc fi vera effet, in propofito nobis præberet fubfidium, quod fic oftendo.

Secundùm Durandum, non concurrit Deus etiam ad bonos effectus caufarum fecundarum, nifi tantùm mediatè; & tamen certum eft, quod fit caufa per fe, & fpecialis illorum bonorum effectuum; ergo quamvis non cōcurreret ad effect⁹ peccaminofos nifi tantùm mediatè; adhuc poffet dici vera caufa illorũ effectuum. Probatur antecedens, pro fecunda parte; tum ex communi confenfu omnium Theologorum, tum ex Trid: Seff: 6. can: 6. his verbis: *Si quis dixerit mala opera* *Reijcitur Durandus*

catum, nam Deus ex se causativus erat actûs moraliter boni, & talem voluntate saltem antecedenti causare semper vult, & voluit, si causa secunda libera, quæ semper paratum habet Dei succursum, ad bene operandũ necessarium, moraliter bene agere vellet.

Exemplo solutio declaratur.

Exemplũ hujus habe in distorto passu claudicantis, ad quem & anima, seu virtus locomotiva ipsius, & simul tibia concurrunt; ubi certum est, quòd defectus ille in passu, animæ, seu virtuti locomotivæ ipsius, quæ quãtum est ex se, tam bene est in illo pede, ac est in altero, attribui rationabiliter non potest, sed potiùs vitiō tibiæ, quod solum causat distortum illum passum: ergo similiter non Deo, qui semper, quantum est ex se, ad bene operandum concurrere intendit, sed potiùs Creaturæ, quæ voluntariè à regula deviat, tribuendus est defectus operis peccaminosi; & sic non Deus, sed creatura vera causa illius defectûs dici debet.

Distinctio specifica peccatorũ unde sumatur.

ASSERTIO IX. Distinctio specifica peccatorum, colligi potest ex rectitudinibus specie diversis, quibus privant. *Prob.:* qui consideraret omissionem alicujus peccati esse honestam, honestate temperantiæ, v.g. & tamen committeret illud, peccaret peccato distinctæ speciei, à peccato, in cujus omissione non consideraret honestatem temperantiæ, sed potiùs justitiæ, religionis, aut alterius virtutis; sed hujus est sufficiens ratio, quod quidem periret rectitudine distinctæ speciei, à rectitudinibus quibus posterius hoc peccatum privat. ergo ex rectitudinibus specie diversis, specifica peccatorum distinctio colligi potest.

poteſt. Itaq; diſtinctio illa ſpecifica, non ſolùm ex diverſitate rectitudinum, ſeu virtutũ, quibus peccata opponuntur, & privant; ſed etiam ex diverſitate objectorum prohibitorum, legum, finium, & circumſtantiarum, in ſenſu anteà explicato, colligi poteſt.

Vnde mereatur mortale pœnam æternam.

ASSERTIO X. Peccatum mortale, non ex natura ſua, ſed ex juſta Dei ordinatione meretur pœnam æternam.

Probatur 1. pars. Nullum meritum ex natura ſua meretur vitam æternam, ergo ſimiliter nullum peccatum meretur pœnam æternam. *Probatur 2. pars.* Sicut Deus miſericorditer voluit non peccantibus, intuitu meritorum, vitam æternam promittere, & dare; ſic etiam juſtè ordinavit, ut peccantes punirentur pœnâ æternâ, ſi ſine pœnitentia diſcederent ex hac vita: ergo ex juſta Dei ordinatione tali pœnâ puniuntur.

In quo cõſiſtat ratio formalis habitualis peccati.

ASSERTIO XI. Peccatum habituale non conſiſtit in privatione gratiæ ſanctificantis formaliter loquendo, nec in obligatione, aut condignitate ad pœnam, ſed potiùs in ipſo actuali peccato præterito, non remiſſo.

Probatur 1. pars. Poteſt aliquis peccare mortaliter, & defacto peccat, ſine eo, quòd ponâtur privatio gratiæ; ergo peccatum habituale in illa privatione non conſiſtit. Probatur antec: in peccato mortali conſtitutus, poteſt adhuc, & frequenter ſolet, peccare mortaliter; ſed per illud ſecundum peccatũ non ponitur privatio gratiæ, quia fuit anteà poſita; ergo peccatum habituale non conſiſtit in privatione gratiæ. *Confirm:* Privatio gratiæ eſt effectus peccati, ergo non eſt ipſum

pec-

peccatum, seu non est illud, quòd transacto actu peccaminoso, in nobis remaneat.

Probatur 2. pars. In justificatione peccatoris deletur totum, quod habet rationem culpæ, ut est de fide; sed non tollitur tota obligatio, nec reatus seu condignitas ad pœnam temporalem, ut definit Trident: Sess: 6. ergo in tali reatu non consistit. *Confirm:* Reatus ad pœnam præsupponit ipsum peccatum; ergo non est ipsum peccatum.

Probatur 3. pars. Tum, quia meliùs explicari non potest ratio peccati habitualis; tum etiam à paritate meriti habitualis, quod nil aliud est, nisi præteritum actuale non deletum, sed imputatum moraliter ad prœmium: ergo peccatum habituale est ipsum actuale præteritum non remissum.

Dixi in Conclusione, non remissum, non verò non retractatũ, quia de potentia absoluta potest remitti peccatum, quoad culpam, & pœnam, sine ulla peccatoris retractatione, quia in hoc nulla est implicantia.

Obijc: Per pœnitentiæ Sacramentum tollitur aliquid, sed præteritum tolli nequit, quia ad illud non datur potentia; ergo peccatum habituale, quod per Sacramentum tollitur, non est præteritum non remissum. ℟. concedendo maj: & disting: min: præteritum non remanens moraliter, concedo min: manens moraliter nego min: & consequentiam.

EPISTYLIUM PROBLEMATICUM COLUMNÆ DECIMÆ.

Utrùm Deus igne infernali torquere posset innocentem?

CO-



COLUMNA XI.

De Legibus.

Definitio Legis. ASSERTIO I. Lex rectè describitur præceptum stabile, justum, & commune, obligans ad rem aliquam faciendam, vel omittendam. *Prob:* quia habet conditiones bonæ descriptionsi. Per ly *stabile* convenit cum præceptis, unam vel alteram personam obligantibus. Ly *stabile*, & *commune*, est differentia legis, tam ab his, quàm alijs obligantibus, ad breve tantùm tempus: ergo est bona descriptio.

Lex ut sic spectat ad voluntatē. ASSERTIO II. Lex positiva ut sic, divinæ, & humanæ communis, spectat potiùs ad voluntatem, quàm ad intellectum.

Prob: tum ex Script: Psal: 33. *Notas fecisti filijs Israël, voluntates tuas.* Tum etiam ratione, illius potentiæ est leges concedere, cujus est imperare, sed voluntatis solius est imperare; ergo. prob: min: illius potentiæ est imperare, cujus est dicere *fac hoc*, sed solius voluntatis est hoc dicere; ergo solius voluntatis est imperare. *Adversariorum* argumenta aliud non probant, quàm quòd lex directivè consistat in actibus intellectûs, quod nos non negamus.

Conditiones Legis. ASSERTIO III. Ut lex obliget, debet esse justa, promulgata & acceptata, non tamen perpetua. *Probatur 1. pars.* tum ex Aug: 4. Civit: c. 6. *Lex*, inquit, *mihi non videtur*,

detur, quæ justa non fuerit. tum etiam ratione, quia lex; ſicut & quævis vera poteſtas à Deo eſt; ſed quod à Deo eſt, debet eſſe juſtũ: ergo & Lex.

Probatur 2. pars. tum ex cap: 1. de conceſſione Præbendæ, in Sexto. tum quia lex naturæ dictat hominem non obligari ad obſervationem præcepti, quod invincibiliter ignorat. ergo ad hoc ut lex obliget, requiritur, ut conditio ſaltem, promulgatio.

Probatur 3. pars, ex dicendis inferius. *Ultima etiam pars*, loquendo de perpetuitate actuali, *probatur.* Lex hodie à Principe lata, & promulgata, ab eodem principe, vel ejus ſucceſſore cras abrogari poteſt, juſtas ob cauſas; ſed hoc non eſſet verum, ſi eſſentialiter lex deberet eſſe perpetua. ergo non debet.

ASSERTIO IV. Non ſolùm ad divinarum legum, ſed etiam humanarum obſervationem Chriſtiani obligantur. Eſt de fide, ex Trident: ſeſſ: 6. c. 11. *Prob:* tum ex Apoſto: Rom: 12. *Omnis*, inquit, *anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita eſt.* & 13. *Qui poteſtati reſiſtit, &c.* tum etiam ex illo Joann: 18. *Vos amici mei eſtis, &c.* *Chriſtiani quibus legibus tenentur.*

Objic: *Lex juſto impoſita non eſt, ſed impijs*, teſte Apoſt: ad Timo: 1. ergo juſti non obligantur ſervare legem. ℟. (omiſſis aliorum explicationibus) explicando illum paſſum; & diſtingu: antec: non juſtis, id eſt occaſione operum juſtorum, concedo antec: non juſtis, ſed injuſtis, id eſt, occaſione malorum operũ injuſtorum, lex poſita eſt, nego antec: & conſequentiam. Cui hæc explicatio non placet, quærat meliorem, & adducat.

AS-

In quo cōsistit lex æterna naturalis.

ASSERTIO V. Lex æterna naturalis, quatenus præcipit aut prohibet aliquid nobis, non consistit formaliter in ipsismet rebus, prout obijciuntur intellectui divino. hæc, non contra Scotum, sed Scotistas est. *Prob:* tum quia lex æterna habet suā existentiam ab æterno (qui diceret quòd non, quia tunc non erant homines, quibus promulgaretur, excitaret quæstionē de nomine) sed nulla res creata, etiam secundùm adversarios, existit ab æterno; ergo lex æterna in illis nō consistit. tum etiam, quia lex semper provenit à Legislatore, sed res ab æterno objectivè cognitæ non proveniunt à Deo, ut probavi in Metaphys: ergo lex æterna Dei in illis non consistit; & per hoc patet ad fundamenta adversariórum.

Lex æterna Dei, in actu intellectus, respectu verò nostri in actu volūtatis consistit.

ASSERTIO VI. Lex illa æterna, ut ipsum Deum obligat, consistit in dictamine rationis existente in intellectu divino; ut verò nos obligat, consistit in actu voluntatis, quo ab æterno Deus voluit, ut in tempore, hoc faceremus, & illud omitteremus.

Probatur 1. pars. quia non potest ostendi, in quo alio consisteret.

Probatur 2. pars. quia per talem actū nobis imperat Deus aliquid ab æterno; ergò in illo consistit formaliter ratio legis æternæ.

Obijcies contra 2. partem. Si per impossibile non haberet Deus ullam volitionem ab æterno respectu nostri, sed solum dictamen rationis, quo judicaret furtum v. g. esse fugiendum, adhuc nos per illud dictamen obligaremur, si proponeretur: ergo in illo dictamine cōsistit ratio legis æternæ. ℞. negando antec:

tec: quia dictamina personæ superioris, si non accedat ejus volitio, subditum non obligant: ergo lex in illis consistere non potest. *Cujꝰ potẽtiæ sit actꝰ lex creata.*

ASSERTIO VII. Lex naturalis creata est actus intellectûs. Ut probem hanc assertionem, *adverte*, sensum illius esse, quod judicium practicum, quo recta ratio practicè dictat furtum, v. g. esse contra naturam rationalem, & propterea vitandum, sit lex naturalis. jam

Prob: In illo consistit lex naturalis, quo independenter ob omni positiva lege obligamur ad aliquid faciendum, vel omittendum; sed illud est actus intellectûs; ergo lex naturalis in actu intellectûs consistit. maj: est certa: prob: min: conscientia uniuscujusq; obligat illum, ad hoc faciendum, & illud omittendum. sed conscientia est actus intellectûs, ut probavi anteà col: 9. de actib: hum: ergo illud quod nos obligat est actus intellectûs.

Confirm: tum ex Apost: Rom: 2. *Gentes quæ legem non habent, &c.* tum etiam ex PP. multis, docentibus synteresim esse nostram legem, sed in probabili sententia conscientia est synteresis: ergo.

Obijc: Actus intellectûs non habet rationem imperij: ergo in illo non consistit lex naturalis. *Confirm:* Lex naturalis DEI consistit in actu voluntatis, ergo & creata. ℞. distingu: antec: rationem imperij, seu præcepti formalis, concedo antec: virtualis, nego antec: & consequ: *Ad Confirm:* ℞. etiam distingu: antec: naturalis Dei quâ nos obligat, nego antec: quâ se ipsum obligat, concedo antec: & nego consequentiam.

Quomodo lex æterna differat à positiva. ASSERTIO VIII. Lex æterna differt à positiva, per hoc, quod hæc contingenter tantùm est imperata, æterna vero necessariò. Obligatio rerum humanarum mediatè saltē dependet à lege naturæ, non verò immediatè.

Probatur 1. pars. quia non potest ostendi, in quo alio differrent.

Probatur 2. pars. Nulla est lex positiva, quæ reduci non possit ad hoc naturale principium; *Obediendum est superiori legitimè aliquid præcipienti;* ergo nulla est lex humana positiva, quæ non dependet à lege naturæ.

Dependētia legum positivarū à naturali *Probatur ultima pars.* Aliquæ leges humanæ immediatè dependent à positivis legibus, ut patet in præcepto *de non comedendis carnibus die Veneris:* ergo mediatè tantùm dependent à lege naturæ.

Quomodo obligatio legis tollatur. ASSERTIO IX. Obligatio legis varijs modis tolli potest, irritatione nimirùm, abrogatione, dispensatione, declaratione, & Epickeia; Non solùm in aliquibus, sed etiam in omnibus Decalogi præceptis, de potentia absoluta dispensare potest DEUS; & consequenter in omnibus tam negativis, quàm positivis præceptis legis naturæ, non verò Papa.

Deus potest dispēsare in toto Decalogo.

Explicatio primæ partis obvia est apud Authores communiter, unde breviter adverte, quòd *Irritatio legis* fiat, quando annullatur, antequàm perfectè confirmaretur, ut v. g. si Nationale Episcoporum Concilium aliquam ferret legem, quæ ut obligaret, Romani Pontificis indigeret approbatione, reclamante Pontifice statim irritaretur lex; & sic fieret, quasi non fuisset.

Describitur irritatio legis.

Abro-

Abrogatio fit, quando lex quæ perfectè obligabat, ex toto cessat. *Descriptio Abrogationis.*

Dispensatio describitur, relaxatio juris facta cum causæ cognitione, ab eo qui potestatem habet. Hæc semper respicit unum, vel plures in particulari; & casum aliquem, respectu cujus tollitur obligatio legis, licet respectu aliorum, vel ejusdem hominis extra illum casum maneat in suo vigore. *Descriptio Dispensationis.*

Epickeia est emendatio, seu interpretatio rationabilis legis. Sic si Legislator omnes universaliter prohiberet casus: v. g. ut absolutè Religiosi in sæculari domo non comederent; sed tamen si prævidisset hunc in particulari casum, v. g. quòd Excellentissimus simul & pijssimus Dominus D. Bernardus Comes à Martinitz, Supremus Regni Bohemiæ Burggravius, &c. urgeret, ut cum illo Fr. Antonius prandium sumeret, omninò excepisset illum, nec ad illius observantiam, in talibus circumstantijs, subditum obligare voluisset; tunc subditus ipse, vel ejus immediatus seu localis Superior, uti posset Epickeiâ; & sic, excipiendo illum casum, quem ipse Legislator, v. g. generale Capitulum non excepit, quia non prævidit illum futurum, sine scrupulo desiderio jam nominati Excellentissimi, vel alterius similis conditionis satisfacere: & hæc meo videri, est genuina Epickeiæ explicatio. *Descriptio Epickeiæ.*

Probatur 2. pars. tum quia in hoc nulla potest ostendi implicantia; ergo omnipotentiæ Divinæ (extollenda est omni meliori modo, quo potest fieri sine implicantia) denegari non debet: tum etiam quia ex opposito se-

queretur, quòd independenter ab imputatione voluntatis Divinæ, possit aliquis actus esse demeritorius, sed hoc est, secundùm Scotistas præsertim, falsum: ergo in omnibus præceptis legis naturæ potest dispensare. major est certa: Prob: min: nullum opus potest habere rationem meriti independenter à DEI acceptatione, ut docet passim *Doctor noster*, cum suis (contra quos videor hic agere) ergo nec rationem demeriti, & offensæ divinæ independenter ab illius imputatione, sed hoc esset falsum, si DEUS non possit dispensare in omnibus legibus naturæ: ergo potest.

In lege naturæ Papa dispensare non potest.

Probatur ultima pars. Tum quia non constat, quod Deus dederit Pontifici talem authoritatem. Tum etiam, quia inferior non habet potestatem dispensandi in legibus Superioris, obligantibus etiam ipsum; sed Papa est DEO inferior, & tenetur ad observantiam legis naturæ; ergo in illa lege dispensare non potest. Tum deniq; authoritate Bedæ, qui in lib: de præcepto & dispensatione, Conclusionem in terminis habet. Ergo est vera.

Obijcies contra ultimam partem. Communitas rerum authoritate humana abrogata est, & tamen fuit de lege naturæ; ergo Lex naturæ authoritate humanâ abrogari potest. ℞. distinguendo antecedens pro secunda parte, permissivè concedo antecedens: præceptivè, seu absolutè & simpliciter, nego antecedens & consequentiam.

Obyc: 2. Pontifici Romano, legitimo Petri Successori, data est potestas ligandi & solvendi omnia super terram, *Matth*: 18. ergo & dispen-

dispensandi in lege naturæ. ℞. distinguendo antecedens, ligandi & solvendi ea, quæ ad salutem animarum in ordinato regimine Ecclesiastico pertinent, concedo antecedens, solvendi ea, quæ ad illorum salutem non pertinent, sicut non pertinet relaxatio legis naturæ, nego antecedens, & consequentiam.

Obÿcies 3. Pontifex solet dispensare in juramentis & votis, quorum obligatio est de lege naturæ: ergo potest dispensare in lege naturæ. ℞. distinguendo antecedens, propriè loquendo, nego antecedens, impropriè, concedo antecedens, & nego consequentiam. Itaq; Pontifex solùm declarat votum, vel juramentum, in his vel illis circumstantijs tunc occurrentibus non obligare. *Nec valet dicere*, quòd dispensando in votis Pontifex utatur verbo *Dispenso*; quia verbum illud æquè potest intelligi de dispensatione propriè dicta, ac de impropriè dicta. *Quomodo Papa in votis dispensat.*

Obÿc: 4. Non potest Deus mutare naturas rerum, sed ex natura rerum actus qui prohibentur in Decalogo sunt mali, & qui præcipiuntur sunt boni; ergo in illis nequit Deus dispensare. ℞. distin: min: nisi dispensetur in illis, concedo min: si dispensetur, nego min: & consequentiam.

Dices, Independenter à voluntate Dei, actus in Decalogo prohibiti sunt mali; ergo in illis non potest Deus dispensare. ℞. dist: antec: mali, id est peccaminosi, sicut defactò sunt, nego antec: mali, id est contra rationē rectam, transeat antecedens, & nego consequentiam.

Dices 2. Præcepta Decalogi continent in-

 trin-

trinsecè ordinem virtutis & justitiæ; ergo in illis nequit Deus dispensare. R. dist: antec: inseparabiliter nego antec: separabiliter concedo antec: & nego consequentiam. Itaque malitia moralis præceptorum omnium primæ tabulæ, ita est separabilis ab ipsis divinitùs, ut suppositâ dispensatione Dei non esset formalis injuria, nec peccatum imputabile, elicere actum oppositū præcepto de diligendo, aut colendo Deo: defactò tamen Deus nunquam dispensavit in præceptis primæ tabulæ, propterea indispensabilia meritò dicuntur, non solùm in ordine ad potestatem humanam, sed etiam de potentia ordinaria Dei; & hoc tantùm vult Doctor noster, qui videtur favere magis oppositæ sententiæ, quàm nostræ.

Quis legis veteris author. ASSERTIO X. Lex vetus à Deo condita, & ministerio Angelorum data Moysi, vera fuit & Sancta. *Ultima pars*, de qua potest esse difficultas, *probatur*, tum ex Script: Psal: 10. *Lex Domini immaculata.* Psal: 118. *Beati immaculati, &c.* tum etiam, quia lex illa, quæ condita est ab Authore omnis boni, mala esse non debuit; sed lex vetus est à Deo condita: ergo mala non fuit.

Legis Mosaicæ præcepta. *Pro intelligentia sequentium adverte*, Legis Mosaycæ præcepta alia esse moralia, alia cæremonialia, & alia judicialia. *Moralia*, quæ dirigebant mores in ordine ad amorem Dei, & proximi, sunt præcepta primæ & secundæ tabulæ. *Cæremonialia*, erant illa, quæ docebant usum quarundam cœremoniarum, ad cultum veri Dei ordinatarum. *Judicialia* deniq; docebant modum, quo subditi cum

Supe-

Superioribus, & è contra, se gerere deberent. his notatis, sit.

ASSERTIO XI. Post mortem Christi quoad omnia jam dicta præcepta, cessavit lex Mosayca simpliciter, & absolutè.

Cessatio legis veteris etiam quoad Ceremonialia.

Probatur tum ex Script: Hebræ: 9. Rom: 6. & 7. quibus in locis id asseritur: tum etiam ex Concilio Apost: act: 14. *Visum est Spiritui Sancto, &c.* ubi conclusio videtur definita: ergo est vera.

Nec valet dicere, quod promisit Deus illã legem futuram æternam: nec quod inter Christianos exercitium multarum cæremoniarum, quæ in veteri lege vigebant, ut patet de solutione decimarum, dedicatione templorum, &c. defacto vigeant; non valet inquiam, quia ly *æternum* in primo loco accipitur pro longo tempore: cæremoniæ illæ non observantur vi legis Mosaicæ, neq; ut erant futura signa figurantia Christum, & Ecclesiam, sed potiùs vi consuetudinis, & statuti Ecclesiastici.

Obijc: Præcepta moralia defactò obligant; ergo obligatio veteris Legis quoad omnes partes non cessavit. ℞. dist: antec: obligant quia per naturalem, & novam Christi legem sunt præcepta, concedo antec: obligant, vi præcepti veteris legis, nego antec: & consequentiam.

ASSERTIO XII. Lex vetus, universaliter loquendo, non cessavit in puncto mortis Christi, bene tamen post sufficientẽ Evangelij promulgationem.

Non cessavit in puncto mortis Christi.

Probatur 1. pars. Nova lex non fuit introducta universaliter loquendo, ante illius pro-

mulgationem ſufficientem; ſed non fuit promulgata in morte Chriſti, ſed potiùs in die Pentecoſtes poſt Chriſti mortem, ergo non obligabat in puncto mortis Chriſti; ſubſumo, ſed non ceſſavit lex vetus niſi poſt ſufficientem promulgationem novæ Legis; ergo non ceſſavit in puncto mortis Chriſti.

Probatur 2. pars. Poſt illam promulgationem, nova ſecundùm omnes, obligabat; ergo ceſſavit obligatio veteris, *Dixi univerſaliter*, quia certum eſt, quòd obligatio Legis Moyſaicæ ceſſavit ante Chriſti mortem, reſpectivè ad Apoſtolos, quibus ipſe Chriſtus novam publicavit legem.

Obijc: In Chriſti morte novum teſtamentum fuit confirmatum, ut docet Apoſt:Hebr: 8. & 9. ergo in eodem momento antiquum perijt. ℞. diſt: antec: Confirmatum, taliter ut pro tunc obligaret, nego antec: confirmatũ taliter ut habuerit requiſita ad hoc, ut factâ promulgatione obligaret, concedo antec: & nego conſequentiam.

Præcepta novi Teſtamenti vera.

ASSERTIO XIII. In novo teſtamento continentur, vera & proprie dicta mandata obligantia nos ad ſui obſervationem. Hæc eſt de fide, *& probatur* ex varijs Evangelicæ Legis locis, in quibus Chriſtus ſuorum mandatorum mentionẽ facit. Joann: 15. *Hoc mando vobis.* Idẽ habetur Matth:5.& Joan:2. ergo.

Quãta ſit poteſtas legislativa in Papa.

ASSERTIO XIV. Nec in Pontifice, nec in Imperatore poteſtas eſt ferendi leges civiles, obligantes totum mundum.

Prob: Eorum nullus verum habet totius mundi dominium: ergo nec poteſtatem condendi leges, ad quarum obſervantiam totus mun-

mundus obligaretur. antecedens est certum, & consequentia bona est.

ASSERTIO XV. In Summo Pontifice datur potestas condendi leges Ecclesiasticas, & etiam civiles, obligantes sibi subjectos: similis etiam potestas, loquendo de lege civili, invenitur in omnibus Regibus, & absolutis Principibus; *Est de fide*, quoad omnes partes re ipsâ definita in Constantiensi contra Hussitas, & in Bulla Leonis 10. ac novissimè in Trident: Sess: 7. cap: 8. ergo est vera. *In Regibus*

ASSERTIO XVI. Lege humanâ, etiam civili prohiberi possunt publici actus externi, moraliter vitiosi, imò & aliqui actus moraliter boni. *Probatur 1. pars.* Lex naturalis defactò prohibet omnes tales actus; ergo lex civilis, quæ naturali conformari debet, illos prohibere potest. *Materiæ quam leges civiles præcipere possunt.*

Probatur 2. pars. Actus ex se bonus potest esse impedimentum majoris boni, v. g. si quis sacrum audire vellet, quando ad resistendum hosti invadenti civitatem, necessarius esset; ergo in tali casu lege civili prohiberi potest actus ille.

ASSERTIO XVII. Lege humanâ Ecclesiasticâ directè præcipi possunt actus purè interni. Hæc est Caramuelis Viri doctissimi, meiq; hîc quondam Patroni magni, cap: 4. fundament: Theol: *Prob:* Hæresis purè mentalis interdicitur in Clement: 1. de hæreticis, & propter talem fulminantur excommunicationes, ut patet in Can: *Si quis per stipendium.* dist: 30. sed hæresis illa est actus purè internus, ergo actus purè internus præcipi potest. *Probatur 2.* Superior præ- *Actus interni lege humanâ præcipi possunt.*

 cipe-

cipere potest omnia, quæ prudenter putat, esse necessaria ad assequendum & conservandum finem, quem respicit institutio Reipublicæ; sed Reipublicæ religiosæ ad assequendum suum finem, gratiam nimirum in hac vita, & gloriam in altera, actus purè interni maximè sunt necessarij, & utiles, v. g. oratio mentalis: ergo Prælati tales actus directè præcipere possunt. *Confirm:* Pontifex potest præcipere actum internum, & externum simul, secundùm Adversarios; ergo & ipsum internum secundùm se. Prob: consequentia ex illa Reg: 53. Juris. *Cui licet id quod est plus, utiq; licet quod est minus:* sed plus est posse præcipere internum & externum simul, quàm solùm internum: ergo qui potest illud, poterit etiam hoc.

Probatur ultima Conclusio. Ecclesia in cap: *Dolentes*, de celebratione Missarum, præcipit attentionem in recitandis horis canonicis, & Sacri celebratione, aliàs non peccaret, qui sine attentione legeret illa; sed attentio illa est actus purè internus; ut omnes fateri debent, ergo præcipit actum internum.

Dices Ecclesiam directè præcipere recitationem officij, & indirectè tantùm attentionẽ. *Contra:* Illa indirectè tantùm præcipiuntur, sine quibus poni non possunt, quæ præcipiuntur directè; sed sine attentione interna, externa lectio divini officij poni potest: ergo attentio illa indirectè non præcipitur, & consequenter directè; vel nullo modo peccat, qui eam negligit.

Dices 2. cum Diana, p. 2. tract. 12. reso. 2. & alijs apud ipsum, neminem obligari præcepto

Eccle-

Ecclesiæ ad internam attentionem in recitatione officij, licet bene ad externam, quia non potest Ecclesia vetare, aut præcipere illud, quod non potest punire; sed non potest punire actus purè internos, quia sunt occulti per se, & sic illos nec cognoscere, nec judicare potest Ecclesia, quæ *de occultis non judicat*, teste Trident: sess: 24. c. 1.

Refutatur sententia probabilis Dianæ, quâ semel admissâ, mala multa sequerentur.

Habeat hæc Dianæ opinio probabilitatem, quam potest habere; inde tamen *infero*: ergo qui occultè negligit lectionem divini officij, non facit contra præceptum Ecclesiæ; sed hoc dici nequit, aliàs subditus non peccaret privatim violando præcepta omnia Ecclesiastica, & sæcularia; ergo. Prob: tamen illatum illo ipso argumento, quo Diana probat neminem obligari ad eliciendum actum purè internum; ergo nemo etiam peccat occultè omittendo actum externū; nemo enim peccat, nisi faciat contra præceptum vel legem.

Dices 3. Attentionem internam esse per se occultam, omissionem verò officij secretò, esse per accidens tantùm occultam, quia merè contingens est, quòd non fuerit præsens alius, qui sciret de illa omissione: ergo qui occulte omittit officium, facit contra præceptum Ecclesiæ, quamvis qui negligit attentionem, non facit contra illud. *Contra*, non est potior ratio, cur unum esset contra præceptum Ecclesiæ, & non alterum. Illa deinde occulta, de quibus Ecclesia teste Trident: supra citato, judicare non potest, sunt tantùm per accidens occulta: ergo æq; occultum per se, ac occultum per accidens, excluditur à præcepto Ecclesiæ. Prob: antec: Trident: ibi

ibi loquitur de matrimonio clandestino; sed matrimonium illud est æq; per accidens occultum, ac est omissio secreta divini officij, ut per se patet, ergo Ecclesia de occultis per accidens non judicat, & consequenter, si probabilis est opinio Dianæ, ut esse non nego, qui secretò omittit officiũ divinum, non facit contra præceptũ Ecclesiæ. Bone Deus, si hæc opinio semel admitteretur, quanta non aperiretur via ad occulta mala; admitti tamen debet ab eis, qui docent oppositum nostræ Conclusionis. Pro quibus

Obijc: cum Pontio. Ecclesia actus purè internos nunquam præcepit: ergo nec potest præcipere. ℞. 1. negando consequentiam, quia multa possumus, quæ non facimus. ℞. negando antec: & ratio patet ex dictis.

Obijcies 2. Non potest Ecclesia punire actus purè internos: ergo nec præcipere. ℞. 1. transeundo antec: & negando conseq: aliàs nec actus externos, ut supra dixi, secretos præciperet. ℞. 2. neg: antec: nam defacto, ut patet ex *Can: Si quis*, jam citato, fulminat excommunicationem contra hæresim internam, quam non cognoscit.

Obijc: 3. Ecclesia fatetur se non posse judicare de occultis; ergo lex humana non extenditur ad actus purè internos, qui occultissimi sunt. ℞. dist: antec: non posse judicare potestate coërcitiva, concedo antec: potestate præceptiva seu directiva, nego antec: & consequentiam.

Duplex datur tribunal Ecclesia.

Ut hoc melius intelligas, adverte in Ecclesia tribunalia seu fora esse duo, internum unum, externum alterum: in externo Ecclesiæ

clesia præcipere, judicare & punire solet; in interno verò præcipere, & prohibere, at judicium, & punitionem Deo relinquere solet; & conformiter ad illa Tribunalia duplicem in Ecclesia potestatem admittimus, *præceptivam*, seu directivam scilicet, & *coërcitivam*, hæc forum externum tantùm respicit, illa verò internum & externum simul.

ASSERTIO XVIII. Nemo potest propriis legibus alium obligare, dum est extra suum territorium. Peregrinus potest se conformare legibus loci, per quem transit. Ecclesiastici obligantur legibus civilibus non dedecentibus statum suum quoad vim directivam.

Extra Territorium nemo ligatur legibus territorij.

Probatur 1. pars. tum ex *cap: de Constit: in Sexto:* tum etiam, quia legislatores habent sphæram activitatis suarum jurisdictionum, ultra quam se earum leges non extendunt: & per hoc patet veritas 2. partis; nam liberatus à legibus patriæ, potest se submittere Juribus loci, in quo est: ergo etiam se illis conformare.

Peregrinus quibus legibus se possit conformare.

Tertia ergo pars probatur. Clerici sunt etiã membra Reipublicæ, ergo in his, quæ non sunt contra illorum statum, parere debent legibus Reipublicæ, & consequenter quoad vim directivam, subsunt illis, hoc est, quatenus illis obedire debent, non verò quoad vim coërcitivam, quia per sæculares puniri licitè non possunt, quamvis violarent legem, & hoc est, quod tantùm vult Conc: Lateran:

sub

sub Leone X. dum dicit: *Laicos nullam habere in Ecclesiasticas personas potestatem.*

EPISTYLIUM PROBLEMATICUM COLUMNÆ UNDECIMÆ.

An Legislator tenetur suis Legibus?



COLVMNA XII.

De Virtutibus moralibus ac supernaturalibus per se infusis.

Definitio Virtutis & Vitij. ASSERTIO I. Virtus est habitus inclinans potentiam ad actum moraliter bonum; vitium verò est habitus inclinans potentiam ad actus moraliter malos.

Hæc communis est, & difficultatem etiam non habet, nisi quòd descriptio vitij conveniat concupiscentiæ, quæ inclinat hominem ad peccandum, quamvis non sit in se vitium; Ad quam ℞. nos ad vitium requirere, ut sit productum, vel saltem producibile per actus vitiosos, qualiter non est producibilis concupiscentia.

Una Entitas habitus ad actus contrarios inclinare potest. ASSERTIO II. Idem in entitate physica habitus, potest esse nunc virtus, nunc vitium; *Probatur.* Habitus quo facilitatur Christianus ad abstinendum, orandum; ob cultum veri Dei, est habitus virtuosus; & habitus quo facilitatur infidelis ad abstinendum,

dum, & orandum ob cultum idoli, est habitus vitiosus; sed primus potest facilitare ad posteriores actus, & posterior ad priores actus; ergo habitus virtutis potest concurrere ad vitium, & è contra, habitus vitiosus ad actum virtutis, prob: min: quando Christianus fit à Religione Apostata, idem ille habitus, qui facilitabat ipsum, dum esset fidelis ad orandum vel abstinendum, ob cultum veri Dei, facilitat etiam ipsum ad abstinendum, & orandum, ob cultum idoli, similiter discurre de infideli ad fidem conversi, ergo habitus facilitat ad actus vitij & virtutis.

Obijc: Dantur actus ex intrinseca sua ratione boni; ergo & habitus, qui non possunt esse mali. ℞. Quod quamvis totum esset verum, nihil esset in præjudicium nostræ Conclusionis, ad cujus veritatem sufficeret, quòd aliquis habitus virtutis possit vitium esse, & è contra. ℞ 2. negando absolutè antec: cujus falsitas patet ex dictis de Legibus, Assert: 9.

Obijc: 2. Si conclusio esset vera, posset aliquis per vitiosos actus acquirere intensissimũ habitum virtutis; sed hoc est inconveniens, ergo non est vera. ℞. dist: maj: habitum virtutis quoad entitatem suam physicam, concedo maj: habitum virtutis, quoad bonitatem moralem, nego maj: & distincta similiter min: nego consequentiam. Itaq; habitus ille per actus vitiosos acquisitus, quamvis ex entitate sua physica non repugnet illi ad actum virtutis concurrere, quamdiu tamen actu non concurrit, non virtutis sed vitij dicetur habitus.

AS-

Virtutes Voluntatis quæ sint. ASSERTIO III. Dantur in voluntate virtutes, non solùm circa bonum alienũ, sed etiam circa propriũ; & consequenter subjectũ virtutum non solùm ordinatarum ad aliũ, sed etiam fortitudinis, temperantiæ, & aliarum ad proprium bonum ordinatarum, dici debet. *Probatur.* Voluntas potest velle bonum temperantiæ & fortitudinis, non minùs quàm bonum justitiæ; ergo potest ex frequentibus volitionibus hujusmodi acquirere habitum facilitantem illam ad similes iterum volitiones eliciendas, sicut acquirit habitum justitiæ virtutis, per reiteratos actus justitiæ; & consequenter potest esse subjectũ utriusque.

Probatur 2. conclusio universaliter, quoad omnes partes. Illud debet dici subjectum virtutum, in quo experitur facilitas ad actus virtuosos eliciendos, sed facilitas hujusmodi in voluntate reperitur: ergo. Prob: min: voluntas experitur se facilius, & cum majore inclinatione amare bonum temperantiæ & fortitudinis post frequentes actus, quàm anteà; sed illa major facilitas provenit ab habitu harum virtutum, qui in voluntate per frequentes actus generatur: ergo habitus ille in voluntate subjectatur.

Obijc: Voluntas est potentia libera: ergo ipsa potest se determinare ad prosecutionem boni temperantiæ, & fortitudinis, sine omni habitu in ipsa subjectato. ℞. 1. retorquendo argumentum; ergo & ad prosecutionem boni justitiæ sine habitu, quod est contra adversarios. ℞. 2. dist: consequens, potest se determinare, &c. simpliciter & absolute concedo

cedo consequentiam: cum tanta facilitate, & propensione, nego consequ: Habitus requiruntur ad faciliter operandum, non verò ad simpliciter.

ASSERTIO. IV. Virtus moralis partitur non malè, in quatuor Cardinales, *Prudentiam* scilicet, *Fortitudinem*, *Justitiam*, & *Temperantiam*, in quibus tanquàm in cardine, vita humana versari debet. Hæc est communis, & bona, quamvis non in omni rigore, juxta Logicales bonæ divisionis regulas. *Divisio virtutis moralis in 4. Cardin.*

Hic obiter nota, non solùm (in communi sententia) quòd virtutes morales duo respiciant extrema, unum excedens, & alterum deficiens; sed etiam, quòd medium, in quo consistit virtus, in triplici sit differentia: unum est *rei, vel objecti*, sic in abstinentia, quatuor unciæ panis sunt *medium rei*, alterum est *medium rationis*, hoc est tale, quale recta ratio dictat; cujus exemplum habes in temperantia respectu cibi, cujus medium est illa quantitas, quam dictat recta ratio; tertium medium est, ipsius *actûs*, hoc est, ut sit tantæ, vel tantæ intensionis, vel durationis. Nunc sit *Quæ extrema & media respiciat virtus moralis.*

ASSERTIO V. Non omnis virtus consistit in medio inter duo extrema ex parte objecti, sic, ut quis non perveniendo ad illud medium, aut illud excedendo peccaret. *Virtus non consistit in medio.*

Probatur 1. pars. Non peccat contra temperantiam, qui minùs comedit, quàm per tēperantiam licet; ergo temperantiæ virtus ex parte rei, seu objecti, non habet tale medium, ut quis ad illud non perveniendo peccet.

Probatur 2. *pars.* Non peccat, qui excederet medium justitiæ commutativæ, dando nimirum ex liberalitate, aut misericordia plus, quàm deberet; sed ille excederet medium illius virtutis, quod est dare tantum, quantum debet. Ergo excedendo mediũ non semper peccat quis.

In aliquo tamẽ sensu medium tenent.

ASSERTIO VI. Virtutes morales, communiter loquendo taliter consistunt in medio, ut ex aliquo capite possit quis peccare contra quodvis extremum earum.

Prob: Multæ sunt virtutes, in quibus peccatur non perveniendo ad medium, ut clarũ est in justitia, quæ non servatur, nisi quis det tantum, quantum debet. Item multæ sunt virtutes, in quibus peccatur excedendo medium, ut patet in temperantia. Imò servando mediũ virtutis, potest quis peccare, in casu v. g. quo restitueret quis gladiũ suũ furioso, talis enim exactè ponit medium justitiæ, & tamen peccat; ergo servando medium potest quis peccare.

Nulla est necessaria connexio virtutum inter se.

ASSERTIO VII. Virtutes naturales, ut sunt quatuor cardinales, quibus adde castitatem, nec inter se sunt connexæ, nec à supernaturalibus dependent, aut è contra supernaturales ab ipsis.

Probatur 1. *pars.* Ex illis virtutibus una potest haberi sine altera: ergo inter se non sunt connexæ. Prob: antec: potest aliquis esse castus, & non humilis; temperans, & non justus; liberalis, & non castus; devotus, & impatiens, ut constat experientiâ: ergo potest habere unam ex illis virtutibus, sine altera.

Probatur 2. *pars.* Certum est de fide, quòd in

in parvulis per baptiſmum renatis, ſint virtutes ſupernaturales fidei, ſpei, & charitatis; ſed in illis non ſunt virtutes naturales; ergo naturales non dependent à ſupernaturalibus, aut è contra.

Deinde certum eſt, quòd in hominibus, etiã non elevatis per habitus infuſos, ad fidem ſupernaturalem, inveniatur habitus facilitans eorum potentiam ad actus bonos naturales, & honeſtos: ergo invenitur habitus naturalis ſine ſupernaturali.

Adverſarij quod nobis obijcerent, hactenùs non oſtenderunt, præter authoritates quorundam PP. qui videntur dicere, quòd una virtus non poteſt eſſe ſine alia; ſed facilè ſatisfacimus illis, intelligendo Patres, quaſi vellent dicere, quòd nemo cenſendus eſt abſolutè bonus, qui unam ſolam, aut etiam certum aliquem numerum virtutum, ſine alijs habeat, quia *bonum ex integra cauſa, malum verò ex quocunq; defectu.* *Quomodo SS. PP. in hoc paſſu intelligendi.*

ASSERTIO VIII. Prudentia virtus, bene deſcribitur, habitus intellectualis, quo inclinatur intellectus ad cognoſcendũ, quænam ſint actiones bonæ, & malæ moraliter, & quænam ſint opportuna media eas eliciendi, aut vitandi. Eſt in terminis Pontij hîc diſp: 23. Prob: quia habet bonæ deſcriptionis conditiones. Per ly *habitus intellectualis* diſtinguitur ab habitibus tam appetitûs ſenſitivi, quam rationalis, & convenit cum arte, ſcientia, ſapientia, intellectu, & opinione, de quibus egi in prooemialibus Logicæ. Per ly *quo inclinatur intellectus, &c.* diſtinguitur à jam dictis habitibus intellectualibus; ad- *Definitio prudẽtiæ.*

ditur, & *quæ nam ſint media*, &c. ad denotandum, quòd prudentia non ſolùm tendat in finem, ſed etiam in media, & quod hoc faciat.

Prudentia tendit etiã ad media.

Prob: Quando aliquis hic & nunc conſideratis rectè circumſtantijs omnibus, cognoſcit bonum eſſe cáſtè vivere, & propterea reſolvit ſe ad caſtè vivendum, elicit tunc actum virtutis moralis appetitivæ; ſed ſecundùm adverſarios nullus talis actus elici poteſt abſq; prudentia; ergo tunc habet actum prudentiæ verſantem, non ſolùm circa finem, ſed etiam circa media. *Confirm:* Eſt actus virtuoſus, in his, vel illis circumſtantijs, proponere hoc medium potiùs eligendum, quàm aliud, in ordine ad conſecutionem talis, vel talis finis; ſed hoc facit frequenter prudentia. ergo tendit etiam in media. De partibus tam integrantibus, quàm ſubjectivis prudentiæ lege Conimbricenſes, qui de illis ad nauſeam agunt.

Definitio temperãtiæ.

ASSERTIO IX. Temperantia eſt habitus inclinans potentiam ad moderatè indulgendum voluptatibus guſtûs, & tactûs. Partes ejus integrantes ſunt verecundia, & honeſtas: partes verò ſubjectivæ ſunt caſtitas, pudicitia, abſtinentia, & ſobrietas.

Prima pars probatur communi argumento, quia nimirum habet conditiones bonæ deſcriptionis. *2. Pars patet*, nam *verecundia* dicitur pars temperantiæ, quatenùs temperans dicitur, qui ſolet timere dedecus, ex intemperantia proveniens, & ex tali timore ſæpè in facie hominum rubor excitatur. *Honeſtas* verò ad temperantiam ſpectat, quatenùs eſt habitus inclinans hominem ad non li-

Partes tẽperantiæ.

ben-

benter loquenda, audienda, aut tangenda, ea quæ ſpectant ad venereas res; unde communiter, qui talia evitant, honeſti dicuntur. 3. *pars* non indiget probatione, nam cùm *caſtitas* moderatur voluptatibus venereis, *pudicitia* modum imponit ſignis provocantibus ad voluptates; *abſtinentia* inclinat ad temperatè comedendũ, & *ſobrietas* ad temperatè bibendum; certum eſt, quòd ſint partes temperantiæ.

ASSERTIO X. Fortitudo, quæ eſt virtus moralis, non conſiſtit in robore, ac firmitate corporis, ſed potiùs in habitu inclinante ad ferenda, vel propulſanda mala, præſertim gravia, quæ accidere poſſunt propter honeſtatem, quæ in ijs ferendis, aut propulſandis apparet ex natura ſua, & non quatenùs perpeſſio, aut propulſatio eorum eſt medium ad aliquod aliud bonum.

In quo cõſiſtat pro formali fortitudo.

Prima pars patet, quia flagitioſiſſimus quisq; poteſt ſic eſſe fortis. 2. *etiam pars* per ſe clara eſt; & ſic ex ambabus partibus inferre poſſumus: 1. Quòd fortitudo reſpiciat omnia mala, in quorum perpeſſione, aut propulſatione apparet honeſtas. 2. etiam colligere poſſumus, duos eſſe præcipuos fortitudinis actus, quorum unius eſt ſuſtinere mala; & alterius, ea propulſare cùm expedit. Habet etiam fortitudo partes ſuas integrantes, patientiam ſcilicet, quæ ad ſuſtinenda æquanimiter mala inclinat: longanimitatem, quâ quis ſuperat res magnas cùm procul ſint; & magnanimitatem, quâ quis diſponitur ad ardua pericula ſubeunda.

Actus fortitudinis præcipui.

Datur virtutes per se infusæ. ASSERTIO XI. Dari virtutes per se infusas Theologi meritò affirmant; illas tamen esse habituales per se infusas, de fide non est. *Prob: 1. pars* ex Clemente 5. in Conc: Vienn: ubi expressè docetur his verbis: *Nos attendentes generalem efficaciam mortis Christi, quæ per baptismum applicatur omnibus baptizatis, opinionem quæ dicit, tam parvulis, quàm adultis, conferri in baptismo gratiam, & virtutes, dictis sanctorum, ac Theologiæ Doctorum magis consonam, sacro approbante Concilio dicimus eligendam:* ergo dantur virtutes per se infusæ, quæ in baptismo conferuntur.

Dices Pontificem tantùm velle, quòd dentur virtutes tantùm per accidens infusæ, id est, quæ possunt acquiri exercitio actuum: ergo ex mente Pontificis non bene infertur Conclusionis veritas. *Contrà*, virtutes per accidens infusæ dant facilitatem secundùm omnes; sed virtutes quæ in baptismo conferuntur parvulis, & adultis, non conferunt operandi facilitatem: ergo non sunt per accidens infusæ. Maj: est certa: probatur min: parvuli baptizati, quando perveniunt ad adultam ætatem, non sentiunt majorem facilitatem ad eliciendos actus virtutum, quàm si non baptizarentur, ut patet experientiâ: ergo illæ quæ conferuntur in baptismo, non dant facilitatem operandi, adeóq; non sunt per accidens tantū infusæ; sed potiùs per se.

Authoritate Trid: quòd sint per se infusæ prob: *Probatur 1. pars 2.* ex Trident: sess:6. cap: 2. ubi sic habet: *In hac ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc tria simul infusa accipit homo per JESUM Christum, cui inseritur, Fidem, Spem, & Charitatem.* ergo dantur hæ virtutes etiam per se infusæ. *Di-*

Dices, Authoritatem illam tantùm probare, quòd dentur actus per se infusi, Fidei, Spei, & Charitatis, qui sunt virtutes actuales. *Contrà:* Conciliũ dicit, quòd nobis infundantur virtutes, sed non infunduntur actus, seu actuales virtutes; ergo. prob: min: tum quia act⁹ virtutum producuntur à nobis saltem partialiter agentibus; ergo non infunduntur; tum etiam, quia clarum est, quòd parvuli nullos habeant virtutum actus; ergo non actus, sed habitus illis infunduntur.

Probatur 2. pars. quia nec Viennense, nec expresse Trident: docet dari virtutes per se infusas, sed potiùs quòd dentur virtutes infusæ sine additione particulæ *per se.* ergo dari hujusmodi virtutes non est de fide. *Contrarium tamen* asserere temerarium esset; nam qui in re gravi fidem concernente, contra torrentem Theologorum omnium agit, temerariè loquitur; sed qui negaret dari virtutes per se infusas, ageret in re gravi contra torrentem Theologorum omnium. ergo esset temerarius.

Dari virtutes per se infusas de fide non est.

Obÿc: contra primam partem. Virtutes acquisitæ possunt nobis sufficere: ergo frustrà dicimus, quòd communicentur nobis virtutes per se infusæ, quarum experientiam non habemus. ℞. transeundo antec: & negando consequ: nam ut perducamur ad supernaturalem beatitudinem congruum est, ut applicentur nobis media maximè proportionata illi fini; sed virtutes per se infusæ maximè sunt talia; ergo frustraneæ non sunt. Deinde frustraneum dici non potest, quod à Deo fit;

fit; sed teste Trid: jam citato, virtutes illæ à DEO sunt; ergo non sunt frustraneæ.

Obijc: contra 2. partẽ. Doctorem in 3. d. 23. q. unica, n. 4. *Sicut*, inquit, *credo DEUM esse trinum & unum, ita credo me habere fidem infusam:* ergo secundùm ipsum, de fide est, dari fidem per se infusam. ℞. negando conseq: quia *Scotus* tantùm dicit se credere dari fidem infusam, non verò quòd detur fides *per se* infusa, quæ esset habitus, quod salvâ nostrâ conclusione, verum esse potest.

Virtutes per se infusæ in substãtia sunt supernaturales.

ASSERTIO XII. Virtutes per se infusæ sunt supernaturales in substantia. *Prob:* Virtus supernaturalis in substantia est illa, quæ à solo DEO producitur, sine eo, quod connaturaliter exigat produci ab ulla causa secunda, sed tales sunt virtutes fidei, spei, & charitatis, ergo sunt supernaturales in substantia.

Habitus naturalis à virtutibus per se infusis generatur.

ASSERTIO XIII. Per actus virtutũ supernaturalium, generantur in nobis habitus naturalis ordinis. *Prob:* Fidelis reiterando actum fidei supernaturalis, acquirit facilitatem credendi; sed illa facilitas est habitus naturalis; ergo per actus supernaturales fidei generatur habitus ordinis naturalis. Prob: min: tum quia habitus supernaturales non facilitant potentiam, sed tantùm dant posse producere effectum, ergo facilitas illa quæ generatur per actus supernaturales, non supernaturalis, sed naturalis erit habitus. tũ etiam, quia illa facilitas manet in potentia, non obstante, quòd per hæresim perdat habitum supernaturalem fidei, sed hoc esset falsum, si esset habitus supernaturalis in substan-

ſtantia: ergo non eſt, ſed naturalis; & conſequenter cauſatur talis habitus ab actibus ſupernaturalibus.

Obijc: Naturalis ille habitus, quem nos admittimus, produceretur dependenter à principio ſupernaturali, nempe ab actibus fidei: ergo eſſet ſupernaturalis. ℞. diſt: antec: produceretur neceſſariò, nego antec: per accidens, concedo antec: & nego conſequ: habitus enim illi, qui producuntur per actus ſupernaturales, poſſunt produci independenter ab illis actibus, per actus naturalis ordinis, & ſic non præſupponunt principium ſupernaturale neceſſariò, ſicut deberent præſupponere ad hoc, ut eſſent ſupernaturales.

ASSERTIO XIV. Habitus ſupernaturales requiruntur ſimpliciter ad ſuos actus, eorum tamen concurſus per auxilium Dei extrinſecum divinitùs ſuppleri poteſt. *Prob:* quoad omnes partes ijsdem rationibus, quibus Aſſert: 4. columnæ 3. de viſione beatifica, probavimus neceſſitatem luminis gloriæ, & ijsdem argumentis, quibus ibi oſtendimus, quòd intellectus phyſicâ, & naturali ſuâ virtute concurrat etiam ad viſionem, probamus hic, quòd voluntas phyſicè attingat productionem actuum ſupernaturalium in ſubſtantia: unde quæ ibi de lumine diximus, proportione ſervatâ, de virtutibus ſupernaturalibus hic affirmamus. *Neceſſitas habituum ſupernaturalium.*

ASSERTIO XV. Nullum eſt objectum Virtutis ſupernaturalis, in quod non poteſt tendi actu, & virtute naturali; aut è contrà, objectum virtutis naturalis, in quod non *Virtutis ſupernaturalis objecta attingi poſſunt naturaliter.*

non poteſt tendi actu, & virtute ſupernaturali. *Secunda pars* ſequitur ex prima.

Probatur ergo 1. pars. Fides acquiſita poteſt tendere in quodcunq; objectum, in quod poteſt tendere infuſa; ſed eſt eadem ratio de omnibus alijs objectis virtutum ſupernaturalium; ergo virtute naturali in tale quodvis objectum tendi poteſt. Prob: maj: Poteſt Fides acquiſita tendere in hoc objectum, *Deus eſt Trinus, & unus;* ſed ſi eſſet aliquod objectum fidei ſupernaturalis, in quod non poſſit tendere fides naturalis, eſſet illud; ergo nullum eſt tale objectum, in quod virtute naturali tendi non poteſt. Prob: maj: Si inter Chriſtianos educarentur duo parvuli, quorũ unus eſſet baptizatus, & alter non, & ſpecialiter inter alia fidei myſteria, in jam nominato articulo inſtruerentur, ſicut & in motivo, propter quod deberent credere, videlicet, quia Deus verax revelavit; uterq; parvulus crederet illum articulum propter idem motivum; ſed baptizatus crederet illum fide divinâ, ut omnes concedunt; non baptizatus verò crederet fide tantùm humanâ; propter defectum habitûs iufuſi, ut rationabiliter quivis concedere debet; ergo poteſt aliquis fide humanâ credere DEUM eſſe Trinum, & unum, & conſequenter cognoſcere omnia objecta virtutum ſupernaturalium.

Obijc: Si virtus naturalis, & ſupernaturalis, verſarentur circa idem objectum, non diſtinguerentur ſpecie inter ſe; ſed hoc eſt falſum; ergo non poſſunt verſari circa idem objectum. Prob: maj: Non ſolùm actuum, ſed etiam habituum ſpecificatio deſumi debet ab

ab objecto, ergo si in idem objectum habitus naturales, & supernaturales tendere possent, specie inter se non distinguerentur. ℞. negãdo maj: nam defacto volitio, & intellectio, visio ocularis, & tactus versantur circa idem objectum, & tamen inter se specie distinguũtur, ergo male semper ex diversitate objectorum diversitas actuum colligitur.

Obijcies 2. Si Conclusio esset vera, virtutes supernaturales superfluerent, sed hoc non est dicendum; ergo non est vera. Prob: maj: Si virtutes naturales tenderent in objecta virtutum supernaturalium, ad nil inservirent supernaturales; ergo superfluerent. ℞. negando maj: nam non requiruntur virtutes supernaturales præcisè, ut illis mediantibus attingatur objectum; sed etiam, ut potentia illud attingat perfectioribus actibus, hoc est, supernaturalibus, qui ex natura sua longè perfectiores sunt, quàm naturales.

ASSERTIO XVI. Præter jam annumeratas tres virtutes Theologicas, nullæ aliæ dantur per se infusæ. *Prob:* Nulla est necessitas, ratione, aut authoritate fulcita, quæ probaret ullas alias virtutes per se infusas dari: ergo nullæ dantur. *3. tantùm dãtur virtutes per se infusæ.*

Obijc: Patrum, & Concil: authorit: docentes; actus virtutum moralium esse dona Dei, & ad illos requiri gratiam particularem: ergo sunt per se infusæ, & sic dantur plures quàm tres. ℞. negando consequentiã, nam quamvis virtutes illæ non essent supernatura-

les

les in ſubſtantia, adhuc poſſent eſſe dona Dei, quatenùs ex particulari gratia Dei eſſent collatæ, & in hoc ſenſu pluvia conceſſa intuitu orationis fidelium, donum Dei dici poteſt, quamvis ordinis ſit naturalis.

Explicatio Conc: Viēnenſis in hoc pūcto.

Obijc: 2. Concilium Vienn: dicit illam eſſe magis probabilem opinionem, *quæ docet in baptiſmo infundi gratiam, & virtutes:* ergo præter tres Theologicas virtutes, dantur virtutes aliæ morales, per ſe infuſæ. ℟. Concilium ibi nihil determinâſſe in præjudicium noſtræ Concluſionis, nā tantùm docet, quòd infundantur gratiæ, & virtutes, abſtrahendo ab illa difficultate Theologica, an dentur ullæ tales per ſe infuſæ, diſtinctæ à virtutibus Fidei, Spei, & Charitatis. *Deinde* per hoc, quòd infundantur per ſe ſolæ virtutes Theologicæ, verum eſt dicere, quòd infundatur gratia, & virtutes; & in hoc ſenſu intelligi debet Catechiſmus Romanus, quando dicit, quòd gratiæ adhæreat nobiliſſimus virtutum comitatus, quæ in anima ſimul cum gratia infunduntur; nam ſimul cum charitate, quæ à gratia non diſtinguitur, infunduntur fides, & ſpes, quæ ſunt nobiliſſimæ virtutes.

Obijc: 3. Sequeretur ex Concluſione, quòd parvuli baptizati, & mortui ante uſum rationis, non haberent virtutes morales alias in patria, ſed hoc eſſet inconveniens; ergo aliæ virtutes infunduntur illis ſimul cum tribus Theologicis. ℟. negando ſequelam, nam ſicut Deus liberaliter uſum rationis iſtis parvulis in cœlo confert, quem non habuerunt in

in hac vita, ita etiam virtutes illis morales conferre potest, & fortè solet.

EPISTYLIUM PROBLEMATICUM COLUMNÆ DUODECIMÆ.

An dona beatitudinis, & fructus Spiritûs Sancti, distinguantur specie à virtutibus moralibus, & Theologicis?



COLUMNA XIII.

De natura, & divisionibus Iustitiæ.

CUm Justitia una sit ex quatuor virtutibus cardinalibus, postquàm jam egimus de alijs tribus, recto ordine, ante alias materias de illa agemus; unde sit

ASSERTIO I. Justitia est constans, & perpetua voluntas, jus suum cuiq; tribuendi. *Prob:* ly *constans, & perpetua*, erit genus in quo justitia cum cæteris virtutibus convenit; cæteræ particulæ sunt differentia; ergo constat genere & differentia. *Descriptio Justitiæ ut sic.*

Probatur 2. ipsam declarando, dicitur *constans, & perpetua voluntas*, ad denotandum, quòd sit actus, vel habitus voluntatis inclinans illam ad actus ex electione procedentes eliciendos, idq; constanter, & perpetuò, quãdiu manent in voluntate. Dicitur *jus suum cuiq; tribuendi*, ut ostendatur objectum justitiæ, quod est unicuiq; suum jus distribuere. ergo.

Obijc:

Obijc: Illa descriptio convenit Religioni, obedientiæ, pietati, ergo non est bona. ℞. negando antec: quia objectũ Religionis non est jus, sed suprema potiùs excellentia superioris. Similiter objectum obedientiæ non est jus, sed superioritas, in quantum hæc bonum subditorum respicit. Ad illud de pietate dicemus inferiùs, interea sit

Inter quos possit intercedere rigorosa justitia.

ASSERTIO II. Inter Patrem & Filiũ, Dominum, & servum, hominem, & Angelum, maritum, & uxorem; non verò inter Deum & creaturam, justitia rigorosa intercedere potest; *Probatur 1. pars.* Aliqua bona possunt esse Patris, quæ non sunt Filij, ut omnes concedunt; & aliqua Filij quæ non sunt Patris, ut sunt bona castrensia, id est, in bello acquisita, seu quasi castrensia, id est, quæ ex beneficio Ecclesiastico, aut ex donatione alicujus Principis, aut ratione Clericatûs acquirit: ergo non minùs debet intercedere justitia rigorosa inter alias personas, quàm inter Patrem, & Filium.

Inter Dominum, & servum.

2. Pars patet, quia Dominus ex justitia, tenetur non occidere, aut mutilare servum; & è contra, servus tenetur ad ea facienda, quæ Domino sunt debita: ergo inter illos justitia rigorosa intercedere potest.

Angelum & hominem.

Probatur 3. pars. Angelus habet jus in famam; & idem dic de homine respectu Angeli, ergo inter illos intercedere potest justitia rigorosa.

Probatur etiam 4. pars. Maritus multa potest habere, de quibus, sine injustitia, disponere non potest uxor, illo invito, & similiter

dic

dic de uxore, respectu mariti. ergo inter illos justitia intercedit.

Probatur ultima pars. Omnes actiones humanæ, résq; creatæ, debentur DEO multis titulis, puta gratitudinis, humilitatis, & summæ dependentiæ: ergo inter DEUM, & creaturam justitia rigorosa intercedere non potest. Prob: consequ: ad justitiam rigorosam sequentes requiruntur conditiones. 1. ut debitor satisfaciat ex proprijs suis bonis, non verò ex creditoris. 2. Ut independenter à gratia Creditoris, satisfactio fiat. 3. Ut illud per quod satisfacit, non debeatur Creditori alio titulo. 4. Ut justitia sit ad alterum, quia sibi ipsi de justitia nemo satisfacere potest. 5. Quòd in satisfactione detur passum & repassum, hoc est, quòd is qui obligatur, id est, *debitor*, debeat pati dando aliquid; & ille, cui obligatur, hoc est, *Creditor*, similiter pati debeat, quatenus debuit aliquid alteri facere, ratione cujus alter obligabatur. 6. Ut inter datum & acceptum sit æqualitas arithmetica, sic ut si acceperit centum, debeat centum restituere; nam si creditor pro centum, à debitore acciperet quinquaginta, erit quidem satisfactio de justitia; sed non de rigore justitiæ, quia non datur æquale secundùm se, sed tantùm ex favore & acceptatione creditoris; sed certum est, quòd justitiæ, quæ inter Deum & hominẽ intercedit, illæ conditiones non conveniãt; ergo non est rigorosa. Prob: min: seclusis gratuitis Dei donis, ejúsq; voluntaria acceptatione, opera nostra meritoria non essent; ergo per illa de rigore Justitiæ satisfacere non valemus.

Non verò inter Deũ, & creaturam.

Conditiones justitiæ rigorosæ.

AS-

ASSERTIO III. Æqualitas, seu res debita juri stricto alterius, est objectum materiale *Quod*, & remotum justitiæ, proximũ verò materiale objectum illius, est actus externus, quo ea æqualitas servatur. *1. Pars probatur.* Justitia versatur circa illam æqualitatem; ergo objectum materiale *Quod* & remotum justitiæ, erit res illa æqualis.

Probatur 2. pars. Objectũ mareriale *Quod* proximum cujuscunq; virtutis per se operativæ, seu imperativæ actûs externi, est ipse actus externus, quem imperat, quia circa illum proximè versatur; sed justitia est talis virtus; ergo ejus materiale proximum objectum, erit actus externus quem imperat.

Objectum ejus formale. ASSERTIO IV. Objectum formale proximum justitiæ est particularis honestas, seu moralis rectitudo, quæ est in actu externo, quo jus strictum alterius servatur.

Probatur. Objectum formale proximum cujuscunq; virtutis est illud, quod objectivè propositum allicit, & determinat voluntatẽ ad operandum; sed honestas, seu moralis rectitudo, quæ est in actu externo, allicit & determinat voluntatem ad internum justitiæ actum eliciendum; ergo rectitudo illa erit formale objectum justitiæ.

Prima Iustitiæ divisio. ASSERTIO V. Justitia primò partitur in *legalem, & particularem*, particularis autem, in *commutativam*, & *distributivam*, *Prob:* explicando singulas partes. Legalis est, quæ inclinat ad jus suum communitati, seu Reipublicæ tribuendum; & dicitur *legalis*, quia sicut leges respiciunt bonum commune, ita hæc bonum Reipublicæ. Justitia *particula-*

cularis, est virtus inclinans unum particularē ad jus suum alteri particulari tribuendum.

Justitia *commutativa* est, quâ æquale redditur pro æquali secundùm proportionem *arithmeticam*; sic pro duobus acceptis duo dantur, & pro tribus tria. Justitia autem distributiva est, quâ redditur æquale pro æquali, non simpliciter, sed secundùm proportionem quam vocant *geometricam*, hoc est, habito respectu ad merita, & dignitates personarum, ita ut in quantum dignitas, & merita unius excedunt merita, & dignitatem alterius, sic illud quod datur uni, excedat id quod datur alteri. Ad hanc justitiam spectat distribuere commoda, & onera communia inter partes civitatis; ad commutativam verò spectat versare circa contractus, & commutationes; quapropter de ea principaliter per decursum hujus tractatûs agemus, quanquam non nihil etiam de distributiva tractabimus, unde fit

Quid nominis justitia commutativa.

Quid distributiva.

ASSERTIO VI. Justitia distributiva per se essentialiter respicit plures, quibus juxta proportionem geometricā, quando id fieri potest, distribuendum dictat. *Prob:* Distributor bonorum Reipublicæ, iniquè agit distribuendo illa bona, nisi respiciat personas Reipublicæ, & merita illarum, sed hoc est, quod vult Conclusio; ergo debet illas personas respicere.

Justitia distributiva essentialiter respicit plures.

Obijc: Si ex duobus beneficijs vacantibus, & æqualibus, unum detur magis merito, & alterum minùs merito, servatur ratio justitiæ distributivæ, ergo malè dicimus, quòd justitia illa servat proportionem geometricam.

℟. negando consequ: quia ex parte affectûs justitiæ, si unum illorum beneficiorum esset pretiosius altero, illud digniori daretur, quod sufficit ad afferendum, quòd justitia distributiva servet semper proportionem geometricam.

Quid cõmutativa exigit. ASSERTIO VII. Justitia commutativa non exigit simpliciter, & absolutè servari proportionem geometricam. *Prob:* Justitia commutativa solùm dictat singulis dandum esse æquale absolutè loquendo, pro æquali; ergo non exigit servari proportionem geometricam. Prob: antec: qui debet pauperi centum aureos, & Regi totidem; aut Regi decem, & pauperi quinquaginta, non obstante diversitate dignitatum personarum illarum, non satisfacit justitiæ, nisi det cuique illud quod debebat, & nil infra, sed hoc non esset verum, si justitia commutativa respiceret proportionem geometricam semper : ergo non respicit.

Obijc: Quando aliquis ex contractu multa debet multis, v. g. Petro centum florenos, & Paulo quinquaginta, & non potest integrè utriq; satisfacere, tenetur utriq; secundùm justitiam commutativam satisfacere quantùm potest, & sic si tantùm habeat centum florenos, debet Petro in duplo plus dare quàm Paulo; nec potest totum dari uni, relicto altero, quia sic alteri faceret injuriam : ergo in hoc saltem casu, justitia commutativa servat proportionem geometricam. ℟. quòd in tali casu possit sine ulla injuria totum dare Petro, nihil dando Paulo, & multò magis, tantum dare uni, quantum alteri; ratio est, quia

quia dando Petro, quod debet, & habet, cōmittit actum justitiæ, sed debet, & habet centum florenos; ergo dando illos Petro, nihil dando Paulo, committit actum justitiæ.

Distinctio utriusq; inter se & ab alijs.

ASSERTIO VIII. Justitia commutativa & distributiva simpliciter inter se differunt, & ab utraq; specialis virtus justitiæ legalis distinguitur. *Probatur.* Quod debetur ex justitia commutativa, debetur simpliciter sine respectu ad alios; sed non est sic de justitia distributiva; ergo commutativa à distributiva distinguitur. *Confirm:* Justitia distributiva respicit æqualitatem tantùm geometricam, commutativa verò arithmeticam. ergo hæc ab illa verè distinguitur.

Probatur 2. pars. Quotiescunq; una virtus tendit in aliquod objectum, in quod non tendit alia virtus, distinguitur specie ab illa alia virtute, sed justitia legalis tendit in bonum communitatis, seu Reipublicæ, tanquam in objectum, & in illud nulla alia virtus sic tendit, ergo justitia legalis est virtus specialis, distincta ab alijs.

Obijc: Nulla virtus est bona, nisi tendat in bonum commune: ergo justitia legalis malè diversificatur ab alijs virtutibus, per hoc, quòd sic tendat in bonum commune. Prob: antec: nulla virtus est bona, nisi finis illius sit bonus, sed solius virtutis respicientis bonum commune finis potest esse bonus: ergo nulla virtus est bona, nisi tendat in bonum commune. ℞. negando antec: ad cujus probationem ℞. distinguendo min: nisi ordinetur in bonum commune, positivè nego min: negativè, hoc est, non impediendo bonum com-

mune, concedo min: & nego consequentiam. Temperatè enim vivere semper bonum est, quantum est ex parte virtutis; licet peccaret, qui cum jactura Reipublicæ sic viveret.

EPYSTILIUM PROBLEMATICUM COLUMNÆ XIII.

An justitia vindicativa, respiciat proportionem Arithmeticam?



COLVMNA XIV.

De Vsu, & Dominio.

Definitio juris stricti. PRo resolutione *hic obiter nota, jus strictum rectè describi*; potestas moralis de re aliqua, aut actione disponendi, per se obstans, ne alter alium rationabiliter invitum impediat. *Ejus divisio in reale & personale.* Jus hoc dividitur in Jus *in Re*, & *ad Rem*, seu *in reale*, & *personale*; Jus *in Re*, est facultas, quæ tribuit creditori actionem realem in rem existentem (actionem realem vocant Iuristæ, eam quæ adhæret rei, non verò personæ semper) *Ius ad rem*, est facultas, quæ tribuit actionem personalem, id est obligationem in personam; seu quæ personæ adhæret, non verò rei; exemplum sit in eo, qui mutuò alteri pecuniam dedit; ille enim in personam alterius actionem habet, non verò in pecuniam, quæ ampliùs non est ipsius. At si equum mutuò dedisti, jus habes in Re, quia

equus

equus semper tuus est, & sic actionem realem in ipsum habes, ratione cujus possis licitè illum accipere ubicunq; est.

Jus in re, aliud est *perfectum*, aliud *imperfectum*; *perfectum*, quod & *Dominium* dicitur, aliud est jurisdictionis, & est potestas gubernandi subditos; & aliud proprietatis, quod præcipua est, & potissima juris *in Re* species; unde sit

ASSERTIO I. Dominium proprietatis, seu perfectum est jus in re ad quamlibet dispositionem, nisi lege prohibeatur. *Quid sit Dominiū proprietatis.*

Prob: Descriptio, illam explicando: dicitur *jus*, quia Dominium est species perfecti juris: dicitur *in re*, id est, tam corporali, quàm spirituali, ut cōprehendat utrumq;, Deus enim perfectissimum habet Dominium Angelorū, & animæ rationalis, & consequenter malè in descriptione dominij addidit *Bartolus*, ly *corporali*; subditur, *nisi lege prohibeatur*, nam pupillus, & minorennis sunt veri Domini suarum rerum, licet de eis disponere non possint, juxta illud Apost: ad Galat: 4. *Quanto tempore hæres parvulus est, &c.*

ASSERTIO II. Ususfructus, est jus utendi, & fruendi re alienâ salvâ ejus substantiâ. Per ly *jus*, convenit cum Dominio; per ly *utendi* differt à jure quod habet creditor in pignore, nam illo pignore uti non potest licitè, additur *re alienâ*, ut distinguatur à mero usu, nam usuarius quamvis potest uti prædio, vel domo ad suum proprium usum; non potest tamen locare domum, vel vendere fructus illius: additur *salvâ ejus substantiâ*, ut distinguatur à Dominio perfecto, nam usu- *Ususfructus quid sit.*

fructuarius substantiam rei integrè conservare debet; sic qui habet usumfructum gregis, potest disponere de lana, lacte, & hujusmodi, prout vult; gregem tamen ipsum integrè conservare debet, & pro capite caput substituere, & per hoc varij casus resolvi possunt, nam ad usufructuarium spectant ea omnia, quæ industriâ, casu, vel fortunâ rei adveniunt.

Usus tantùm.

ASSERTIO III. Usus describitur jus utendi tantùm re alienâ, salvâ ejus substantiâ. *Prob:* per ly *utendi tantùm*, distinguitur ab usufructu, ob rationem jam supra tactam, reliquæ particulæ sunt genus, in quo usus, & ususfructus conveniunt.

Usus distinguitur à Dominio.

ASSERTIO IV. In rebus usu consumptibilibus, usus distinguitur à dominio. *Ut probetur* hæc conclusio, *adverte* usum duplicem esse, *juris*, nimirum, *& facti. Usus facti*, est actualis rei usus; v. g. equitatio actualis, comestio, &c. *Usus Iuris* est potestas moralis ad hæc faciẽda propter jus intrinsecum, & radicatum in persona, hoc notato

Probatur Conclusio. Non implicat aliqvem accipere facultatem, revocabilem semper, & dependentem à voluntate dantis, utendi re aliquâ, usu consumptibili; sed ille qui haberet talem facultatem, non potest dici Dominus rei, ergo potest aliquis habere usum rei licitum, sine Dominio.

Quid sit usus Juris, & quid facti.

Prob: 2. Conviva habet usum ciborum sibi appositorum, & tamen non est Dominus illorum, ergo potest dari usus sine dominio. *Item* Religiosi aliorum Ordinum, habent multarum rerum usum, & tamen dicunt se

non

non posse habere ullius rei dominium in particulari; ergo & nos Franciscani non obstãte usu rerum possumus non habere dominium, nec in communi, nec in particulari.

Confirm: Nemo potest fieri ullius rei Dominus, ipso invito, ut est certum, sed nos Franciscani nolumus habere dominium rerum, quibus quotidie utimur: ergo non sumus Domini illarum, & consequenter usus in illis distinguitur à Dominio.

Obyc: Usus, est jus utendi re, salvâ ejus substantiâ; sed in rebus unico usu consumptibilibus, v. g. pane, vino, &c. non potest dari usus distinctus à dominio; ergo in nullo casu. ℞. ibi definiri usum juris, non verò usum facti, id est, quem quis habet dependenter à voluntate alterius, & in hoc sensu, Joannem 22. in extravag: ad Conditorem, fuisse locutum, dum oppositum Conclusionis videbatur docuisse, existimant multi, quibus subscribo.

Quomodo Minores possint dare & permutare res aliquas

Obycies 2. Nos Fratres Minores possumus dare, & permutare res nobis datas prout volumus, ergo sumus earum Domini. ℞. nos non posse id facere, nisi dependenter à voluntate dantis, ad eum ferè modum, quo servi de rebus suorum Dominorum disponere possunt, quarum tamen non sunt Domini.

Definitio Possessionis.

ASSERTIO V. Possessio, est rei corporalis detentio, corporis, & animi, jurisq; adminiculo concurrente. Est communis, & *patet*, quia habet conditiones bonæ descriptionis. Possessio sic descripta, alia est *juris*, alia *facti*; possessio juris est, *jus insistendi rei, ut suæ, non prohibitæ possideri.* Dicitur

jus, ut distinguatur à possessione *facti*, quæ non est *jus*, sed titulus, seu fundamentum juris, si justa sit; & hujusmodi veræ possessionis hæc sunt privilegia, seu regulæ. 1. Possessor bonæ fidei certo tempore præscribit, & fit Dominus rei, quæ non erat sua. 2. In dubio melior est conditio possidentis. 3. Qui possidet, non petit rem in judicio, nec ei incumbit probare, sed ei qui petit. 4. Qui possidet, potest armis defendere suam possessionem naturalem, atq; etiam civilem; servato moderamine inculpatæ tutelæ. 5. Qui expellit injustè aliquem à possessione, amittit illius rei dominium.

Emphyteusis quid?

ASSERTIO VI. Emphyteusis, quæ latinè meliorationem significat, describitur, concessio rei mobilis cum translatione Dominij utilis, retento directo, sub onere certæ pensionis Proprietario solvenda. Hæc non indiget probatione, quia habet bonæ descriptionis conditiones.

Quid sit feudum.

ASSERTIO VII. Fevdum (*à fide quā Vasallus Domino præstare tenetur, dicitur*) describitur, translatio Dominij utilis retento directo, & sub onere fidelitatis, & obsequij personalis. *Probatur* recurrendo ad Regulas bonæ descriptionis, quarum nulla huic deest. Fevdum ab Emphyteusi differt potissimùm, quia in puro fevdo non solvitur pensio, sed obsequium personale; è contra fit in Emphyteusi. De his vide Juristas. Intereà sit

Dominiū in solidum duorū rey. citur.

ASSERTIO VIII. Non possunt dari pro eodem instanti intrinseco, duo in solidum Domini ejusdem rei. *Prob:* Dominium

nium proprietatis (de hoc loquimur) est *jus in re ad quamlibet dispositionem, nisi lege prohibeatur*; sed in instanti, quo Titius v.g. donat Petro equum, Titius nequit disponere de illo equo, sine injuria Petri, nisi consentiat, ergo non est Dominus equi pro illo instanti. Prob: min: Pro illo instanti habet Petrus verum, & formale equi dominium, & Titius vult carere equi dominio; ergo Titius de illo disponere non potest, Petro non consentiente, sine injuria Petri.

Confirm: Titius, illâ suâ donatione abdicat à se Dominium equi, & transfert illud in Petrum consentientem; ergo Titius non manet ampliùs Dominus equi, & consequenter simul cum Petro non habet Dominium in solidum.

Confirm: 2. Nemo potest esse ullius rei Dominus ipso invito, seu nolente, sed in instanti quo Titius donat equum Petro, habet nolitionem dominij istius equi; ergo non potest pro illo instanti esse illius Dominus. Maj: est certa. Prob: ergo min: Titius, ut suppono, pro illo instanti habet volitionem transferendi Dominium equi in Petrum; ergo habet nolitionem, vel saltem negationem volitionis, conservandi sibi dominium equi; sed cum tali nolitione non stat dominium: ergo Titius non est Dominus.

Invitus nõ potest esse Dominus.

Obyc: Dare rem alteri, sive vendendo, sive donando, est actus, & exercitium Dominij, & Domini; ergo pro primo instanti, quo dono librum Petro, sum Dominus libri; sed secundùm omnes Petrus acceptans donationẽ, est etiam Dominus pro illo instanti, ergo am-

bo ſimul ſunt illius rei in ſolidum Domini. ℟. d ſt: antec: eſt actus, vel exercitium Dominij manentis ſimul cum actuali donatione, vel dominatione, nego antec: Actus Dominij immediatè præcedentis tranſeat antec: & nego conſequentiam.

Infideles, peccatores, pueri & amentes, capaces ſunt dominij.

ASSERTIO X. Non ſolùm infideles, ſed etiam peccatores ſunt capaces veri dominij temporalis; & idem dic de pueris ante uſum rationis, & amentibus. *1. Pars* eſt de fide definita in Conſtantienſi Seſſ: 8.

probatur, tum quia in Scriptura Ethnici Reges, & Peccatores dicuntur veri Domini, & Principes, & monemus ad illos honorandos, obſervandóſq; ad Rom: 13. 1. Petri 2. Matth: 23. &c. ergo ſunt veri Domini. Tum etiam ratione. Homo per peccatum non amittit jus quod habet in vitam, & famam; ergo nec jus, quod habet ad res ſuas temporales.

Probatur 2. pars. tum ex Apoſt: ſupra citato, aſſert: 1. col: 13. tum etiam ex communi omnium conſenſu exiſtimantium bona Patris decedentis è vita, ſpectare ad filium etiamſi ſit infans. Ergo infantes, & à paritate amentes ſunt capaces Dominij veri.

Obijc: Dominium omne confertur à DEO, ſed Deus non confert Dominium peccatoribus qui ſunt ejus inimici, ergo non ſunt Domini. ℟. negandò min: quia Deus confert peccatoribus multa alia dona, ergo & Dominium illis conferre poteſt.

Regulares omnes in communi

ASSERTIO X. Regulares poſſunt habere bona temporalia in communi (excipe nos Franciſcanos de Obſervantia) non verò in

in particulari, si solemniter sint professi. 1. *Pars patet* ex Trid: sess: 25. & ex Innocent: 3. in cap: *Olim. de privilegijs. Probatur etiam ratione.* Alij Religiosi non intendunt se privare dominio rerum temporalium in communi, nec Ecclesia ullo statuto illos tali dominio privat; ergo sunt veri Domini.

sunt capaces Dominij, si nos Franciscanos excipias.

Probatur 2. pars. tum ex cap: *Olim. de privilegijs,* ubi sic habetur: *Quidquid Monachus acquirit, non sibi, sed Monasterio acquirit.* tum ex Trident: sess: 25. cap: 2. tum deniq;, quia Religiosi nolunt habere tale dominium; ergo non sunt in particulari Domini.

Dixi in Assertione, *Bona temporalia*, quia quivis Regularis habet dominium sui honoris, famæ, & æstimationis. Addidi etiam, *si sint solemniter professi*, quia Scholastici Societatis, illi nimirum, qui post duos probationis annos, tria simplicia vota emittunt, sunt veri Religiosi, & tamen sunt capaces Dominij in particulari, ut patet ex illorum privilegijs.

Religiosi omnes habēt dominium famæ.

Hinc infertur, Religiosum non posse testari, quia cùm nullius rei temporalis in particulari dominium habet, sic de nulla re testari potest, ut habetur in cap. *Quia ingredientibus:* & propter eandem rationem, Religiosus non potest revocare testamentum à se ante professionem factum, nec aliquid dare potest, vel accipere, sine expressa, vel sufficienter præsumpta licentia, sui Superioris; Potest tamen declarare suam mentem, quam habuit dum testatus est, si quando de illa dubitatur.

Religiosus non potest testari.

Pro resolutionis sequentis intelligentia, *advertte* in peculio Clerici, tria esse bonorū genera;

Quot genera bonorum

℞. negando consequ: quia ex parte affectûs justitiæ, si unum illorum beneficiorum esset pretiosius altero, illud digniori daretur, quod sufficit ad asserendum, quòd justitia distributiva servet semper proportionem geometricam.

Quid cōmutatiba exigit. ASSERTIO VII. Justitia commutativa non exigit simpliciter, & absolutè servari proportionem geometricam. *Prob:* Justitia commutativa solùm dictat singulis dandum esse æquale absolutè loquendo, pro æquali; ergo non exigit servari proportionem geometricam. Prob: antec: qui debet pauperi centum aureos, & Regi totidem; aut Regi decem, & pauperi quinquaginta, non obstante diversitate dignitatum personarum illarum, non satisfacit justitiæ, nisi det cuique illud quod debebat, & nil infra, sed hoc non esset verum, si justitia commutativa respiceret proportionem geometricam semper : ergo non respicit.

Obyc: Quando aliquis ex contractu multa debet multis, v. g. Petro centum florenos, & Paulo quinquaginta, & non potest integrè utriq; satisfacere, tenetur utriq; secundùm justitiam commutativam satisfacere quantùm potest, & sic si tantùm habeat centum florenos, debet Petro in duplo plus dare quàm Paulo; nec potest totum dari uni, relicto altero, quia sic alteri faceret injuriam: ergo in hoc saltem casu, justitia commutativa servat proportionem geometricam. ℞. quòd in tali casu possit sine ulla injuria totum dare Petro, nihil dando Paulo, & multò magis, tantum dare uni, quantum alteri; ratio est, quia

quia dando Petro, quod debet, & habet, cõmittit actum justitiæ, sed debet, & habet centum florenos; ergo dando illos Petro, nihil dando Paulo, committit actum justitiæ.

ASSERTIO VIII. Justitia commutativa & distributiva simpliciter inter se differunt, & ab utraq; specialis virtus justitiæ legalis distinguitur. *Probatur.* Quod debetur ex justitia commutativa, debetur simpliciter sine respectu ad alios; sed non est sic de justitia distributiva; ergo commutativa à distributiva distinguitur. *Confirm:* Justitia distributiva respicit æqualitatem tantùm geometricam, commutativa verò arithmeticam. ergo hæc ab illa verè distinguitur. *Distinctio utriusq; inter se & ab alijs.*

Probatur 2. pars. Quotiescunq; una virtus tendit in aliquod objectum, in quod non tendit alia virtus, distinguitur specie ab illa alia virtute, sed justitia legalis tendit in bonum communitatis, seu Reipublicæ, tanquam in objectum, & in illud nulla alia virtus sic tendit, ergo justitia legalis est virtus specialis, distincta ab alijs.

Obijc: Nulla virtus est bona, nisi tendat in bonum commune: ergo justitia legalis malè diversificatur ab alijs virtutibus, per hoc, quòd sic tendat in bonum commune. Prob: antec: nulla virtus est bona, nisi finis illius sit bonus, sed solius virtutis respicientis bonum commune finis potest esse bonus: ergo nulla virtus est bona, nisi tendat in bonum commune. ℞. negando antec: ad cujus probationem ℞. distinguendo min: nisi ordinetur in bonum commune, positivè nego min: negativè, hoc est, non impediendo bonum com-

mune, concedo min: & nego consequentiam. Temperatè enim vivere semper bonum est, quantum est ex parte virtutis; licet peccaret, qui cum jactura Reipublicæ sic viveret.

EPYSTILIUM PROBLEMATICUM COLUMNÆ XIII.

An justitia vindicativa, respiciat proportionem Arithmeticam?



COLVMNA XIV.

De Vsu, & Dominio.

Definitio juris stricti.

PRo resolutione *hic obiter nota, jus strictum rectè describi*; potestas moralis de re aliqua, aut actione disponendi, per se obstans, ne alter alium rationabiliter invitum impediat. Jus hoc dividitur in Jus *in Re*, & *ad Rem*, seu *in reale*, & *personale*; Jus *in Re*, est facultas, quæ tribuit creditori actionem realem in rem existentem (actionem realem vocant Iuristæ, eam quæ adhæret rei, non verò personæ semper) *Ius ad rem*, est facultas, quæ tribuit actionem personalem, id est obligationem in personam; seu quæ personæ adhæret, non verò rei; exemplum sit in eo, qui mutuò alteri pecuniam dedit; ille enim in personam alterius actionem habet, non verò in pecuniam, quæ ampliùs non est ipsius. At si equum mutuò dedisti, jus habes in Re, quia equus

Ejus divisio in reale & personale.

equus semper tuus est, & sic actionem realem in ipsum habes, ratione cujus possis licitè illum accipere ubicunq; est.

Jus in re, aliud est *perfectum*, aliud *imperfectum*; *perfectum*, quod & *Dominium* dicitur, aliud est jurisdictionis, & est potestas gubernandi subditos; & aliud proprietatis, quod præcipua est, & potissima juris *in Re* species; unde sit.

ASSERTIO I. Dominium proprietatis, seu perfectum est jus in re ad quamlibet dispositionem, nisi lege prohibeatur. *Quid sit Dominiū proprietatis.*

Prob: Descriptio, illam explicando: dicitur *jus*, quia Dominium est species perfecti juris: dicitur *in re*, id est, tam corporali, quàm spirituali, ut cōprehendat utrumq;, Deus enim perfectissimum habet Dominium Angelorū, & animæ rationalis, & consequenter malè in descriptione dominij addidit *Bartolus*, ly *corporali*; subditur, *nisi lege prohibeatur*, nam pupillus, & minorennis sunt veri Domini suarum rerum, licet de eis disponere non possint, juxta illud Apost: ad Galat: 4. *Quanto tempore hæres parvulus est, &c.*

ASSERTIO II. Usufructus, est jus utendi, & fruendi re alienâ salvâ ejus substantiâ. Per ly *jus*, convenit cum Dominio; per ly *utendi* differt à jure quod habet creditor in pignore, nam illo pignore uti non potest licitè, additur *re alienâ*, ut distinguatur à mero usu, nam usuarius quamvis potest uti prædio, vel domo ad suum proprium usum; non potest tamen locare domum, vel vendere fructus illius: additur *salvâ ejus substantiâ*, ut distinguatur à Dominio perfecto, nam usu- *Usufructus quid sit.*

fructuarius substantiam rei integrè conservare debet; sic qui habet usumfructum gregis, potest disponere de lana, lacte, & hujusmodi, prout vult; gregem tamen ipsum integrè conservare debet, & pro capite caput substituere, & per hoc varij casus resolvi possunt, nam ad usufructuarium spectant ea omnia, quæ industriâ, casu, vel fortunâ rei adveniunt.

Usus tantùm. ASSERTIO III. Usus describitur jus utendi tantùm re alienâ, salvâ ejus substantiâ. *Prob:* per ly *utendi tantùm*, distinguitur ab usufructu, ob rationem jam supra tactam, reliquæ particulæ sunt genus, in quo usus, & ususfructus conveniunt.

Usus distinguitur à Dominio. ASSERTIO IV. In rebus usu consumptibilibus, usus distinguitur à dominio. *Ut probetur* hæc conclusio, *adverte* usum duplicem esse, *juris*, nimirum, *& facti*. *Usus facti*, est actualis rei usus; v. g. equitatio actualis, comestio, &c. *Usus Iuris* est potestas moralis ad hæc faciẽda propter jus intrinsecum, & radicatum in persona, hoc notato

Probatur Conclusio. Non implicat aliqvem accipere facultatem, revocabilem semper, & dependentem à voluntate dantis, utendi re aliquâ, usu consumptibili; sed ille qui haberet talem facultatem, non potest dici Dominus rei, ergo potest aliquis habere usum rei licitum, sine Dominio.

Quid sit usus Juris, & quid facti. *Prob: 2.* Conviva habet usum ciborum sibi appositorum, & tamen non est Dominus illorum, ergo potest dari usus sine dominio.

Item Religiosi aliorum Ordinum, habent multarum rerum usum, & tamen dicunt se non

non posse habere ullius rei dominium in particulari; ergo & nos Franciscani non obstāte usu rerum possumus non habere dominium, nec in communi, nec in particulari.

Confirm: Nemo potest fieri ullius rei Dominus, ipso invito, ut est certum, sed nos Franciscani nolumns habere dominium rerum, quibus quotidie utimur: ergo non sumus Domini illarum, & consequenter usus in illis distinguitur à Dominio.

Obijc: Vsus, est jus utendi re, salvâ ejus substantiâ; sed in rebus unico usu consumptibilibus, v. g. pane, vino, &c. non potest dari usus distinctus à dominio; ergo in nullo casu. ℟. ibi definiri usum juris, non verò usum facti, id est, quem quis habet dependenter à voluntate alterius, & in hoc sensu, Joannem 22. in extravag: ad Conditorem, fuisse locutum, dum oppositum Conclusionis videbatur docuisse, existimant multi, quibus subscribo.

Quomodo Minores possint dare & permutare res aliquas

Obijcies 2. Nos Fratres Minores possumus dare, & permutare res nobis datas prout volumus, ergo sumus earum Domini. ℟. nos non posse id facere, nisi dependenter à voluntate dantis, ad eum ferè modum, quo servi de rebus suorum Dominorum disponere possunt, quarum tamen non sunt Domini.

Definitio Possessionis.

ASSERTIO V. Possessio, est rei corporalis detentio, corporis, & animi, jurisq; adminiculo concurrente. Est communis, & *patet*, quia habet conditiones bonæ descriptionis. Possessio sic descripta, alia est *juris*, alia *facti*; possessio juris est, *jus insistendi rei, ut suæ, non prohibitæ possideri.* Dicitur

jus, ut distinguatur à possessione *facti*, quæ non est *jus*, sed titulus, seu fundamentum juris, si justa sit; & hujusmodi veræ possessionis hæc sunt privilegia, seu regulæ. 1. Possessor bonæ fidei certo tempore præscribit, & fit Dominus rei, quæ non erat sua. 2. In dubio melior est conditio possidentis. 3. Qui possidet, non petit rem in judicio, nec ei incumbit probare, sed ei qui petit. 4. Qui possidet, potest armis defendere suam possessionem naturalem, atq; etiam civilem; servato moderamine inculpatæ tutelæ. 5. Qui expellit injustè aliquem à possessione, amittit illius rei dominium.

Emphyteusis quid? ASSERTIO VI. Emphyteusis, quæ latinè meliorationem significat, describitur, concessio rei mobilis cum translatione Dominij utilis, retento directo, sub onere certæ pensionis Proprietario solvenda. Hæc non indiget probatione, quia habet bonæ descriptionis conditiones.

Quid sit feudum. ASSERTIO VII. Fevdum (*à fide quã Vasallus Domino præstare tenetur, dicitur*) describitur, translatio Dominij utilis retento directo, & sub onere fidelitatis, & obsequij personalis. *Probatur* recurrendo ad Regulas bonæ descriptionis, quarum nulla huic deest. Fevdum ab Emphyteusi differt potissimùm, quia in puro fevdo non solvitur pensio, sed obsequium personale; è contra fit in Emphyteusi. De his vide Juristas. Intereà sit

Dominiũ in solidum duorũ rey. citur. ASSERTIO VIII. Non possunt dari pro eodem instanti intrinseco, duo in solidum Domini ejusdem rei. *Prob:* Dominium

nium proprietatis (de hoc loquimur) est *jus in re ad quamlibet dispositionem, nisi lege prohibeatur*; sed in instanti, quo Titius v.g. donat Petro equum, Titius nequit disponere de illo equo, sine injuria Petri, nisi consentiat, ergo non est Dominus equi pro illo instanti. Prob: min: Pro illo instanti habet Petrus verum, & formale equi dominium, & Titius vult carere equi dominio; ergo Titius de illo disponere non potest, Petro non consentiente, sine injuria Petri.

Confirm: Titius, illâ suâ donatione abdicat à se Dominium equi, & transfert illud in Petrum consentientem; ergo Titius non manet ampliùs Dominus equi, & consequenter simul cum Petro non habet Dominium in solidum.

Confirm: 2. Nemo potest esse ullius rei Dominus ipso invito, seu nolente, sed in instanti quo Titius donat equum Petro, habet nolitionem dominij istius equi; ergò non potest pro illo instanti esse illius Dominus. Maj: est certa. Prob: ergo min: Titius, ut suppono, pro illo instanti habet volitionem transferendi Dominium equi in Petrum; ergo habet nolitionem, vel saltem negationem volitionis, conservandi sibi dominium equi; sed cum tali nolitione non stat dominium: ergo Titius non est Dominus. *Invitus nõ potest esse Dominus.*

Obyc: Dare rem alteri, sive vendendo, sive donando, est actus, & exercitium Dominij, & Domini; ergo pro primo instanti, quo dono librum Petro, sum Dominus libri; sed secundùm omnes Petrus acceptans donationẽ, est etiam Dominus pro illo instanti, ergo am-

bo simul sunt illius rei in solidum Domini. ℞. dist: antec: est actus, vel exercitium Dominij manentis simul cum actuali donatione, vel dominatione, nego antec: Actus Dominij immediatè præcedentis transeat antec: & nego consequentiam.

Infideles, peccatores, pueri & amentes, capaces sunt dominij.

ASSERTIO X. Non solùm infideles, sed etiam peccatores sunt capaces veri dominij temporalis; & idem dic de pueris ante usum rationis, & amentibus. *1. Pars* est de fide definita in Constantiensi Seß: 8. *probatur*, tum quia in Scriptura Ethnici Reges, & Peccatores dicuntur veri Domini, & Principes, & monemus ad illos honorandos, observandósq; ad Rom: 13. 1. Petri 2. Matth: 23. &c. ergo sunt veri Domini. Tum etiam ratione. Homo per peccatum non amittit jus quod habet in vitam, & famam; ergo nec jus, quod habet ad res suas temporales.

Probatur 2. pars. tum ex Apost: supra citato, assert: 1. col: 13. tum etiam ex communi omnium consensu existimantium bona Patris decedentis è vita, spectare ad filium etiamsi sit infans. Ergo infantes, & à paritate amentes sunt capaces Dominij veri.

Obijc: Dominium omne confertur à DEO, sed Deus non confert Dominium peccatoribus qui sunt ejus inimici, ergo non sunt Domini. ℞. negandò min: quia Deus confert peccatoribus multa alia dona, ergo & Dominium illis conferre potest.

Regulares omnes in communi

ASSERTIO X. Regulares possunt habere bona temporalia in communi (excipe nos Franciscanos de Observantia) non verò in

in particulari, si solemniter sint professi. 1. *Pars patet* ex Trid: sess: 25. & ex Innocent: 3. in cap: *Olim. de privilegijs. Probatur etiam ratione.* Alij Religiosi non intendunt se privare dominio rerum temporalium in communi, nec Ecclesia ullo statuto illos tali dominio privat; ergo sunt veri Domini.

sunt capaces Dominij, si nos Franciscanos excipias.

Probatur 2. pars. tum ex cap: *Olim. de privilegijs,* ubi sic habetur: *Quidquid Monachus acquirit, non sibi, sed Monasterio acquirit.* tum ex Trident: sess: 25. cap: 2. tum deniq;, quia Religiosi nolunt habere tale dominium; ergo non sunt in particulari Domini.

Dixi in Assertione, *Bona temporalia*, quia quivis Regularis habet dominium sui honoris, famæ, & æstimationis. Addidi etiam, *si sint solemniter professi*, quia Scholastici Societatis, illi nimirum, qui post duos probationis annos, tria simplicia vota emittunt, sunt veri Religiosi, & tamen sunt capaces Dominij in particulari, ut patet ex illorum privilegijs.

Religiosi omnes habēt dominium famæ.

Hinc infertur, Religiosum non posse testari, quia cùm nullius rei temporalis in particulari dominium habet, sic de nulla re testari potest, ut habetur in cap. *Quia ingredientibus:* & propter eandem rationem, Religiosus non potest revocare testamentum à se ante professionem factum, nec aliquid dare potest, vel accipere, sine expressa, vel sufficienter præsumpta licentia, sui Superioris; Potest tamen declarare suam mentem, quam habuit dum testatus est, si quando de illa dubitatur.

Religiosus non potest testari.

Pro resolutionis sequentis intelligentia, *adverte* in peculio Clerici, tria esse bonorū genera;

Quot genera bonorū

rum inbe-niantur in peculio Clerici.

nera; *Patrimonialia* scilicet, *quasi Patrimonialia*, & *Ecclesiastica*. *Patrimonialia* sunt illa, quæ Clerici acquirunt per successionem, donationem, contractum, vel industriam. *Quasi patrimonialia* sunt illa, quæ illis proveniunt propter onera, quæ suscipiunt, v. g. propter Sacra, Capellanias, &c. *Ecclesiastica* deniq; sunt illa, quæ proveniunt ex bonis suorum beneficiorum, illorum nempè, quæ appropriatæ sunt Ecclesiæ, ad procurationem divini cultûs, & sustentationem ministrorum ejus. His notatis, sit

Quarum rerum sint Domini Clerici.

ASSERTIO XI. Clerici sunt absoluti Domini bonorum Patrimonialium, & etiam quasi Patrimonialium, non verò Ecclesiasticorum.

1. Pars patet ex Trident: jam supra citato, & etiam quia nec jure naturali, nec positivo, nec ratione naturali constat oppositum: ergo non est asserendum.

2. Pars probatur. Illa bona conferuntur Clericis, uti merces & stipendium laborum, ac operum personalium ipsorum; vel ut præmium, & remuneratio eorum, quæ aliâ viâ poterant sibi acquirere, sed quocunq; modo conferuntur illis, transeunt in illorum verũ Dominium: ergo illorum bonorum sunt veri Domini.

Probatur 3. pars. Quia illorum bonorum sunt tantùm Procuratores, & Administratores; ergo non sunt illorum Domini, & consequenter ad libitum de illis disponere non possunt.

ASSERTIO XII. Beneficiarij sunt veri Domini omnium fructuum, etiam super-

perfluorum, suorum beneficiorum, ita ut ex justitia nihil teneantur dare pauperibus.

Beneficiarij ex justitia non tenentur pauperibus superflua dare.

1. Pars est communis, & patet illis rationibus, quibus priorem assertionē probavimus.

Probatur etiam 2. pars. quia nec ratione, nec authoritate ostendi potest, quòd Beneficiarij sic obligentur: ergo ex justitia non tenentur dare superflua pauperibus. Probatur àntec: jura omnia quæ videntur id insinuare, commodè intelligi possunt de obligatione charitatis, & obedientiæ: & dicta sancti Bernardi, & aliorum SS. PP. maximâ ex parte agunt de temporibus primitivæ Ecclesiæ: ergo defacto ex justitia non tenentur etiam superflua pauperibus distribuere.

Et si quæras, an ulla lege teneantur beneficiarij superflua dare pauperibus? ℞. quòd teneantur, ex duplici lege charitatis nimirum, & obedientiæ. *Probatur* authoritate tot SS. PP. ac Doctorum Ecclesiæ, quos fusè citat Navarrus: & etiam Trident: sess: 25. c. 5. de Reformatione. Idem habetur in Can: 39. Concil: Apost: in quo prohibetur, *nè res Ecclesiasticæ, quæ Dei sunt, consanguineis donentur, sed si pauperes sint, inter illos, ut inter pauperes distribuantur.* ergo ex obedientia & charitate debent pauperibus succurrere.

Ex lege charitatis debent superflua pauperibus distribuere.

ASSERTIO XIII. Rerum divisiones, ac proprietates, non ex præcepto juris naturæ, sed juris gentium institutæ sunt.

Quo jure introducta est divisio dominiorum.

Probatur 1. pars. tum *ex cap: Ius naturale, dist:* 1. ubi dicitur, *quòd jure naturæ omnia sint communia*; tum etiam ex *cap: Dilectissimi. 12. q. 1.* ubi idem dicitur: tum denique, quia communitas dominiorum magis conduceret com-

communi quieti hominum, eorúmq; sustentationi, in statu innocentiæ, si perseverâsset, quàm eorum divisio; sicut defacto communitas illa maximè necessaria est ad tranquillam, & quietam sustentationem, & vitam Religiosorum, in Conventibus commorantium: ergo divisio dominiorum non ex præcepto juris naturæ facta est.

Probatur 2. pars. Divisio dominiorum est valde necessaria ad pacificam conversationē, & necessariam sustentationem hominum post lapsum, ergo præcepto juris gentium instituta est; seu saltem permissa est, ex suppositione, quòd non posset esse pacifica conversatio in communitate, sine rerum divisione.

Obijcies contra primam partem. Furtum est contra jus naturale; sed hoc non esset verum, nisi jure naturæ dominium conveniret alicui; ergo convenit. ℞. transeundo maj: & neg: min: qúia sicut non obedire Magistratui est contra jus naturæ, licet Potestas Magistratûs à jure positivo humano instituta sit; ita furari alteri quod suum est, quocunq; titulo illud acquisivit, est contra jus naturæ, licet dominium est à jure positivo.

Obijc: 2. Communitas rerum est juris naturalis; ergo jure gentium mutari aut tolli non potest. ℞. dist: antec: juris naturalis præceptivè, nego antec: permissivè, concedo antec: & nego consequentiam.

Bona vacantia cujus. ASSERTIO XIV. Animalia, quæ nullius sunt, fiunt primò occupantis, & idē dic de bonis derelictis. *Prima pars patet* ex §. *Feræ*, institution. de rerum divisione.

2. *etiā*

2. *etiam pars probatur*, quia non potest ostendi, cujus alterius deberent illa esse, ergo sunt primò occupantis.

ASSERTIO XV. Usucapio est acquisitio dominij, per continuationem temporis, lege definiti. Usucapio, etiam in Conscientia, transfert Dominium. *Definitur Usucapio.*


Prima pars patet, quia habet conditiones bonæ descriptionis: ergo.

2. *Pars etiam patet.* Respublica potest ex causa rationabili disponere de bonis privatorum, ne aliàs sit summa in communitate confusio; ergo per usucapionem potest in conscientia transferri dominium. Ut tamen *usucapio*, & etiam *præscriptio* verè transferant dominium in alium, requiruntur quinq; conditiones: *Res, scilicet, præscriptibilis, possessio, bona fides, titulus, & tempus.* De quibus lege Lugonem, & Lessium. *Conditiones usucapionis, & etiã præscriptionis*

EPYSTILIUM PROBLEMATICUM COLUMNÆ XIV.

An bona incerta ex delicto occupata, dari debeant pauperibus?

CO-



COLVMNA XV.

De restitutione in genere, & causis excusantibus ab illa.

Definitur restitutio. ASSERTIO I. Restitutio, est redditio rei alienæ injustè ablatæ, secundùm æqualitatem: Per ly *redditio* restitutio convenit cum satisfactione, per reliquas particulas distinguitur ab illa.

Obijc: Restitutio secundùm Doctorem in 4. d. 15. q. 2. n. 28. non præsupponit semper injustitiã; ergo malè dicimus, quòd sit rei alienæ injustè ablatæ redditio. ℟. Doctorem esse intelligendum de restitutione latè sumpta, prout significat quamcunq; traditionem rei alienæ, qualis est restitutio rei mutuatæ, non verò de restitutione strictè sumpta, quam nos supra descripsimus.

Necessitas restitutionis. ASSERTIO II. Restitutio necessaria est ad salutem, necessitate præcepti, non verò medij. *1. Pars patet* tum ex script: Rom: 14. *Reddite omnibus debita.* tum ex August: epist: 57. ad Macedonium: *Non remittitur*, inquit, *peccatum, nisi restituatur ablatum;* tum etiam ratione, retinere alienum invito Domino, tam adversatur illi præcepto, *non furtum facies*, quàm alienum auferre invito Domino; sed hoc ultimum non facere est necessarium necessitate præcepti; ergo & primum. Prob: maj: retentio rei alienæ est con-

continua ablatio illius, & consequenter continuum furtum vel rapina, nam jura pro eodem reputant auferre & detinere alienum injustè. ergo retinere rem alienam, tam adversatur illi præcepto, *Non furtum facies,* ac adversatur illi alienum auferre invito Domino, & consequenter tam bene unũ cadit sub præcepto, ac alterum.

Probatur 2. *pars.* Impotens restituere, sicut & invincibiliter ignorans obligationem restituendi, justificantur, & excusantur à restitutione; sed hoc esset falsum, si restitutio esset necessaria, necessitate medij: ergo non est; maj: est certa, quia ad impossibile nemo obligatur. Min: etiam patet, quia necessitas medij nullam patitur excusationem.

Obijc: contra 1. *partem.* Christus Lucæ 11. postquàm Pharisæos de rapina reprehendit, subdit: *Verùmtamen quod superest date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis.* ergo non restitutio, sed eleemosyna est necessaria ad justificationem. ℞. dist: consequens, raptoribus qui ignorant Dominos, quibus rapuerunt res suas (de talibus ibi loquitur Salvator) concedo consequentiam: scientibus veros Dominos, nego consequentiam.

Obijc: contra 2. *partem.* Anima defuncti detinetur in purgatorio, donec hæredes ipsius restituant, quod ille debuerat; ergo restitutio in re exhibita, est necessaria necessitate medij ad salutem. ℞. negando antec: nam si à defuncto bene cautum fuerat, de facienda restitutione, negligentia hæredũ nequit illum à cœlo excludere; licet nocere ei possit, quatenùs illum privat spirituali e-

molumento, tam restitutionis honestæ, & meritoriæ, pro ejus liberatione, aliàs faciendæ; quàm suffragiorum illorum, qui compensatione acceptâ, pro eo orarent.

Quid sit culpa formalis, & quid materialis.

Quæres, quid sit culpa formalis, seu injusta acceptatio formaliter accepta, & quid culpa materialis, seu acceptatio materialis? ℞. culpam formalem in proposito esse actum, quo alteri advertenter injustè infertur nocumentum; culpa verò tantùm materialis est retentio, seu acceptatio rei alienæ, quam acceptans probabiliter putat esse suam; & hæc duo sunt radices, seu obligationes restituendi.

Quando quis restituere teneatur damnum.

ASSERTIO III. Nemo tenetur jure naturæ restituere damnum illatum, sine sua culpa Theologica formaliter injuriosa.

Probatur 1. pars. Damnum alicui illatum sine ipsius Theologica culpa, non est illi imputabile; ergo nemo tenetur jure naturæ damnum illud resarcire. Prob: antec: exemplo furiosi homicidæ, qui ad nihil tenetur.

Probatur 2. pars. quia nisi actio sit formaliter injuriosa, non peccat quis contra jus alterius per illam; ergo cùm jus illius non sit læsum, nulla debet fieri illi recompensatio.

Obijc: Qui, invincibiliter Deum ignorans, proximo deliberatè infert notabile damnũ, tenetur ad restitutionem; sed non habet culpam Theologicam, quia non peccat tunc in Deum; ergo damnum illatum etiam sine culpa Theologica, inducit obligationem restituendi. ℞.conc: maj: & negando min: quia nomine culpæ Theologicæ intelligimus, non solùm mortale peccatum, sed etiam quamcunq;

cunq; deliberatam actionem, quâ proximo damnum notabile infertur: talis autem inferret proximo notabile damnū: ergo Theologicè peccaret.

Damnum grave sub mortali obligat ad restitutionem.

ASSERTIO IV. Damnum grave cum mortali culpa illatum, ad restitutionem sub mortali obligat adferentem; cum culpa verò veniali non nisi sub veniali, nisi aliter lege, aut consuetudine statutum sit.

1. Pars probatur. Qui violat justitiam commutativam in re gravi, tenetur ad restitutionem sub mortali, sed inferens damnum grave, cum mortali culpa, violat sic justitiam commutativam; ergo tenetur ad restitutionem sub mortali.

Probatur 2. pars. Obligatio satisfaciendi oritur formaliter à culpa; ergo ubi culpa est tantùm venialis, obligatio erit tantùm sub veniali, & consequenter inferens grave damnum cum veniali tantùm culpa, ad restitutionem sub mortali non tenebitur.

Obijc: contra 2. partem. Materia gravis inducit gravem justitiæ obligationem, ergo damnum grave illatum, cum veniali peccato, restituendum est sub mortali. ℞. dist: antec: gravem obligationem, quando per se obligat, ne detineatur, concedo antec: quando tantùm obligat ratione præteritæ levis culpæ, nego antec: & consequentiam.

Obijc: 2. Proijciens in mare gemmam proximi, pretij centum ducatorum, quam ipse putaret esse tantùm pretij centum florenorum, teneretur restituere centum ducatos sub peccato mortali; ergo quamvis putaret eam valere tantùm duos grossos, teneretur

adhuc restituere centum ducatos; sed per illam projectionem non peccaret nisi venialiter; ergo damnificans cum culpa tantùm veniali, tenetur sub mortali ad restitutionem. ℞. negando antec: (loquor de obligatione conscientiæ seclusis legibus particularibus) quia proijciens non est in causa culpabili, cur alius perdidit gemmam pretij centum aureorùm, sed tantùm centum florenorum, vel duorum grossorum, & sic in foro conscientiæ non tenetur restituere nisi centum florenos, aut duos grossos; licet bene in foro fori, seu extero posse cogi.

Quid bonæ fidei possessor teneatur restituere.

ASSERTIO V. Qui rem alienam bonâ fide consumit, vel alienat, tenetur id tantùm restituere, in quo factus est ratione illius rei locupletior. *Prob:* Talis possessor tenetur ad restitutionem ratione rei acceptæ tantùm, non verò ratione injustæ acceptionis, quia possessor bonæ fidei nil injustè accipit: ergo id tantùm tenetur restituere, in quo factus est locupletior ratione illius rei. Exemplo rem declaro, si vestem pretij centum aureorum à fure tibi donatam, bonâ fide accepisti, posteà verò Dominus vestis comparet; in primis restituere debes ipsi ipsam vestem, jam fortè attritam, deinde compensare debes attritionem vestis non omnimodè, sed quatenùs ditior factus es: v. g. si eo anno, quo usus es illâ veste, viginti aureos te vestiendo insumpsisses, nisi vestem illam dono accepisses, non centum aureos, sed viginti tantùm, simul cum attrita veste restituere debes; At si vestem illam emisti, tunc nihil

præ-

præter ipsam vestem restituere debes, ut docent authores communiter.

De fructibus rei alienæ bonâ fide acceptæ, non est quod dicam, nisi quòd, si sint meræ industriæ, ad bonæ fidei possessorem pleno jure spectent; si verò sint fructus merè naturales, & quòd adhuc existant, restitui debent Domino rei; quia tales fructus videntur esse aliquid ipsius rei.

ASSERTIO VI. Malæ fidei possessor non solùm tenetur restituere rem alienam, sed etiam omnes fructus quos ex illa percepit. *Prob:* Possessor malæ fidei, id est, qui scienter rem alienam injustè possidet, habet plus quàm suum est; ergo tenetur rem illam restituere. *Quid malæ fidei restituere debet.*

Probatur 2. pars de fructibus. tum ex regula Iuris, quæ dicit, quòd *res quævis Domino suo fructificat;* tum etiam, quia si fructus ad furē pertinerent (possessor malæ fidei re ipsâ fur est) licitè posset quis ex furtis & rapinis ditescere; hoc autem est contra ipsum lumen naturæ; ergo non pertinent.

Obijc: Dominus rem suam recipiens sine fructu, tantū habebit, quantū si nihil fur abstulisset ei; ergo fur, vel possessor malæ fidei, non tenetur illi restituere fructus. ℞. negando antec: quia antea habuit rem suā fertilem, & magis fructuosam in actu primo, quàm tunc haberet.

ASSERTIO VII. Si res aliena effecta sit majoris valoris intrinseci, aut extrinseci, & adhuc existit, debet restitui Domino cum suo valore. *Prob:* Quia valor ille non est furis (suppono enim non esse furis industriâ *Valor rei si major effectus sit simul restitui debet cum re.*

ſtriâ auctum, aliàs ad furem ſpectaret) ergo eſt Domini cujus eſt, & res, & conſequenter illi reſtituendus eſt: tum etiam, quia valor ille adveniret rei, ſi apud Dominum extaret; ergo ſi extat apud furem; eſt Domino ſimul cum re reſtituendus.

Hinc ſequitur, quòd ſi furatus es pullum equinum, qui tunc valebat decem florenos, & poſteà apud te excrevit in equm, valoris centum florenorum, non ſatisfeciſti dando decem florenos, quia incrementum pulli eſt Domini, & ſic cum ſuo incremento debes illum reſtituere; poteris tamen ſubtrahere ſumptus, & pretium induſtriæ tuæ.

Si valor propriâ induſtriâ tantùm crevit, non eſt reſtituendus cum re furata.

ASSERTIO VIII. Si fur rem furtivam, ſuâ induſtriâ auctam valore extrinſeco, vendat tempore augmenti, non tenetur per ſe valorem illum reſtituere, niſi in quantum Dominus eſt paſſus damnum ex carentia rei furtivæ. *Prob:* Augmentum illud pretij eſt fructus meræ induſtriæ ipſius furis, ergo ad furem, & non ad Dominum ſpectat.

Obijc: Ergo poteſt quis licitè diteſcere ex alienis, furando & efficiendo res alienas meliores. ℞. Illum non poſſe licitè furari, licet bene ſuppoſito illicito furto, poſſet licitè non ex illis, ſed ex propria ſua induſtria diteſcere.

Hinc colligitur, furem, qui frumentum furtivum transfert ex loco ubi minùs valet, ad locum ubi magis valet, v. g. ex Hibernia in Galliam, ſeu ex Bohemia in Saxoniam, & ibi illud vendidit majori illo pretio, non teneri ad reſtituendum Domino in Hibernia, vel Bohe.

Bohemia, nisi pretium currens in illis regnis pro frumento.

ASSERTIO IX. Qui rem alienam bonâ fide emit, potest eam furi restituere, & pretium recipere; non verò qui malâ fide. *Res bonâ fide empta furi potest restitui.*

Probatur 1. pars. Tum ex illa regula Juris, *nemo damnum facit, nisi qui illud facit, quod facere jus non habet.* Sed in casu conclusionis, bonæ fidei possessor, non facit, nisi quod facere jus habet: ergo bonæ fidei possessor, potest furi rem restituere. Tum etiam ratione, nemo tenetur restituere rem alienam bonâ fide acceptam, cum tanto suo damno, quanti res restituenda Domino valet; ergo emens bonâ fide rem alienam, non tenetur eam Domino restituere cum jactura pretij, bonâ fide pro ea re dati: consequentia est evidens, prob: ergo antec: in casu quo ego, vel proximus damnum pati debemus, sine mea ulla culpa, lex charitatis erga me suadet, ut me ipsum potiùs quàm proximum servem indemnem; sed non servarem, nisi rem alienam bonâ fide acceptam, possim furi, à quo eam emi, restituere, & pretium iterùm recipere, ergo licitè possum hoc facere.

Probatur jam 2. pars. Talis tenetur ad restitutionem, non tantùm ratione rei acceptæ, sed etiam ratione injustæ acceptionis, quia scienter rem alienam invito Domino accepit; ergo etiam cum jactura pretij, tenetur illam rem proprio Domino immediatè restituere.

Obijc: contra 1. partem. Non licet rem alienam ex statu meliori deducere ad pejorem; sed res aliena apud bonæ fidei possessorem est in meliori statu, quàm apud furē; ergo non

licet bonæ fidei possessori illam reddere furi. ℟. dist: maj: directè, & ex proposito, concedo maj: indirectè, & ut se servet indemnem à malo imminente sibi, sine sua culpa, nego maj: & distinctâ similiter min: nego consequentiam. Itaq; sicut licet tibi occidere injustè aggredientem, si aliter te non possis salvare, ita licet tibi rem alienam à fure acceptam, eidem tradere, ut te serves indemnem, quando aliter non potes te servare.

9. Modi, quibꝰ quis potest cooperari ad inferendū damnum. *Pro intelligentia* sequentium Conclusionū *nota*, cum Doctore in 4. d. 15. q. 2. a. 4. Novem modis unum posse cooperari cum altero ad inferendum damnum proximo, qui omnes hoc disticho comprehenduntur:

Modi directi 6. & indirecti 3.

Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

Ex his sex priores directè & positivè cooperantur; reliqui verò indirectè tantùm, seu negativè, ad damnum concurrunt. *Jussio*, significat eum, qui mandat; *consilium*, qui suadet; *consensus*, qui efficaciter approbat; *palpans*, qui exaggerando acceptam contumeliam, concitat ad vindictam; *recursus*, qui recipit malefactorem; *participans*, qui subsidium ad damnum inferendum præbet; *mutus, non obstās, non manifestans* denotāt eos, qui cùm damnum impedire possent, & deberent, dolo vel negligentiâ, intermittunt. jam sit

Positivè cooperantes tenentur ad restitutionē. ASSERTIO X. Omnes positivè cooperantes ad damnum alterius jubendo, tenentur ad restitutionem, etiamsi damnum sine illis aliàs esset inferendum. *Prob:* tum

ex

ex Regula illa Juris: *Faciens, & consentiens pari pœnâ puniri debent:* tum ex Apost: Rom: 2. *Non solùm qui talia agunt, sed qui consentiunt facientibus.* sed prædicti de quibus loquitur Conclusio, consentiunt damno alieno; ergo tenentur ad restitutionem. Tum deniq;, quia illi omnes injustè damnum proximo inferunt, ergo illatum damnum resarcire debent.

ASSERTIO XI. Malè consulens, vel suadens, si persona sit, quæ ratione sui statûs, vel officij, peritiam in ea re quam suadet profitetur, tenetur ad restitutionem damni: secùs verò dicendum est, si talem non profiteatur peritiam.

Tenetur malè consulens ad restitutionẽ damni

Prob: 1. pars. Tales homines, v. g. ignarus Doctor, Advocatus, Confessarius, &c. decipiunt alios, qui ex simplicitate eorũ sequuntur authoritates; ergo tenentur ad restitutionem.

Probatur etiam 2. pars: tum ex regula Iuris in 6. *Nullus ex consilio, nisi fraudulentum sit, obligatur.* tum etiam, quia nemo prudens, sequitur consilium illius, qui in re, quam suadet, nullam profitetur peritiam; ergo quãvis aliquis, cum suo damno, talis imperiti sequeretur consilium, adhuc imperitus non teneretur ad restitutionem damni.

ASSERTIO XII. Qui positivè & formaliter ad inferendum damnum proximo, quocunq; modo ex quinq; primis in disticho annumeratis, concurrunt, tenentur, propotione servatâ, ad restitutionem.

Probatur. quia quocunq; modo ex illis cõcurrat, est causa damni alterius; ergo tene-

tur ad restitutionem, juxta rationem sui concursûs.

Qui non teneantur. ASSERTIO XIII. Nemo tenetur ad restitutionem ratione damni alieni non impediti, nisi qui ex justitia tenetur ad illud impediendum. *Prob:* Qui sic ex justitia non tenentur, solùmmodo ex charitate obligantur ad impediendum malum; sed obligatio charitatis non inducit obligationem restituendi, secundùm omnes; ergo qui ex justitia non tenentur impedire damnum alienum, ad restitutionem illius non obligantur.

Obijc: Innocentius III. in cap: *Quantæ*, de sent: Excom: dicit eos, qui inijciunt manus violentas in Clericum, & qui ad hoc consentiunt, pari pœnâ affici ab Ecclesia: ergo non impediens damnum alienum, ad restitutionem tenetur. ℟. Pontificem loqui de ijs, qui consentiunt, cùm ex officio teneantur id impedire; vel dic, Pontificem illos sic consentientes excommunicatos declarâsse, quod est diversum ab obligatione restitutionis.

Dixi *nisi ex justitia*, nam obligatus ex officio ad impediendum damnum alterius, tenetur ad restitutionem, si deliberatè omiserit illud impedire, quia ex justitia tenetur talis impedire damnum alterius, ergo & ad resarciendum damnum.

Impediens ab officio Ecclesiastico ad quid teneatur. ASSERTIO XIV. Qui vi, fraude, vel calumniâ aliquem impedit, quo minùs Ecclesiasticum beneficium, officium, vel legatum consequatur, debet damnum compensare arbitrio viri prudentis. *Prob:* Justitia commutativa omnibus illis modis violatur, ergo violans ad restitutionem tenetur.

AS-

ASSERTIO XV. Qui vi, vel metu, privat hominem usu rationis, vel ad peccandum inducit, peccat contra justitiam, & tenetur ad restitutionem. *Prob:* Qui taliter inducit hominem ad proijciendam suam pecuniam in mare, peccat contra justitiam, & tenetur ad restitutionem secundùm omnes: ergo & qui privat hominem usu rationis, vel ad peccatum inducit, similiter tenetur ad restitutionem.

Privãs hominẽ ratione, & inducens ad peccatum an teneatur restituere.

ASSERTIO XVI. Bona certa, restitutioni obnoxia, si fieri potest, restitui debent ei, qui damnum patitur ex illorum detentione, vel ipso deficiente, ejus hæredibus.

Cui debeat fieri restitutio.

Probatur. Restitutio fit, ut restauretur inæqualitas causata per injustitiam, sed illa restauratur, dando rem ei, qui damnum patitur ex detentione rei restituendæ: ergo debet illi dari.

Dixi, *si fieri potest*, quia si non potest ipsi restitui, cessat obligatio restituendi, vel saltem suspenditur ad tempus, quousq; nimirum impossibilitas illa cesset.

Impossibilitas excusat à restitutione.

ASSERTIO XVII. Non tenetur restituere aliquis bona inferioris ordinis, cum detrimento famæ, aut etiam statûs justè acquisiti. Est communis, & ut probetur

Adverte quatuor esse bonorum ordines, se mutuò in dignitate excedentes. In 1. & supremo ordine sunt spiritualia bona animæ; in 2. bona vitæ, & corporis; in 3. bona famæ, & honoris; & in 4. bona fortunæ, ut sunt divitiæ. His notatis

Non tenetur quis cum majoris boni jactura ad restitutionem.

Pro-

4. Bonorũ genera explicantur. *Probatur Conclusio.* Bonum inferioris ordinis restituendum non est cum detrimento boni superioris; sed bona fortunæ sunt inferioris ordinis, quàm sint bona famæ, vel statûs justè acquisiti, juxta illud Prov: 15. *Melius est nomen bonum, quàm divitiæ multæ.* ergo non sunt restituenda cum detrimento famæ.

EPYSTILIUM PROBLEMATICUM COLUMNÆ XV.

An Creditores Hypothecarij, præferendi sint Creditoribus Chirographarijs?



COLUMNA XVI.

De restitutione Bonorum Fortunæ, & Famæ, nec non obligationibus contractis ex injusta læsione corporis.

Furtum quid. ASSERTIO I. Furtum rectè describitur, Acceptatio rei alienæ occulta, & fraudulenta. Rapina verò: est acceptatio rei alienæ per vim; utrumq; inter se specie distinguuntur.

1. & 2. pars patet, quia habent conditiones bonæ descriptionis. ergo.

Probatur 3. pars. Rapina habet distinctam specie malitiam, à malitia furti; ergo distinguitur specie à furto. Prob: antec: Præter inju-

injustam ablationem rei alienæ, adhuc rapina includit violentiam, per quam, proximo etiam in persona, & honore contumeliam facit, sed hæc est malitia diversæ rationis, à malitia furti; ergo.

Confirm: Potest aliquis venialiter tantùm in genere furti peccare, & simul mortaliter in genere rapinæ, ut si viro illustri per vim rem accipias, in genere furti venialiter tantùm peccas, & mortaliter in genere rapinæ, ob contumeliam illi illatam, sed hoc non esset verum, nisi distinguerentur specie. ergo. Jam restat, ut ostendamus quantitatem materiæ requisitæ, ut quis furando peccet mortaliter. sit ergo

Quomodo judicanda quantitas materiæ in furto pro mortali.

ASSERTIO II. Quantitas rei ablatæ sufficiens ad mortale peccatum furti, prudentis viri arbitrio definienda est. *Prob:* Furti gravitas pensanda est, tum ex damno injustè illato, tum ex voluntate Domini iniquè ferentis rem suam sibi auferri, quia furtum est ablatio rei alienæ occulta, & fraudulosa, id est Domino rei rationabiliter invito; sed certum est, ob eandem pecuniæ quantitatem furto ablatam, majus damnum accipere, & meritò plus angi atq; dolere pauperem, quàm divitem, Petrum quandoq;, quàm Paulum; ergo furti gravitas non ex sola quantitate rei ablatæ, sed etiam ex circumstantijs personæ cui aufertur, ac prudentis arbitrio æstimanda est.

Obijc: Levitas materiæ in infidelitate, vel odio Dei, non excusat à mortali, ergo nec in furto. ℞. negando consequ: & paritatem, materiæ enim illorum peccatorum consistunt

in

in indivisibili, & ideo si violetur in minimo, violetur etiam in toto; Materia verò justitiæ, & consequenter furti, est divisibilis, quia licitè quis vendit rem suam summo, infimo, & medio pretio, ergo potest materia justitiæ ex parte tolli, & ex parte simpliciter manere, & consequenter non quælibet injustitia sive furtum sit, sive rapina, ratione materiæ est peccatum mortale; & sic prudentis viri arbitrio determinanda est materia talis injustitiæ.

Assignatur probabilis Regula cir ca sufficiẽtem quãtitatẽ ad mortale.

ASSERTIO III. Probabile est hanc esse notabilem furti quantitatem, & peccati mortalis materiam, quæ in unum diem sufficiat ad victum illius hominis, (nisi esset aliquis avarus, qui, quamvis dives, parcè comederet) cui furti injuria fit. *Prob:* Vix invenitur aliquis, qui spectatis omnibus impendiorum oneribus, tantæ summæ jacturam non graviter ferat, ergo summa illa censenda est sufficiens materia mortalis peccati, furti.

Quãdo in furtis minutis peccatur mortaliter.

ASSERTIO IV. Qui ab eadem persona advertenter minutis furtis, quantitatẽ aliàs sufficientem ad mortale furti, furatur; v. g. tres florenos, furando ultimum grossum ex illis, peccat primò mortaliter.

Prob: Opus quo injustè notabile damnum proximi completur, mortale est, sed in casu Conclusionis, per ablationem, seu furtum sexagesimi grossi (totidem enim in hoc fertilissimo Bohemiæ Regno grossis, constant tres floreni) completur primò notabile, & injustum proximi damnum, ut suppono, ergo furando ultimũ grossum peccat primò mortaliter.

Con-

Confirm: Qui advertenter levibus ictibus occidit hominem, peccato homicidij peccat primò, ultimo ictu, quo mortem infert, licet ictus ille per se non sit causa mortis, nisi in quantum dicit habitudinem ad priores; ergo similiter qui advertenter repetitis vicibus modicum furatur furando ultimũ, per quod completur quantitas notabilis, & damnosa, peccat mortaliter.

Obijc: Non peccat mortaliter ultimo verbo otioso, qui plura verba otiosa profert; ergo nec peccat mortaliter ultimo furto levi, qui plura furta levia antea commisit. ℞. negando consequentiam, quia verba illa otiosa non concurrunt ad unum aliquem effectum notabilem, ulli damnosum, non sic est de levibus furtis repetitis.

Obijc: 2. Furtum ultimi grossi ex tribus florenis, est ejusdem rationis cum furto primi; sed furtum primi grossi non est mortale peccatum. ergo. ℞. dist: maj: est ejusdem rationis, si absolutè, & secundùm se consideretur, concedo majo: si consideretur cum habitudine ad priora furta, nego maj: & concessâ min: nego consequentiam.

ASSERTIO V. Probabile est, eum qui à diversis, minutis furtis, quantitatem magnam furaretur, mortaliter non peccare; & ratio est, quia nulli grave damnum, ut suppono, facit sic furando. Ergo non peccat. *Minuta furta quãdo non efficiũt mortale.*

Obijc: Sequeretur ex Conclusione, aliquem posse sine mortali peccato, ex communi Reipublicæ horreo, magnã quantitatem furari, sed hoc est inconveniens. ergo: Prob: sequela; quia quantitas spectans ad singula mem-

bra Reipulicæ, ex re ablata, parva esset; ergo. ℞. negando sequelam, quia damnum illud non immergit in hanc vel illā personā, sed in corpus Reipublicæ, & sic fur peccaret mortaliter.

Extrema necessitas excusat fure à mortali.

ASSERTIO VI. Existenti in extrema necessitate, licet rem alienam surripere, non verò in gravi. *Probatur 1. pars.* Accipere rem alienam semper licet, quando Dominus non est rationabiliter invitus, sed in casu conclusionis, non potest Dominus esse rationabiliter invitus; ergo in tali casu surripere rem alienam, non est illicitum.

Probatur 2. pars. tum quia opposita sententia, aperit viam multis furtis, & rapinis, nam cùm in omni Republica multi sint pauperes, & plurimi qui apprehendant se habere graves necessitates, facilè quilibet, sequendo illam opinionem, posset sibi licitè rapere & furari; sed hoc turbaret totam Rempublicam, ergo. Tum etiam, quia in communi necessitate constitutus furari licitè non potest, ut fatentur ipsi adversarij; ergo nec in gravi.

Suspicari quando sit peccatū.

ASSERTIO VII. Suspicari, & judicare de proximo, ubi sufficientia improbitatis indicia se produnt, secluso affectu odij; nec justitiæ, nec charitati repugnat. Temerè autem judicare proximum, est peccatum justitiæ oppositum.

Probatur 1. pars. Proximus jus æstimationis suæ amisit, comparatione illius, cui crimen sufficientibus indicijs cognitū est, ergo.

Probatur etiam 2. pars, tum ex Scriptura, Matth: 2. & Lucæ 6. *Nolite condemnare* (id est temer-

temerè judicando) *& non condemnabimini. Quid vides festucam, &c.* tum etiam ratione, tali judicio notabilis injuria irrogatur proximo; ergo est peccatum ex genere suo. Prob: antec: quilibet habet jus ad bonam æstimationem, & famam, donec de eo crimen cognoscatur, juxta regulam illam Juris: *Quisq; præsumendus est bonus, donec demonstretur malus.* ergo injuriam infert illi, quem temerè judicat & damnat.

ASSERTIO VIII. Qui bonâ fide alterum diffamavit, errore cognito, tenetur si commodè potest, restituere illi famam. *Quando quis teneatur famā restituere.*

Probatur. Qui bonâ fide rem alienam possidet, transeunte bonâ fide, tenetur rem illā, si potest, restituere, ergo & famam.

ASSERTIO IX. Qui alterum falsè infamavit, vel intra, vel extra judicium in re gravi, tenetur sub mortali ad restitutionem, retractando crimen impositum, tam efficaciter, quàm illud asseruit, etiam coram ijsdem hominibus, si fieri potest. *Falso in judicio infamās tenetur restituere efficaciter famam.*

Probatur 1. pars. Qui læsit alterum graviter in bonis fortunæ, sub mortali tenetur ad restitutionem; ergo à fortiori, qui famam alterius injustè sustulit, sub mortali tenetur ad restitutionem.

Probatur 2. pars. Præceptum restitutionis obligat ad æqualitatem ponendam, sed infamans aliquem coram alijs, non ponit æqualitatem, nisi retractet crimen impositum, eâdem efficaciâ, & coram ijsdem, coram quibus illud deposuit, ergo. Prob: min: nam si minùs efficaciter retractet, non servat æqualitatem in modo auferendi & restituendi famam,

 & si

& si coram alijs tantùm dicta retractet, non reddit quod abstulit, nam illi coram quibus detraxit, in eadem manent semper opinione. ergo.

Corā uno solo detrahere est malum.

ASSERTIO X. Peccat mortaliter ex genere suo, qui alteri detrahit, etiam coram uno solo. *Ut probetur adverte*, detractionem esse alienæ famæ injustam imminutionē. *Jam probatur* : Quilibet, rationabiliter loquendo, pluris facit de se opinionem Viri unius gravis, prudentis, & in authoritate constituti, quàm centum rusticorum, sed coram multis plebæis qui diminuit famam alterius peccat, secundùm omnes; ergo & qui coram uno viro gravi.

Obijc: Ad rationem famæ pertinet publica notitia; sed in casu conclusionis detrahens, non adfert publicam notitiam, ergo neq; famam, & consequenter non peccat detrahendo coram uno solo. ℟. dist: maj: ad rationem famæ completæ, & perfectæ, concedo maj: incompletæ, nego maj: & distingu: similiter min: & nego utramq; consequentiam.

Revelatio criminis notorij nō est peccaminosa.

ASSERTIO XI. Crimen verum, alicubi notorium, notitiâ facti, alijs ex eodem loco, seu civitate manifestare, non est peccatum mortale contra justitiam. *Prob:* Talis criminosus perdit jus ad famam, respectivè ad illos qui in illa sunt communitate; ergo non est contra justitiam manifestare illud crimen, alijs ex illa communitate. Prob: antec: Crimen notorium notitiâ facti est, quod ita se plurium hominum conspectui exhibet, ut nullâ tergiversatione celari possit: Sed manifestum est, moraliter loquendo, impossibile esse,

esse, quin crimen sic notoriũ in una communitate, deveniat in notitiam omnium; ergo illud omnibus manifestare peccatum mortale non est; & idem dic de eo, qui notorium notitiâ facti, revelat in alijs etiam locis, respectu quorum crimen non est moraliter notorium; nam viri docti, pij ac prudentes, non existimant se injuriam facere ulli, si crimen alicubi publicum alibi referant, literis scribant, & historijs inserant.

ASSERTIO XII. Postquàm infamatus, per vitæ emendationem, famam suam recuperavit, injuria ipsi infertur, cum restituendi obligatione, si de præterito crimine denuò, sine necessaria causa, infametur. *Non potest infamari ille securè, si emẽdavit delictum.*

Prob: Sicut infamia facti, malis moribus contrahitur, & fama bona amittitur; ita bonis moribus & actibus infamia facti aboletur, & fama bona recuperatur, & consequenter injuriam ei facit, qui eum de novo propter præteritum delictum infamat.

ASSERTIO XIII. Qui aliter famam restituere non potest, tenetur recompensationem in pecunia, si potest, vel alia simili re, infamato facere. *Modus restituendi famã, quãdo non potest infamiam retractare.* *Prob:* Tum quia quilibet debitor tenetur suo creditori satisfacere, prout potest, sed per pecuniã potest fieri infamato satisfactio, supposito, quòd loco læsæ famæ vellet acceptare pecuniam. ergo. Tum etiã, quia qui mutilat vel occidit alterum, tenetur in pecunia resarcire damnum illatum, cùm ipsam vitam, vel membrũ non potest restituere; ergo similiter qui nocuit alteri in fama, tenetur illi in pecunia restituere, quod in fama non potest

Objic: Non obstante pecuniariâ satisfactione infamatus non acquirit famam quam perdidit; ergo infamans non tenetur in pecunia illi solvere. ℞. 1. retorquendo argumentum contra Pontium, in casu mutilationis alicujus membri. ℞. 2. dist: antec: non acquirit famam re ipsâ, concedo antec: taliter ut non sit contentus cum debitore, nego antec: & consequentiam.

Præceptũ de non occisione sui.

ASSERTIO XIV. *Nemini licet se ipsũ directè occidere, aut mutilare.* *Prob:* tum ex illo Decalogi præcepto: *Non occides.* Tum etiam, quia homo nec vitæ, nec membrorũ suorum Dominus est absolutus, ut colligitur ex illo Sapientiæ 17. *Tu es Domine, qui vitæ & mortis habes potestatem;* ergo peccat contra justitiam debitam Deo, qui se ipsum, sine permissione divina, mutilat, vel occidit. Tum deniq;, quia Homo est pars Reipublicæ; ergo injuriam facit Reipublicæ se ipsum occidendo, aut mutilando.

Respondetur exemplis allatis à Sanctis, qui se occiderunt.

Exempla multorum Sanctorum, qui se occiderunt, & authoritates PP. aliud non probant, quàm quòd Deo id jubente, possit se aliquis mutilare aut occidere licitè, quod non est contra nos.

Qui occisores sui Ecclesiasticâ sepulturâ carere debeant

Hic obiter notandum est, eum, qui deliberatâ voluntate se ipsum occidit, Ecclesiasticâ sepulturâ, & consuetis suffragijs privandum esse, ut docet glossa in cap: *Placuit*, 23. 4. 5. At si ex furore vel amentia se ipsum interemit, nec uno, nec altero privandus est, nam sicut aliæ passiones, puta timoris & iræ interdum adeo vehementes sunt, ut omnino plenam deliberationem adimant, efficiántq;, ut opus, quod alioquin mortale foret, ob defectum

ctum deliberationis, à gravitate culpæ excusetur, ac veniale, vel nullum peccatum fiat; ita etiam contingere solet, ut vehementissima passio tristitiæ, concurrente atrâ bile, ita hominis animum ac phantasiam occupet, ut rationis usum eidem adimat, amentiãq; conciliet. Lege Pontium, d. 54. q. 4. & Laymanum hic. n. 8.

ASSERTIO XV. Injustum aggressorem, sicut & Banitum proscriptum per publicam mortis sententiam, licitè, sine obligatione restitutionis, quivis occidere potest. *Qui licitè possint occidi.*

Probatur 1. pars. Tum quia vim vi repellere, omnia jura, legésq; permittunt, ut habetur in L. sententiam, §. qui cum. ff. ad legem Aquiliam. Tum etiam, quia secundùm ordinem charitatis, quivis propriam vitam præferre potest alienæ, dummodo non agatur de bono publico, ergo volentem me injustè occidere, vel mutilare, licitè occidere possum.

Probatur 2. pars. Respublica potest dare generalem licentiam occidendi talem Banitum: ergo à quovis ex populo occidi potest.

ASSERTIO XVI. Injustus homicida, tenetur pro damno illato aliquid restituere etiam uxori, vel hæredibus defuncti. *Tenetur homicida aliquid restituere uxori.*

Prob: Qui canem, vel bovem alterius injustè occidit, vel mutilat, tenetur ad aliquam restitutionem Domino canis faciendam; ergo à fortiori, qui hominem occidit, vel mutilat, tenebitur ad aliquid restituendum ejus hæredibus.

Dixi *ad aliquid*, quia cùm ad æquivalentiã

damnum resarciri non potest; ad minimum debet facere quod potest, ut diximus assertione 13. hujus Columnæ.

An deflorans Virginem ultrò consẽtientẽ, teneatur illi aliquid dare.

ASSERTIO XVII. Qui deflorat virginem ultrò consentientem, non peccat contra justitiam, & sic ad restitutionem non tenetur. *Prob: 1. pars.* Qui sic deflorat, nec virgini facit injuriam, quia *volenti non fit injuria*, in hac materia: nec etiam Parentibus, quia Parens non est Dominus claustri virginalis filiæ, quod per stuprum violatur, aliàs invito Parente, sine injustitia virgo non posset contrahere matrimonium, quod est falsum.

Prob: 2. pars. Ubi non violatur justitia, non est necessaria restitutio; sed in casu conclusionis non violatur justitia; ergo.

Objic: Peccaret contra justitiam qui virgini consentienti abscinderet manum: ergo etiã, qui ipsâ consentiente, violaret claustrum virginitatis. ℞. negando consequentiam; & ratio disparitatis est, quia peritissimi medici docent, nullam fieri injuriam corpori in defloratione Virginis, & quia certum est, quòd sit Domina usûs sui claustri; ergo.


Stuprum nõ distinguitur specie morali à fornicatione.

Ex hac assertione infero, stuprum non distingui specie morali, à peccato simplicis fornicationis, modò committatur sine dolo, violentia, aut metu injusto, & consequenter circumstantiam virginitatis violatæ, in confessione explicandam necessariò non esse; & ratio est, quia talis fornicatio non potest habere intra genus intemperantiæ, & luxuriæ, aliã

aliam difformitatis speciem, quàm eam, quæ est simplicis fornicationis. ergo.

EPISTYLIUM PROBLEMATICUM COLUMNÆ XVI.

An volenti, & consentienti, contingat fieri injuria?



COLVMNA XVII.

De justitia contractuum in genere, & quorundam in particulari.

ASSERTIO I. Contractus in genere, prout cum pacto coincidit, est liber consensus duorum, aut plurium, in idem, externo aliquo signo expressus, obligationem saltem in alterutro pariens: strictè verò sumptus est talis contractus obligationē pariens in singulis contrahentium. Hæc quoad omnes partes non habet difficultatem. Per ly *pariens in singulis contrahentium*, contractus strictus distinguitur à pacto, quod in uno solo obligationem parere solet. *Definitio contractûs in genere.*

ASSERTIO II. Error circa substantiam rei, sive objectum substantiale, omnem contractum ipso naturali jure irritum facit. *Error irritat contractum.* Antequàm probemus conclusionem, adverte primò; errorem in contractibus quandoq; esse circa qualitatem rei, quandoq; circa sub-

ſtantiam, & quandoq; circa quantitatem. Circa ſubſtantiam, ut ſi auricalcum putetur aurum; Circa qualitatem, ut ſi vinum rubrum ematur pro albo; circa quantitatem deniq;, ut ſi vas trium tantùm urnarum, ematur pro vaſe quatuor urnarum. Prob: concluſio. Omnis contractus eſt irritus, in quo non concurrit mutuus conſenſus utriuſq; cõtrahentis in idem objectum; ſed in caſu concluſionis non concurrit mutuus conſenſus in idem objectum: ergo; maj: patet ex definitione contractûs: Prob: min: Ignorans ſubſtantiam rei, non poteſt conſentire, quia *errantis nullus eſt conſenſus.*

Error circa qualitatem an reſcindat contractũ. ASSERTIO III. Error circa objecti qualitatem, ſi ſit tantùm conſequens, ſeu etiã concomitans, nunquam ex natura rei irritat contractum. *Prob:* Talis error non aufert liberum conſenſum contrahentis in objectũ ſubſtantiale contractûs, ergo non tollit eſſentiam contractûs. Prob: antec: In tali contractu habetur mutuus conſenſus, liberè elicitus, circa ſubſtantiam objecti principalis cogniti, & voliti, ſed talis eſt conſensûs eſſentialiter requiſitus ad contractum, ergo.

Metus juſtè incuſſus non frangit cõtractum. ASSERTIO IV. Contractus initi ex metu juſtè incuſſo, ſunt validi. *Prob:* Talis metus non tollit libertatem conſenſus; ergo nullam injuriam facienti infert, & conſequenter ſunt validi.

An etiam metꝰ gravis. ASSERTIO V. Metus gravis ab extrinſeco proveniens, incuſſus à cauſa libera in ordine ad contractum faciendum, ſi injuſtè

ſtè incutiatur, invalidat contractum, taliter, ut ille, cui incutitur, poſſit reſilire à contractu, non verò qui incutit. *Prob:* Apparet ex natura rei, eum, qui vi, vel metu cogit alterum ad contractum, debere pati hoc inconveniens, ut ipſe non poſſit reſilire, ſi alter nollet, & alter poſſit ipſo nolente. ergo.

De contractu reverentiali, ſicut & de modo, quo contractus invalidus ex defectu conſensûs ratificari poſſit; ſicut & de ijs, qui contrahere poſſunt. *Vide Laymanum tract: 5. per totum.*

ASSERTIO VI. Promiſſio, vel donatio etiam gratuita, non obligat in conſcientia, antequàm acceptetur. *Prob:* Non poteſt promittens facere alterum alicujus rei Dominum ſine ipſius conſenſu, ergo non poteſt ſe illi obligare per promiſſionem, antequàm ipſe illam acceptet. *Donatio & promiſſio non obligat in conſciẽtia.*

Dixi *in conſcientia*, quia in foro externo ad evitandas lites, leges civiles prohibent, ne revocetur promiſſio ſemel facta civitati, quouſq; civitas recuſet, rem promiſſam acceptare.

ASSERTIO VII. Teſtamentum deſcribitur, liberæ voluntatis juſta ſententia, de eo, quod quis poſt mortem ſuam fieri vult, cum hæredis inſtitutione; Codicillus verò eſt ultima voluntas minùs ſolemnis, abſq; hæredis inſtitutione, de eo, quod quis poſt mortem ſuam fieri vult, explicando, mutando, addendo, vel detrahendo aliquid teſtamento. *Quid ſit teſtamentum.*

Teſtamentum dividitur in nuncupativũ, quod & apertum vocari ſolet, & ſcriptum, quod & *Ejus diviſio.*

 clau-

clausum, & sigillatum testamentum dicitur, de quibus fusè lege Molinam, & Lessium.

Quid Usura? ASSERTIO VIII. Usura strictè sumpta describitur lucrum pretio æstimabile, ex mutuo præcisè proveniens, tanquàm debitũ ei, qui dat mutuum. Usura omnis illicita est.

1. Pars non habet difficultatem. *2. Pars* est expresè definita in Conc: Vienn: Relato in Clement: un: §. ultimo de usuris. & prob: Ezech: 18. psal: 14. & 54. quibus in locis expresè conclusio docetur, unde est illud Lucæ 6. *Mutuum date, nihil inde sperantes*, ad hoc nostrum propositum. ut docet Urbanus III. cap: *Consuluit*. de usuris. *Prob: 2. ratione.* Exigere aliquid ultra sortem ex mutuo, est exigere aliquid ex re non sua: sed hoc est contra justitiam naturalem. ergo. Prob: maj: pecunia v. g. mutuata per mutuum fit accipientis; ergo accipere aliquid ex illa sic mutuata, est exigere aliquid ex re non sua.

Obijc: Illud Devter: 29. *Non fœneraberis fratri tuo ad usuram, sed alieno*; ergo Scriptura docet usuram esse licitam. ℞. dist: consequ: si petatur ab inimicis, quos armis superare non possumus, & justè deberemus, concedo consequ: si ab alijs, nego consequ: nam ut Ambros: ait lib: de Tobia c. 5. *Cui meritò arma inferuntur, huic meritò usuræ auferuntur.*

Obijc: Labor mutuantis in enumeranda pecunia, & promissio quâ se obligavit ad non repetendum mutuum usq; ad annum, sunt pretio æstimabilia; ergo intuitu illorum mutuans, potest aliquid ultra sortem accipere. ℞. concedendo consequ: quoad primum, & negan-

negando illam, ficut & antecedens, quoad fecundum; nam obligatio illa non petendo mutuum, usq; ad certum tempus eft de intrinfeca ratione mutui, & fic ficut nec pro mutuo, ita nec pro illa aliquid ultra fortem licitè petere poteft.

ASSERTIO IX. Licitè quis à principio pacifcitur cum mutuario, de lucro ceffante, & damno emergente. *Prob: Conclufio.* Nemo tenetur fubire detrimentum, ut per mutuum fatisfaciat indigentiæ alterius; ergo fi alter vult mutuum, poteft pacifci, quòd non obftante mutuo, mutuantem fervabit indemnem. *Confirm:* Non eft rationabile, ut qui jam modium tritici, v. g. poffet emere uno floreno, qui valeret posteà duos florenos, non poffit obligare illum, qui mutuò petit jam florenum, ad reftituendum illi ultra florenum ratione jacturæ, quam jam faceret ex eo, quòd non poffet emere triticum. ergo. poteft cum illo fic pacifci, & confequenter ratione lucri ceffantis, & damni emergentis, poteft aliquid ultra fortem à mutuario petere. *Licitũ eft aliquando pactum de dando ultra fortẽ.*

ASSERTIO X. Vendens fcienter rem vitiofam, vitio occulto, eodem pretio, quo venderetur fi careret illo vitio, peccaret contra juftitiam, & teneretur ad reftitutionem. *Prob:* In tali contractu deeft æqualitas, inter pretium & mercem; ergo eft contra juftitiam. *Vitia occulta in re vendenda funt manifeftanda.*

ASSERTIO XI. Simonia eft ftudiofa cupiditas emendi, vel vendendi fpirituale, vel fpirituali annexum, quod cenfetur fpirituale. Hujusmodi omnis venditio, & locatio rei fpiritua- *Definitio Simoniæ.*

ritualis pro pretio temporali jure divino prohibita eſt, & conſequenter Simonia. *1. Pars* eſt communis. *Probatur ergo 2. pars.* tum ex Script: Matth: 10. *Gratis accepiſtis, gratis date.* Act: 8. *Pecunia tecum ſit in perditionem, &c.* ergo; tum etiam ratione; nullum pretiũ temporale eſt proportionatum rei ſacræ, quà talis eſt, & apparet ex ipſis terminis, valde eſſe indignum, ut hujusmodi res pro pretio vendantur temporali: ergo.

Dixi in Concluſione *rei ſpiritualis quà talis*, quia rem materialem, cui ſpirituale eſt annexum, ſine periculo Simoniæ emere & vendere poſſunt, v. g. calices conſecratos, ornamenta benedicta, eodem tamen pretio, quo ſine conſecratione aut benedictione venderentur.

Quomodo contingat ſimonia. ASSERTIO XII. Dari aliquid pro pretio diſpenſationis in votis juramenti, & impedimentis matrimonij, ſimonia eſt expreſſa, non vero dari aliquid ſacerdoti nolenti baptizare, aut abſolvere, niſi recipiat pecunias. *Prob: 1. pars.* Illa diſpenſatio eſt omninò ſpiritualis, nam eſt uſus poteſtatis ſpiritualis; ergo qui emit illam, ſimoniacè peccat.

Probatur 2. pars. Movere aliquem ad aliquid faciendum, quod ipſe poſſet, ſi vellet ſine peccato, & quod deberet facere, non eſt ullo modo peccatum, ſed Sacerdos ille poſſet non obſtante pecuniâ receptâ ſine peccato abſolvere aut baptizare (poſſet enim ſtatim reſtituere pecunias, & ſic gratis abſolvere) ergo qui moveret illum ad hoc faciendum, dan-

dando illi pecunias, non peccaret. De locatione, ludo, & gabellis lege Lugonem.

EPYSTILIUM PROBLEMATICUM COLUMNÆ XVII.

An qui lucratur per fraudem, tenetur ad restitutionem?



COLVMNA XVIII.

De natura, & regulis fidei supernaturalis.

ASSERTIO I. Fides divina bene describitur cognitio obscura supernaturalis in substantia, quâ intellectus assentitur, vel dissentitur alicui propositioni, ob revelationem divinam. Ly *cognitio* est genus, in quo fides convenit cum alijs operationibus intellectûs. Per ly *obscura* differt fides à scientia, additur ly *assentitur* vel *dissentitur*, ad denotandum, quod fides quandoq; potest esse assensus, quandoq; dissensus; ut cùm quis credit peccata non esse media à Deo ordinata, ad consequendam vitam æternam. *Definitio fidei divinæ.*

ASSERTIO II. Objectum materiale fidei est omnis propositio, quæ ob revelationem divinam credi potest. Formale verò, veracitas divina revelans. *Prob:* quoad utramq; partem, conditiones objecti tam materi- *Objectum ejus materiale.*

terialis, quàm formalis (de quibus fusè in Logica, & obiter in prologo agendo de objecto Theologiæ egi) conveniunt illis. ergo.

Objic: Multi credunt fide supernaturali, puta simplices Catholici, quando non cogitant de Deo, aut ejus veracitate, vel revelatione: ergo veracitas divina revelans non est objectum Fidei divinæ. ℞. negando antec: loquendo de cognitione confusa, quam ad minimum illi simplices semper habent, de veracitate divina quando credunt.

Objic: 2. Revelatio divina non potest me movere ad assensum, nisi ipsa sit mihi nota, sed non est mihi nota notitiâ aliquâ certâ; ergo: prob: min: certa illa notitia de existentia revelationis, deberet esse cognitio fidei, vel scientiæ naturalis, sed neutrum dici potest; ergo maj: est certa. Prob: min: loquendo de notitia naturali, existentia hujus revelationis, *Verbum caro factum est*, v. g. non est ex terminis nota, nec ostendi possunt ulla principia certa & evidentia, ex quibus deduci possit, quod actualiter existat, aut extiterit; ergo non datur ulla certa cognitio naturalis de existentia revelationis. Prob: etiam min: quoad notitiam fidei, si illa notitia esset Fidei, deberet esse revelata per alteram revelationē, & sic in infinitum, vel sistetur in aliqua una revelatione, & de illa quæro, quænā sit causa, quæ infallibiliter movet intellectum ad assentiendum existentiæ talis revelationis. ℞. negando min: cum minori suæ probationis, cujus probationis antec: quoad secundā partem distinguo, deberet esse revelata per aliam revelationem à priori, nego antec: à po-

posteriori, concedo antec: & nego inde sequi processum in infinitum; nam sicut bene demonstratur rationalitas à posteriori per discursum, & discursus vicissim à priori per rationalitatem, sic etiam revelationem divinã de existentia incarnationis, v. g. bene probamus à priori per revelationem, & à posteriori nimirùm per miracula, & alias notas credibilitatis; & per hoc patet, quòd ultimum motivum in quod resolvitur fides à priori, sit veracitas divina revelans, à posteriori verò signa credibilitatis.

Omnis propositio est absolutè revelabilis.

ASSERTIO III. Nulla est possibilis propositio vera, quæ non est revelabilis; aut revelabilis, quæ non est credibilis.

Probatur 1. pars. Ideo aliqua propositio possibilis non esset revelabilis, quia DEUS possit habere nolitionem concurrendi ad ejus revelationem; sed hoc non facit, quod non sit revelabilis, ergo nulla est possibilis, quæ non est revelabilis. Prob: min: Per hoc quòd Deus habeat nolitionem producendi alium mundum, non sequitur inde, alium mundum esse improducibilem, licet bene quod non producetur; ergo per hoc, quòd habeat nolitionem revelandi rem aliquam possibilem, non sequitur, quòd res illa non sit revelabilis.

Dices, non implicat actus intellectûs divini, qui reflectendo supra se diceret, ego nõ revelabor; sed in tali casu esset irrevelabilis. ergo. ℟. 1. concedendo maj: & negando min: quia negatio revelationis non facit propositionem absolutè irrevelabilem, ut per se patet. ℟. 2. Implicare actum divini intellectûs, sine præviâ cognitione divini decreti, qui reflectendo

supra

supra se essentialiter diceret, *ego non revelabor*; nam cùm revelatio sit actus divinæ voluntatis, & quidem liber, implicat ut cognoscatur irreverabilitas actûs intellectûs, sine prævià cognitione divini decreti, de non revelando illo, sicut implicat cognitio ullius effectûs dependentis à causa, ut talis est, sine cognitione ipsius causæ, & per hoc patet ad fundamentum adversariorum.

Probatur 2. pars Conclusionis. Nulla est revelabilis, quæ non habet motiva credibilitatis, vel non haberet, si revelaretur; sed hoc sufficit ut sit credibilis, ergo nulla est revelabilis, quæ non sit credibilis.

Deus nunquã mendax fuit. ASSERTIO IV. Deus nunquã mentitus est, neq; de potentia absoluta per se, vel per alium, mentiri potest. *Prob:* quoad 1. partem, solvendo objectiones adversariorũ inferiùs.

Probatur 2. pars. tum ex Script: Hebræ: 6. *Impossibile est mentiri DEUM*; tum ex PP. Anselmo lib: 1. cur Deus homo. cap: 12. *DEUS*, inquit, *non foret Deus, si mentiretur.* ergo.

Probatur etiam ratione. tum quia veracitas infinita in dicendo, est perfectio simpliciter simplex in Deo; ergo Deo taliter convenit, ut non possit mentiri: tum etiam, quia ideo Gabriel, & alij adversarij, docent oppositum conclusionis, quia putant nullum esse actum intrinsecè peccaminosum, sed hæc ratio nulla est: ergo. Prob: min: Error in intellectu, non est moraliter malus, seu peccaminosus, & tamen repugnat Deo errare, etiam secundùm ipsos: ergo quamvis mendacium non esset intrinsecè malum, posset adhuc Deo repugnare.

Confirm: Quamvis actus peccaminosus non sit intrinsecè malus theologicè loquendo, ut dixi de legibus, assert: 9. tamen est actus dedecens naturam rationalem, & maximè divinam: ergo repugnat Deo. Consequentia est evidens, nam omnis imperfectio repugnat Deo. Prob: ergo antec: Ille actus censetur, intrinsecè dicere indecentiam repugnantem Deo, quo elicito, perderet Deus inter homines totam suam authoritatem in dicendo; sed mentiendo perderet totam suam authoritatem in dicendo; ergo. maj: est certa. Prob: min: Ideò homo in dicendo perdit suam totã authoritatem in dicendo, ita ut non credamus revelatis ab eo, nisi cum formidine de opposito, quia *omnis homo mendax est*, & sic ignoramus, utrum non semper mentiatur: ergo si constaret, quòd Deus possit mentiri, perderet similiter suam authoritatem in dicendo.

Probatur jam 3. pars. Tam dedeceret Deũ mentiri per alium, ac per se; ergò si per se non potest mentiri, nec poterit etiam per alium. Prob: antec: idem est moraliter loquendo aliquid per alium meo nomine loquentem dicere, ac per memet ipsum. ergo. *Nec per aliũ est mentitus.*

Confirm: Si per alium posset Deus mentiri, rationabiliter defactò dubitaremus de veritate scripturarum, nam omnes scripturæ ministerio hominum sunt nobis à Deo propositæ; sed hoc dici nequit; ergo.

Obijc: Mendacium non est intrinsecè malum; ergo Deo non repugnat. ℞. dist: antec: Malitiâ Theologicâ concedo antec: malitiâ morali non Theologicâ, seu dedecentiæ, nego antecedens, & consequentiam.

Obijc: 2. Deus per Prophetas prædixit multa, quæ non evenerunt. ergo per illos est mentitus. ℞. dist: antec: prædixit conditionatè, concedo antec: absolutè nego antec: & consequentiam.

Actus fidei potest esse scientia. ASSERTIO V. Non solùm actus fidei divinæ, potest stare in intellectu, simul cum actu scientiæ, sed etiam idem indivisibilis actus, potest includere utramque rationem.

Probatur 1. pars. Inter duos actus illos, nulla potest ostendi implicantia; ergo possunt esse simul in eodem intellectu, de eadem propositione; imò defactò existimo Beatissimam Virginem simul habuisse utrumq; actũ.

Probatur 2. pars eâdem ratione, nam nulla est implicantia in hoc, quòd unus idémq; actus versetur circa idem objectum, ex motivis diversis fidei scilicet, & scientiæ simul, imò defacto puto me posse assentiri eidem propositioni, unico actu, & quia objectum illius video esse sicuti affirmatur, & quia simul credo alteri affirmanti, quod ita est.

* *Objectiones Adversariorum vide solutas in Logica.*

Quis possit habere actum evidentem fidei. ASSERTIO VI. Non solùm comprehensor, sed etiam viator, potest habere evidentiam divinæ veritatis, & attestationis de aliqua propositione. *Prob:* de beatis. nam non solùm vident Deum, sed etiam intuitivè vident, quæ loquitur ipsis, sed hoc est habere evidentiam divinæ veracitatis, ergo. Prob: etiam de viatoribus. non implicat, quò minùs se solo produceret Deus in aliquo, evidentem cognitionem suæ locutionis; vel species

ties ad eam cognoſcendas neceſſarias; ergo, &c.

ASSERTIO VII. Fides ſupernaturalis divina, tam habitualis, quàm actualis, eſt una unitate ſpecificâ, in omnibus hominibus, & angelis, non verò numerica. *Prob:* de fide habituali, non implicant, ut omnes fidei actus ab eodem ſpecie habitu ſupernaturali producantur; ergo non debent multiplicari ſpecie habitus, ad illos producendos. *Unitasque sit fidei divinæ.*

Probatur 2. pars. Omnes actus fidei ſupernaturalis, habent eandem ſpecie rationem formalem, per quam differunt ab omnibus alijs cognitionibus; ergo omnes actus fidei ſunt ejusdem ſpeciei. Prob: antec: Unica ratio formalis diſtinctiva actûs fidei divinæ à quacunq; alia cognitione eſt, quòd tendat in objectum à veracitate divina revelatum; ſed hæc ratio eſt ejusdem ſpeciei in omnibus actibus fidei divinæ, ut ipſe Pontius fatetur, qui inutilem hic excitavit quæſtionem de nomine, ergo.

Probatur 3. pars. Actus fidei, quo ego credo *DEUM eſſe*, non eſt idem numero cum actu, quo credo *Verbum aſſumpſiſſe naturam humanam*, aliàs non poſſem credere unum, ſine eo, quod crederem alterum ſimul, quod nemo dicet: ergo.

Obijc: In Theologia ſunt diverſæ difficultates circa actus & objectum fidei: ergo debent poni habitus diverſi, per quos tollãtur. Prob: antec: Major eſt difficultas in credendis myſterijs Incarnationis, & Trinitatis, quàm in credendo, quòd canis Tobiæ habuerit caudã; ergo. ℞. diſt: antec: diverſæ difficultates ſuperan-

perandæ per habitum fidei infusæ, nego antec: superandæ per certas considerationes rationis naturalis, quibus ostenderetur non esse impossibile talem propositionem esse verã, & propterea, cùm Deus illam revelavit, eam debere credi, ac creditur quæcunq; alia ex illo motivo, revelationis scilicet divinæ, concedo antec: & nego consequentiam.

Quæ utilitas habituum infusorum. Itaq; habitus infusi non ponuntur ad superandas difficultates, quæ in exercendis eorũ actibus interveniunt, sed simpliciter propter operari, quia æquè per se requiruntur ad actus, ac ipsa potentia; unde sicut diversæ difficultates actuum non arguunt diversitatem in potentia, ita nec in habitibus per se infusis arguere debent; secùs dicendum est de habitibus acquisitis, & per hoc distinguuntur sufficienter ab infusis.

Obÿc: contra 2. partem pro Pontio. Assensus, & dissensus sunt duo actus specie distincti; sed aliqui actus fidei sunt tales; ergo distinguuntur specie. ℞. dist: maj: specie materiali concedo maj: pro formali, nego maj: & concessâ min: nego consequentiam.

Libertas actûs fidei. ASSERTIO VIII. Actus fidei, etiam in sensu composito evidentiæ revelationis, est sic proximè liber, ut contranitente voluntate posset non elici. *Prob:* tum ex Scriptura Lucæ ultimo: *O stulti, & tardi corde ad credendum.* Sed gratis reprehenderentur Apostoli, nisi esset liberum ipsis credere. Tum ex Trident: sess: 6. cap: 6. *Liberè*, inquit, *moventur in DEUM, credentes vera esse, quæ à Deo revelata sunt.* ergo secundùm Concilium fides quæ est dispositio necessaria ad justificationẽ, in-

in adultis, debet esse libera. Tum etiam auth: D. Aug: tract:26. in Joannem: *Multa,* inquit, *potest homo facere non volens, credere autem non potest, nisi volens.* Tum deniq; experientiâ, quâ constat, quòd voluntas intellectū etiam apprehendentem quamcunq; veritatē, cohibere possit. ergo.

Dixi in Conclusione, *sic, ut contranitente voluntate posset non elici;* quia si de revelatione haberetur evidentia physica, certum mihi videtur, quòd intellectus non possit ex Imperio voluntatis discredere rei revelatæ, quia nullum haberet discredendi motivum.

Obyc: Fides est initium justificationis, sed hoc esset falsum, si præsupponeret actum voluntatis, seu si esset liber: ergo. ℞. disting: maj: initium justificationis, id est, primus actus supernaturalis, in substantia requisitus ad justificationem, concedo maj: initium justificationis, ita ut nullum alium præsupponat actum, etiam voluntatis, id est, pium credulitatis affectum (qui & imperium voluntatis dicitur) nego maj: & distinctâ similiter min: nego consequentiam.

ASSERTIO IX. Actus fidei est absolutè certior omni cognitione naturali hujus statûs. *Prob:* Ille actus est certior quacunq; cognitione naturali, cujus certitudo dependet à causis maximè infallibilibus, cognitis ab intellectu ut talibus; sed talis est actus fidei; ergo. Prob: min: Certitudo actûs fidei infusæ dependet ab habitu supernaturali fidei influente, & à veracitate divinâ revelante, tanquàm causis suæ certitudinis; sed istæ sunt causæ omnium maximè infallibiles, *Certitudo actûs.*

 & ab

& ab intellectu pro talibus agnoscuntur: ergo certitudo actûs fidei dependet à causis maximè infallibilibus, & ab intellectu habitis pro talibus. Prob: min: Nec veracitas divina potest falsum revelare, ut ostendi hic assert: 4. nec habitus fidei infusæ potest influere in actum falsum, ergo veracitas divina revelans, & habitus fidei infusæ sunt causæ omniū maximè infallibiles, & ab intellectu pro talibus cognitæ; & consequenter certitudo actûs fidei dependens ab his causis, erit maxima omnium.

Obijc: Fides non excludit omnem dubitationem, secundùm Doct: in 3. d. 24. n. 17. sed cognitiones naturales scientificæ excludunt omnem omninò dubitationem, etiam indeliberatam; ergo sunt certiores fide. ℞. dist: maj: omnem dubitationem indeliberatam causatam ex apparenti probabilitate oppositi, concedo maj: omnem dubitationem trahentem in oppositum, nego maj: min: absolutè nego, nam scientiæ omnes naturales innituntur omni isti principjo, quæ sunt eadem uni-tertio, sunt eadem inter se,& tamen rationabiliter possumus dubitare, an non hoc principium in creatis sit falsum, sicuti est, probabiliter loquendo, in divinis.

Regula aliqua necessaria est pro mysterijs cognoscendis.

ASSERTIO X. Necessaria est in Ecclesia regula aliqua infallibilis, & certa, quâ cognoscuntur mysteria fidei, quando proponuntur esse revelata. Hæc est de fide definita in Trident: sess: 4. *Prob*: Sine tali regula facilè posset deficere cognitio sufficiens mysteriorum fidei ad salutem necessariorū; nam dum Lutheranus negaret confessionem auricula-

cularem esse necessariam, & Catholicus affirmaret, nisi esset regula infallibilis fidei, ad quam pro indaganda veritate recurrendum foret, facilè pars erronea redderetur magis probabilis, & sic deficeret cognitio necessaria mysteriorum fidei.

ASSERTIO XI. Non solùm Scriptura sacra, sed etiam traditiones Apostolicæ, licet scriptæ non sint, sunt infallibilis regula fidei. Hæc est de fide, re ipsâ definitâ in Trident: sess: 4. *Prob:* Quod non potest solvi, est certissima veritatis regula, sed scriptura sacra solvi (id est, nec fallere, nec falli) non potest juxta Joann: 10. ergo est certa regula veritatis. *Confirm:* Tum quia Christus Joann: 5. provocavit Judæos ad scripturam, tanquàm ad regulam certam fidei: tum etiam, quia nulla potest esse certior regula, quàm Dei authoritas, quæ in verbo ejus scripto cõtinetur, sed Scriptura sacra est Verbũ Dei scriptũ, in quo authoritas illa continetur. ergo. *Quæ sit illa regula.*

Ut probem 2. partem, adverte, per traditionem hic intelligi doctrinam aliquam in Scriptura expresse non contentam, sed verbotenùs à Parentibus & senioribus nobis traditã; hujusmodi traditiones novi testamenti, quæ & Apostolicæ dicuntur (quia ab Apostolis vivâ tantùm voce traditæ sunt) aliæ sunt quæ ad fidem, & aliæ quæ ad mores, & externos ritus spectant. Prioris generis sunt hæ, quòd tota Scriptura veteris & novi testamenti sit Verbum Dei. 2. Quòd illa tota Scriptura maneat nobis salva, & incorrupta. 3. Quòd habeamus verum, & legitimum illius sensum. 4. Quòd Symbolum fidei sit verè Apostolicũ. *Diversæ Traditiones.*

 5. Quod

5. Quòd infantes sint baptizandi. 6. Quòd baptizati ab hæreticis non sint rebaptizandi. 7. Quòd Mater Christi MARIA semper manserit Virgo. 8. Quòd certus, ac determinatus sit Sacramentorum numerus.

Ad mores autem, seu ritus externos spectant hæ traditiones. 1. Ut exorcismus, & aliæ cæremoniæ exhibeantur in Baptismo. 2. Ut trina immersio fiat in ipso. 3. Ut Chrysma singulis annis renovetur. 4. Ut aquâ vinum misceatur in calice. 5. Ut Eucharistia sumatur à jejunis. 6. Ut in Sacrificio Missæ oretur pro defunctis. His notatis

Probatur 2. pars. Tum authoritate Conciliorum, Constantinop: 8. act: 10. Nicæ: 1. & 2. ac Trident: sess: 4. tum etiam ex scriptura, 2. Thessal: 2. v. 14. *Itaq; fratres state ac tenete traditiones, quas didicistis*, &c. Tum denique ratione. Traditio est antiquior regula fidei, quàm Scriptura. ergo. prob: antec: Scriptura incepit à Moyse, Fides autem ab initio mundi, usq; ad Moysem per solam traditionem conservata est, sed hoc non esset verum, nisi esset antiquior scriptura, & certa regula fidei, ergo.

Confirm: Ipsi hæretici credunt de fide esse, Biblia quæ habent, esse veram, & canonicã Scripturam; sed hoc illis non constat, nisi ex mera traditione ut velle, nolle debent fateri. ergo.

Obijc: illud Apost: ad Coloss: 2. *Videte ne quis vos decipiat per Philosophiam, & inanem fallaciam*, secundùm traditionem hominum. Idem re ipsâ habetur 1. Petri 1. & Matth: 15. ergo. R. Christum & Apostolos in illis lo-

cis

cis loqui partim de pharisæaicis traditionib⁹ Judæorum, partim etiam de traditionibus gentilium Fidei Christianæ repugnantiū, non verò de divinis & Apostolicis traditionibus.

Et si quæras de spiritu privato hæreticorum, utrum sit certa regula fidei? R. negativè, nam spiritus ille, non est infallibilis, & certus, sed potiùs est spiritus erroris, & mendacij, aliàs non dictaret in fide paradoxa, & planè inter se contradictorie opposita, ut vera. *Spiritus privatus hæreticorum.*

ASSERTIO XII. Ecclesia ut formaliter sumitur pro congregatione omnium fidelium, non est sufficiens, & viva regula in docendo. *Probatur.* Viva regula debet esse apta ad docendum, & loquendum; sed magna pars universalis Ecclesiæ, ut unicuiq; experientiâ patet, non est sic sufficiens: ergo. Deinde impossibile est, moraliter loquendo, totam Ecclesiam congregare ad definiendum aliquid de fide. ergo. *Ecclesia sola non est sufficiens regula in docendo.*

ASSERTIO XIII. Authoritas Concilij generalis legitimè congregati & approbati, est infallibilis regula fidei quantùm ad illa, quæ proponit credenda de fide. *Prob:* tum quia reguntur à Spiritu sancto, ut patet ex traditione Apostolica, & ex illo Scripturæ act: 5. *Visum est Spiritui Sancto, & nobis.* ergo sunt infallibilis regula fidei. *Concilium est regula infallibilis*

ASSERTIO XIV. Summus Pontifex, quantùm ad illa, quæ proponit de fide credenda, est etiam infallibilis regula fidei. *Item summus Pontifex.*

Prob: Tum quia habet infallibilem Spiritûs sancti assistentiam, ut patet ex illo Matth: 16. *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meã.*

 & Lu-

& Lucæ 22. Ego rogavi pro te Petre, &c. ergo tum etiam ex perpetua Ecclesiæ traditione.

Obijc: Propositio fidei facta à Pontifice, non potest esse regula fidei, nisi esset de fide ipsum Pontificem, v.g. Alexandrum VII. hodie regnantem, esse legitimum successorem Petri, sed hoc non est de fide: ergo. ℟. negando maj: nam sufficeret moralis certitudo, quæ haberetur, quòd Pontifex ille esset verus Papa, ad hoc, ut quis credat fidei articulis, ab ipso Ecclesiæ propositis.

Notæ Ecclesiæ Catholicæ.

ASSERTIO XV. Notæ seu signa Catholicæ Ecclesiæ, sunt sequentes; Nomen Catholicæ Ecclesiæ; antiquitas; duratio diuturna nunquam interrupta; amplitudo; multitudo; varietas; successio Episcoporum ab Apostolis deducta usq; ad nos; Conspiratio in unitate doctrinæ; unio membrorum inter se & cum capite; sanctitas & efficacia doctrinæ; sanctitas vitæ authorum, sive primorum Patrum nostræ Religionis; Gloria miraculorum; lumen propheticum; Confessio adversariorum; & infelix exitus, seu finis, eorum qui Ecclesiā oppugnant, quę rectissimè conveniunt Catholicæ Romanæ Ecclesiæ. Hanc assertionem quoad singulas partes vide probatam apud Bellarminum lib: 4. de notis Ecclesiæ.

EPYSTILIUM PROBLEMATICUM COLUMNÆ XVIII.

Alexandrum VII. legitimum esse Petri successorem, an sit de fide?

CO-



COLVMNA XIX.

De Habitu, necessitate, & confessione fidei, nec non infidelitatis peccato illi opposito.

ASSERTIO I. Non solùm conservari possunt habitus Fidei, & Spei, sine habitu Charitatis; sed etiam indifferenter omnes tres habitus infundi possunt. *Qualis cōnexio sit inter Theol: virtutes.*

Probatur 1. pars. Habitus fidei, & spei, manet in peccatore, seu cum peccato mortali, habitus autem Charitatis non: ergo. prob: antec: ex Trid: sess: 6. can: 28. ubi habet, si quis dixerit, amissâ per peccatum gratiâ, simul & fidem semper amitti, aut fidem quæ remanet, non esse verã fidem, anathema sit.

Probatur 2. pars. Habitus illi distinguuntur realiter inter se, ergo unus independenter ab altero infundi potest. *Confirm:* Defacto infunditur unus sine altero; ergo possunt infundi. Prob: antec: Defactò manet in peccatore habitus fidei, sine habitu charitatis. antec: est certum. prob: ergo consequ: Ideo relinquitur in peccatore habitus fidei, sine habitu charitatis, quia habet dispositiones requisitas ad conservationem habitûs fidei, sine dispositionibus requisitis ad conservationem habitûs charitatis; sed adultus solet quandoq; habere dispositionem requisitã, & sufficientem ad recipiendam fidem, sine dispositione requisita ad suscipiendam Charitatem;

tem; ergo infunditur ipsi fides, sine charitate. Prob: min: tum quia non est potior ratio, cur possit habere dispositiones requisitas ad unum, & non ad alterum; tum etiã, quia potest adultus aliquis esse paratus ad credenda omnia mysteria fidei, & adhuc se non resolvere, utrum velit restituere rem alienam injustè retentam, sed talis haberet dispositionem requisitam ad fidem, sine dispositione requisita ad charitatem. ergo.

Obijc: Infidelitas est gravissimum peccatũ, ergo nunquam remittitur non infusâ charitate; sed non infunditur fides, nisi dimittatur infidelitas, ergo non infunditur fides nisi infusa charitate. ℞. dist: antec: est gravissimũ peccatum, si incurratur ob invincibilẽ ignorantiam, nego antec: si incurratur ob vincibilem, concedo antec: & nego consequentiã. Ad subsumptum ℞. concedendo illud, & distinguendo consequens, non infunditur fides, nisi infusâ charitate, nisi ponatur obstaculũ, concedo consequentiam; si ponatur, nego consequ: Itaq; nostræ Conclusioni sufficit, quòd infidelitas non peccaminosa per infusionem fidei, posset remitti, quamvis non infundatur charitas; per hoc tamen non dicimus, quòd Deus infundat fidem peccaminoso infideli, sine infusione charitatis, quia de facto statuit nullum remittere peccatum sine charitatis infusione.

Necessitas medij & præcepti describitur.

Adverte hic pro Intelligentia sequentium, aliquid posse esse dupliciter necessarium ad salutem; necessitate nimirum medij, & necessitate præcepti tantùm; primo modo illud dicitur necessarium, sine quo homo, etiam

invin-

invincibiliter ignorans, non consequitur vitam æternam. Secundo verò modo, illud dicitur necessarium, quod tenetur quidem homo facere si commodè potest; omittendo tamen illud potest consequi salutem, si invincibili laborat ignorantia, vel aliam habet justā causam omittendi illud, & hoc modo præcepta multa DEI & Ecclesiæ sunt necessaria. His notatis sit

ASSERTIO II. Fides habitualis, semper fuit, & est defactò necessaria necessitate medij omnibus ad salutem. *Prob:* Tum ex Script: Hebr: 11. *Sine fide impossibile est placere DEO.* Marci ult: *Qui non crediderit, condemnabitur.* Tum etiam, quia justificatio est necessaria necessitate medij ad salutem; sed nemo justificatur, cui non infunditur Fides, Spes & Charitas, vel saltem sine illis tribus; ergo fides habitualis est necessaria necessitate medij ad salutem. *Fides quâ necessitate sit necessaria.*

ASSERTIO III. Cuilibet compoti rationis, cui sufficienter proponuntur mysteria fidei, necessaria est fides actualis. *Fides actualis quibus necessaria.*

Prob: tum ex jam citatis Scripturæ locis, quæ etiam de actuali fide intelligi possunt, quibus adde passum illum Apostoli ad Hebr: 11. *Accedentem ad DEUM oportet credere quia est.* Tum etiam, quia propterea principaliter infunditur fides habitualis, ut possit haberi actualis, quando quis pervenit ad usum rationis; ergo cùm cuilibet necessaria sit fides habitualis, cuilibet etiam compoti rationis necessaria erit fides actualis.

Confirm: ex Trid: sess: 6. cap: 6. *Fides est humanæ salutis initium, radix, & fundamen-*

tum

tum omnis justificationis; sed ut adultus rationis compos, consequatur vitam æternam, debet accedere ad Deum, & justificari; ergo debet habere fidem, etiam actualem, nam sine illa non potest ad Deum accedere; quia teste Trident: jam citato, Fides est dispositio requisita ad justificationem.

Dixi *Compoti rationis*, quia si baptizatus nunquàm usum rationis acciperet, sine actuali fide salvaretur, sicut salvantur infantes statim post baptismum morientes.

Objic: Rom: 2. *Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt faciunt; ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex*; ergo gentes illæ, id est, infideles, absq; fide, & alio omni supernaturali actu in substantia, observant legem, & consequenter salvabuntur; nam teste Apost: *Factores legis justificabuntur.* ℞. explicando Apost: & dist: antec: ea quæ legis sunt, quoad aliqua ejus præcepta, concedo antec: quoad omnia præcepta, nego antec: & consequentiam; cujus etiam probationem ex Apostolo adductam, eodem modo explico; Factores legis, quoad omnia ejus præcepta, concedo; quoad aliqua ejus præcepta, nego.

Fides in remuneratorem est necessaria

ASSERTIO IV. Explicita Fides actualis Dei, etiam remuneratoris, necessaria est, necessitate medij, adultis ad salutem. *Prob:* Conclusio quoad utramq; partem, ex Apost: ad Hebr: 11. *Accedentem ad DEUM oportet credere quia est, & quia remunerator est.* Huc etiam faciunt verba illa Christi, Joann: 15. *Hæc est vita æterna, ut cognoscãt te solum Deum verum.*

Prob:

Probatur 2. ratione. Illud est necessarium necessitate medij, sine quo homines, regulariter loquendo (respiciendo potentiam absolutam, nec fides, nec baptismus sic necessarius est ad salutem) non consequuntur vitam æternam, sed fides Dei remuneratoris est talis. Prob: min: ex Trident: supra citato, ubi enumerat fidem inter dispositiones ad justificationem, sed nulla alia fides debet potiùs censeri talis dispositio, quàm Dei remuneratoris; ergo.

ASSERTIO V. Post Evangelij sufficientem promulgationem, actualis fides Christi Redemptoris, nec non Trinitatis necessaria fuit necessitate medij, ijs, quibus necessaria fuit ulla fides actualis ad salutem consequendam. *Fides item Redeptoris & Trinitatis.*

Prob: 1. pars. ex illo Marci ult: *Prædicate Evangelium omni creaturæ, &c.* ergo explicita fides Christi Redemptoris, quæ per Apostolos tunc prædicata & promulgata fuit, necessaria est necessitate medij ad salutem.

Confirm: Sine baptismo in re, vel in voto, nemo salvatur defactò; sed adulti rationis compotes non consequuntur baptismum, nisi explicitam Christi Redemptoris, ac Mysterij Trinitatis fidem habeat; ergo.

ASSERTIO VI. Datur præceptum divinum adultis de interiori actu fidei eliciendo. *Præceptũ divinũ de actu fidei.* *Prob:* tum ex Scriptura Joann: 3. *Hoc est mandatum ejus, ut credamus in nomine Filij ejus, &c.* Matth: ult: *Qui non crediderit, condemnabitur.* Tum etiam in Scriptura multa proponuntur sub comminatione æternæ damnationis, & consequenter sub præcepto,

ergo

ergo debemus credere, quòd talia non sunt licitè perpetranda.

Obijc: Præceptum non obligat, nisi præcipientis cognoscatur authoritas in ordine ad obligandum hic, & nunc; sed hæc authoritas non potest cognosci nisi per ipsam fidem, ergo infideles, qui fidem non habent, non possunt cognoscere præcipientis authoritatem, & consequenter non tenentur credere, quòd dentur præcepta divina. ℟. transeundo maj: & dist: min: nisi per fidem acquisitam, accedente auxilio gratiæ, concedo min: nisi per fidem divinam infusam, nego min: & consequentiam; sufficit enim ut quis obligetur præcepto fidei, quòd fides illi sufficienter proponatur per prædicationem Verbi Dei.

Obligatio major & minor circa mysteria fidei.

ASSERTIO VII. Fideles non æqualiter obligantur ad cognitionem rerum fidei, unde Archi-Episcopi, & Episcopi, Parochi, Professores, Concionatores, & Confessarij, respectivè debent habere majorem notitiam mysteriorum fidei, universaliter loquendo, & consequenter explicitè plura credere, quā reliqui fideles.

Probatur 1. pars, ex illo Job 1. *Boves arabant & asinæ pascebantur juxta eas*, ubi per *boves* teste D. Gregor: significantur ministri Ecclesiæ, & per *asinos* Laici, seu communis plebs, quæ ad cognoscenda mysteria fidei non tenetur tantum laborare sicuti Ministri.

Probatur 2. pars. tum ex Apost: ad Titū 2. *Oportet Episcopum esse justum, amplectentem eum, qui secundùm doctrinam est, &c.* Tum etiam, quia Episcopi succedunt Apostolis, quibus maximè dictum est, *Docete omnes gentes,*

tes, ergo illorum est docere, ut docet Trident: sess: 24. cap: 5. sed hoc non esset verum, nisi majorem tenerentur habere fidei cognitionem, quàm reliqui fideles. ergo.

ASSERTIO VIII. Communis Christianorum populus tenetur non solùm implicitè credere omnia, quæ credit Ecclesia, sed etiam explicitè, quando ad annos discretionis veniunt, credere multos articulos fidei. *Quid credere Christianus debeat.*

Prob: tum authorit: Greg: XI. damnantis hanc Propositionem: *Laici non tenentur ad aliquem articulum fidei explicitè credendum, sed sufficit illis, ut credant in genere omne illud, quod sancta DEI Ecclesia credit.* Ita refert directorium inquisitorum 2. parte, q. 10. Tum etiam ex Catechismo Pij V. dicente, quòd omnes Christiani credere tenentur, quæ certis articulis Apostoli comprehenderunt.

Itaque fideles postquàm ad usum rationis veniunt, tenentur credere quoad substantiā articulos omnes contentos in Symbolo Apostolorum, septem Sacramenta, & decem DEI præcepta. *Quid adulti teneantur credere.*

ASSERTIO IX. Tunc primo tenetur adultus rationis compos, elicere actum fidei, quando ei mysterium fidei sufficienter proponitur. Est communis, & patet, quia commodius tempus illius obligationis assignari non potest, ergo. *Quando primū actum fidei teneatur adultus elicere.*

ASSERTIO X. Nunquam licet directè negare fidem, nec uti cæremonijs falsæ religionis, quando ex illo usu prudenter judicaretur à videntibus, quòd esset cultor illius falsæ religionis. *Fides nunquàm debet negari.*

Prob: 1. pars. Matth: ult: *Qui negaverit me*

Q *coram*

coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo. Tum etiam ex Concilio Nicæno, & Arausicano idem docentibus.

Prob: 2. pars. quia sic faciendo externè, veram quis negaret fidē, & profiteretur falsam.

Obijc: Jehu, 4. Reg: 10. laudatur, quia simulavit se publicè coram populo, acsi sacrificare vellet Idolo Baal, ut hoc modo simul posset congregare Sacerdotes Baal, eósq; occidere; ergo ob bonū finem possum negare finem actu externo. ℟. negando consequ: quia non laudatur ille ob externam fidei negationem, sed potiùs ob deletionem Domûs Achab.

Obijc: 2. In comœdijs agendo personam infidelis, negare licet fidem; ergo aliquando licet illam negare. ℟. negando consequentiam, quia talis non negat fidem, sed potiùs repræsentat personam alterius, qui illam negârat.

Quando quis teneatur ad confessionē fidei.

ASSERTIO XI. Quilibet tenetur ad confitendum fidem, quoties de ea publicè interrogatur à persona, publicam habente authoritatem; non verò si secretè, aut à persona talem authoritatem non habente.

Prob: 1. pars. Omnibus illis authoritatibus, & rationibus, quibus hactenùs ostendimus externum fidei actum, quandoq; esse necessarium ad salutem, sed nunquam magis, quàm in casu Conclusionis; ergo in illo casu tenetur quis elicere actum fidei.

Probatur 2. pars. Nullam facit Christo, aut Deo, irreverentiam, qui non vult respondere particulari personæ interroganti eum de fide; nam hoc faciendo solùmmodo spernit personam interrogantē, non verò negat fidem. ergo. AS-

ASSERTIO XII. Infidelitas, fidei opposita, non solùm non incurritur per quodcunq; peccatum mortale, sed nec etiam incurritur per peccatum mortale contra ipsam fidem. *Probatur 2. pars*, ex qua sequitur prima, qui negligit elicere actum fidei, tempore quo præceptum fidei obligat, peccat contra virtutem fidei, & tamen per talem omissionem non perdit semper fidem: ergo non per quodcunq; peccatum mortale contra fidem, perditur fides, aut incurritur infidelitas. *Infidelitas non incurritur per quodcunq; mortale peccatum contra fidem.*

Confirm: Qui ex negligentia aliquos fideī articulos ignorat, aut libros prohibitos legit, peccat contra fidem, quia non potest ostendi, contra quam aliam virtutem potiùs peccaret; sed talis non incurrit infidelitatem, ut omnes concedunt. ergo.

Obijc: Fides per infidelitatem perditur, sed omnia peccata contra fidem sunt infidelitatis; ergo. ℞. negando min: nam illa sola dici debent peccata infidelitatis, per quæ formaliter perditur fides.

ASSERTIO XIII. Sola infidelitas voluntaria, directè opposita actui fidei, circa idem objectum, de se excludit vel expellit habitum fidei supernaturalis. *Prob:* Quia quæcunq; alia infidelitas compatibilis est cum habitu fidei; ergo. *Sola infidelitas voluntaria fidem destruit.*

Peccato hoc Infidelitatis, quatuor diversis modis potest & solet expelli fides. 1. Modus est, quando quis credit articulum ab Ecclesia receptum, esse planè falsum, & erroneum. 2. Quando credit esse verum, quod ipso sciente, ab Ecclesia damnatum est ut falsum.

3. Quando apud ſe ſtatuit aliquis, ſe non velle hæc, vel illa credere pro veris fidei articulis, quantumvis in ſcriptura ſint à Deo revelata. 4. Quando quis abſolutè profitetur ſe nihil velle credere, præter ea, quæ ſibi ipſi placent; his enim, & ſimilibus actibus, privatur voluntas pio credibilitatis affectu, & intellectus fide habituali ſupernaturali.

Quid ſit eſſe hæreticũ formalem.

ASERTIO XIV. Hæreticus eſt perſona credens in Chriſtum, pertinaciter errans, circa aliquem fidei articulum. Ut cenſeatur quis formalis hæreticus, requiritur, ut fidem Chriſti in genere profiteatur, & poſt ſufficientem veritatis propoſitionem alicui errori contra fidem directè militanti, voluntariè & pertinaciter adhæreat.

Probatur 1. *pars* communi argumento. 2. *etiam pars probatur*, author: D. Auguſt: epiſt: 116. ubi explicans illud Apoſtoli ad Titum 3. *Hæreticum hominem*, &c. ſubdit: *Qui ſententiam ſuam, quamvis falſam & perverſam, nullâ pertinaciâ animi defendunt, ſed parati ſunt ſe emendare, dum luceſcit eis veritas, nequaquam ſunt inter hæreticos* (intellige formales) *computandi.*


Prob: 2. ratione. Hæreſis deſtructiva fidei, eſt ratio formalis conſtitutiva hæretici; ſed ea ſola, quâ voluntariè & pertinaciter, Chriſtianus errori adhæret, eſt deſtructio fidei in hoc genere; ergo; maj: eſt certa, prob: min: non deſtruitur fides, niſi deſtructo ejus initio, & radice, piæ ſcilicet voluntatis motu, ſeu credibilitatis affectu, ſed radix & initium fidei non deſtruitur ſine voluntaria, & pertinaci

naci

naci adhæsione erroris; ergo. prob: min: qui non est voluntariè pertinax, paratus est, factâ sufficiente propositione fidei, se corrigere; sed qui est sic paratus, retinet pium credibilitatis affectum; ergo.

EPISTYLIUM PROBLEMATICUM COLUMNÆ XIX.

An inter Germaniæ Acatholicos, plures sint materiales, quàm formales hæretici?



COLVMNA XX.

De Virtutibus Theologicis, Spei & Charitatis.

ASSERTIO I. Spes Theologica habitualis, est qualitas supernaturalis in substantia, inclinans voluntatem ex affectione commodi, ad desiderandum summum bonũ absens, amore concupiscentiæ. *Definitio Spei Theologicæ.*

Prob: tum quia habet conditiones bonæ descriptionis, tum etiam ipsam explicando. Dicitur *qualitas supernaturalis in substantia*, in sensu, quo tractatu præcedenti diximus fidem esse talem qualitatem. Ponitur ly *inclinans voluntatem*, ut ostendatur differentia actûs spei ab actu charitatis, qui ex affectio-

ne justitiæ elicitur. Et si quæras, quomodo illi duo affectus distinguantur? ℞. quòd in hoc, quia affectus justitiæ est actus quo quis vult, & diligit Deum propter infinitam ejus bonitatem, sine ullo respectu ad proprium commodum. Affectus verò commodi est actus, quo quis DEUM diligit ob suum proprium commodum, v. g. ob spem vitæ æternæ.

Spes in quo actu consistat.

ASSERTIO II. Spes non in intellectu, sed in voluntate subjectatur. Objectum ejus materiale est beatitudo, tam formalis, quàm objectiva: formale verò, bonitas apprehensa in objecto materiali, & fidelitas Dei promittentis.

Ejus objectum formale & materiale

Probatur 1. pars. tum quia si subjectaretur in intellectu, non posset distingui à fide; sed hoc est falsum; ergo. Tum etiam, quia illud speramus, quod judicamus certò, vel probabiliter futurum; ergo non in tali judicio aut intellectûs actu spes consistit, & consequenter ad voluntatem spectat. Et si quæras, in quo voluntatis actu consistat spes actualis? ℞. quòd in desiderio efficaci boni proprij absentis, possibilis & honesti.

Obyc: Intellectus sufficienter perficitur in ordine ad Deum per unicum fidei habitum, ergo & voluntas per unicum charitatis habitum, & consequenter frustra in voluntate admittitur spes, distincta à charitate. ℞. negando consequ. Et ratio disparitatis est, quia intellectus unicam inclinationem naturalem ad intelligendum habet, voluntas verò duplicem; unam, quæ respicit justitiam, seu amorem amicitiæ; & alteram quâ respicit com-

commodi affectionem, ad quam perficitur per spem, sicut ad priorem perficitur per charitatem.

Probatur 2. pars. tum ex scriptura Job 2. Filij sanctorū sumus, & vitam illam expectamus, quam Deus daturus est his, qui fidem suam nunquam mutant; sed vita illa est beatitudo formalis: ergo. Tum etiam ratione: Summum quod sperari potest post Deum, est beatitudo formalis, ergo spes Theologica, quæ summa est & perfectissima spes, pro materiali objecto, beatitudinem illam sibi vendicat.

Prob: 2. eadem pars de beatitudine objectiva, illud est objectum materiale Spei Theologicæ, quod ab anima concupiscitur, & desideratur, & posteà possidetur; sed Deus est, quod sic concupiscitur ab anima, & posteà in re ab illa possidetur: ergo.

Probatur jam 3. pars. Bonitas apprehensa in beatitudine, tam formali quàm objectiva, & fidelitas Dei promittentis beatitudinem illam ei, qui obicem non ponit, est quod movet & determinat voluntatem ad tendendum in beatitudinem per actum spei, ergo sola illa bonitas, additâ fidelitate, erit objectum formale spei Theologicæ.

Obijc: contra 2. partem. Spes est amor boni delectabilis, sed Deus non est tale bonum, quia nos non delectat nisi mediante visione & fruitione; ergo. *Confirm:* Spes est de objecto futuro; sed Deus non est futurus; ergo. ℟. concedendo maj: & dist: min: non delectat nos objectivè, nego min: formaliter, concedo min: & nego consequent: dist: etiam min:

min: confirmationis, futurus in ſubſtantiâ, concedo min: futurus in quantum poſſidendus eſt à nobis, nego min: & conſequ:

Opus ſpe mercedis elicitum, licitũ eſt.

ASSERTIO III. Licitè quis operatur intuitu mercedis tam æternæ, quàm temporalis. Eſt de fide in Trident: ſeſſ: 6. can: 11. & 31. cujus authoritate prob: ſicut & Scripturæ Tob: 4. *Fiducia magna erit coram Deo eleemoſyna, &c.* Rom: 5. Tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio verò ſpem. *Prob:* etiam ex dicendis de merito.

Objic: Vituperantur mercenarij qui ſpe mercedis laborant, Joann: 10. ergo. ℞. diſt: antec: qui ſpe mercedis temporalis tantùm, concedo antec: vitæ æternæ, & etiam mercedis temporalis, nego antec: & conſequ:

Quæ ſint præcepto divino ſperanda.

ASSERTIO IV. Præcepto affirmativo divino tenetur homo adultus ſperare à Deo beatitudinem æternam, & remiſſionem peccatorum. Prob: ex ſcript: Rom: 15. *ut per patientiam & conſolationem ſcripturarum ſpem habeamus.* 1. Timoth. 6. *Divitibus hujus ſæculi præcipe non ſublimia ſapere, neq; ſperare in incerto divitiarum, ſed in Deo vivo.* Unde Aug: tract: 88. in Joannem ait: *Præceptum eſſe nobis ſperare multa, ſcilicet, quæ promiſſa ſunt.*

Prob: 2. ratione. Omnis actus ad ſalutem neceſſarius cadit in præceptum, ut patet ex dictis de fide, ſed actus ſpei eſt medium neceſſarium ad ſalutem adultis. ergo, &c.

Factâ revelatione de damna-

ASSERTIO V. Poteſt Deus ſuam damnationem alicui revelare, quâ factâ, licitè is deſperaret. *Probatur 1. pars.* quia in hoc

hoc nulla est implicantia. ergo. *Prob: etiam 2. pars.* Si Deus revelaret alicui mortem corporalem, rationabiliter, & licitè de recuperatione salutis corporalis quis desperaret; ergo si revelaret alicui mortem animæ, seu suam damnationem, rationabiliter & licitè desperaret. *Confirm:* In casu Conclusionis non posset ille sperare; ergo licite desperaret. Prob: antec: Objectum spei debet esse possibile, & futurum ex divina promissione, sed in hoc casu nec possibile foret, nec futurum, etiam in apprehensione ipsius peccatoris, ergo non posset ille sperare consecutionem talis objecti.

tione licitè quis desperat.

Objic: Non potest aliquis licitè peccare; sed desperando peccaret: ergo non potest licitè desperare. *Confirm:* Certus de sua prædestinatione, potest licitè timere de sua reprobatione: ergo, & certus de sua reprobatione potest sperare salutem. ℞. concedendo maj: & distingu: min: peccaret supposità revelatione, nego min: non factâ revelatione, concedo min: & nego consequ: Ad Confirm: ℞. negando absolutè antec:

ASSERTIO VI. Charitatis Theologicæ, quâ Deum propter se diligimus, objectum materiale primarium est ipse Deus, secundarium verò omnia alia, quæ amari possunt propter Deum; formale autem primarium, essentialis bonitas Essentiæ divinæ in se; secundarium verò quæcunq; alia perfectio intrinseca Dei, secundùm quam concipitur quando amatur, & propter quam amatur.

Charitas Theol: definitur. Ejus objectum materiale & formale.

Probatur 1. pars. Deo conveniunt requisita omnia ad rationem objecti primarij attribu-

tionis Charitatis. ergo. *Probatur jam 2. pars.* Objectum materiale charitatis eſt, quidquid poteſt amari ex motivo charitatis, ſed quidquid poteſt amari propter Deum, poteſt amari ex motivo charitatis; ergo.

Probatur 3. pars. Perfectiſſimus voluntatis habitus, ſecundùm Paulum, eſt Charitas, ergo reſpicit Deum ſub perfectiſſima ratione, quâ poteſt voluntati objici; ſed eſſentialis bonitas Eſſentiæ divinæ ſecundùm ſe ſpectata, ſeu ut eſt prior omni reſpectù ad alia, eſt perfectiſſima ratio conceptibilis in Deo: ergo hæc erit objectum formale primarium charitatis.

Probatur ultima pars. Objectum formale alicujus actus dicitur illud, quod objectivè propoſitum, movet potentiam ad actum, & terminat ipſum actum; ſed quæcunq; perfectio Dei intrinſeca, ſecundùm quam concipitur, quando amatur, & propter quam amatur, eſt talis: ergo.

Charitas creata datur.

ASSERTIO VII. Datur Charitas creata ſupernaturalis, tam habitualis, quàm actualis, quæ (loquendo de habituali) concurrit cum voluntate ad amandũ Deum ſuper omnia. Hæc quoad omnes partes manet probata ex dictis de virtutibus ſupernaturalibus, & ulterius probabitur, agendo de gratia juſtificante.

Eſt cõprincipium voluntatis ad eliciendum amorem.

ASSERTIO VIII. Poteſt Deus amari ſuper omnia amore naturali in ſubſtantia. *Prob: 1.* Si non poſſit ſic amari, poſſit aliquis cognoſcere naturaliter, absq; ulla revelatione particulari, ſe eſſe in ſtatu gratiæ; ſed hoc eſt contra omnes Theologos. ergo. Prob: ſequela

Amore naturali ſuper omnia Deus poteſt amari.

quela, poteſt quandoq; quis in ſe experiri actū amoris Dei ſuper omnia, quando illum elicit; ergo ſi non poteſt Deum ſic amare, amore naturali, poteſt certò concludere, quòd tunc amet ipſum ſuper omnia, amore ſupernaturali, ſed ille amor eſt ſemper conjunctus cum juſtificatione. ergo.

Confirm: & ſimul prob: 2. Poteſt quis habere naturaliter omnia neceſſariò requiſita ad amorem Dei ſuper omnia; ergo poteſt illum amare naturaliter ſuper omnia. Prob: antec: Ad talem actum liberum, & naturalem, aliud phyſicum principium non requiritur, quàm quòd Deus ſcientificè, vel opinativè cognoſcatur, & quòd habeatur voluntas ſine impedimento; ſed iſta omnia poſſunt haberi naturaliter. ergo.

Hic obiter nota, Deum duobus modis poſſe amari, appretiativè, ſcilicet, ſeu extenſivè, & intenſivè. Appretiativè amatur, quando quis optaret citiùs alia omnia non eſſe, quàm Deū non eſſe: Intenſivè verò, quando ex majori affectu vult Deo bene eſſe, quàm alicui alteri. Nunc ſit

Quomodo Deus ſuper omnia diligendꝰ.

ASSERTIO IX. Quamvis nullo præcepto obligamur ad amandum Deum magis intensè, quàm creaturam aliquam; debemus tamen ſic ſuper omnia Deum diligere, ut potiùs velimus offendere quemcunq; alium, quàm illum mortaliter; eiq; in rebus præceptis placere, quàm cuicunq; alteri.

Prob: 1. pars. Præceptum illud Deuter: 26. de Dei dilectione impoſitum, non obligat nos niſi ad amandum Deum ſuper omnia, modo mox dicendo; ſed talis amor poteſt habe-

haberi, quamvis non sit gradualiter intensius, ac est amor alicujus creaturæ: ergo. maj: est certa: prob: min: Potest quis cum intensione, v. g. ut duo, vel ut quatuor, velle magis placere Deo, quàm ulli alteri, modo in secunda parte Conclusionis requisito; sed hoc non obstante potest amare patrem, vel filiũ suum, amore intenso ut octo: ergo amor Dei non debet semper esse intensior, quàm sit amor alicujus creaturæ: maj: est certa, quia ad amorem Dei super omnia, non requiritur summa intensio, aliàs unus beatus non intensiùs amaret Deum, quàm alius. Prob: ergo min: Potest quis amare Patrem vel Filium ut octo, sic ut cum intensione majori vellet illis magis placere quàm ipsi Dèo, in rebus levibus, seu non peccaminosis mortaliter (talis enim amor est compatibilis, cum observantia hujus præcepti, ut omnes concedunt) ergo non obstante priori amore, potest quis intensiori amore amare patrem, vel filium, quàm Deum.

Probatur jam 2. pars. Qui potiùs vellet offendere Deum, quàm alium, vel alteri potiùs placere quàm Deo, in rebus præsertim præceptis, magis amaret alterum illum, quàm Deum; ergo non amaret Deũ super omnia. *Confirm:* Amor Dei super omnia, qui præcipitur in Decalogo, infert affectum efficacem non peccandi ullo peccato, saltem mortali, & consequenter affectum offendendi magis quemcunq; alium, quàm Deum tali peccato; sed hoc est quod vult Conclusio: ergo. prob: maj: ex illo Christi apud Joannem: *Qui diligit me, sermonem meum servabit.* ergo.

Con-

Contra hanc assertionem nil invenio singulare, nisi quis vellet dicere, quòd ratio naturalis dictat Deum etiam intensivè debere diligi super omnia; sed non bene hoc diceret, loquendo de dictamine involvente præceptum.

ASSERTIO X. Quamvis datur præceptum de dilectione Dei. *Deut: 6. & Matth: 22.* nemo tamen tenetur ad amandum Deum pro primo instanti, quo usum rationis habet. *Probatur.* Non obligatur quis ad amandum Deum sub pœna peccati, antequàm cognoscat se sic obligari, & proponatur illi Deus; sed per integrum diem potest aliquis usum rationis habere, sine eo quod unum, aut alterum fiat; ergo non solùm pro primo instanti, sed nec etiam pro prima die, absolutè loquendo, quo quis usum rationis primo habet, tenetur ad amandum Deum.

Quando quis obligetur præcepto divino ad DEI amorem.

Obijc: Sicut lapis pro primo instanti quo est jactus sursũ, nisi impediatur, movet se ad suũ centrum; ita homo habet obligationem convertendi se ad Deum, quàmprimùm potest; sed potest pro primo instanti, quo usum rationis habet; ergo. ℟. negando maj: & paritatem, quæ si valeret, probaret, etiam contra Thomistas, quòd sicut lapis habet gravitatem, quâ non solùm in primo instanti, sed semper movet se ad centrum, quoties non ponitur obex; ita homo haberet obligationem semper convertendi se ad Deum, quando non poneretur obex, quod est falsum.

ASSERTIO XI. In re incerta, piè sentit Doctor subtilis, dum docet fideles obliga-

Probabiliter tenemus diebus Dominicis Deũ amãdũ super omnia.

ligari ad amandum Deum super omnia, diebus Dominicis. *Prob:* Tum quia innumera beneficia nobis à Deo collata, videntur exigere, ut frequenter amemus ipsum, & præsert'm eo die, quem ipsemet assignavit pro cultu sibi adhibendo: ergo. Tum etiam, quia secundùm adversarios, obligamur præcepto Dei, & Ecclesiæ, illo die ad aliquem cultum Deo exhibendum, sed non ad alium potiùs quàm amoris, qui præcipuus Dei cultus est, & sine quo omnis alius nullius est momenti: ergo piè sentit, qui docet, quod illa die obligamur ad cultum amoris.

Dices, obligationem illam esse valdè arduam & difficilem: ergo. Contra, non est difficilor illa obligatio, quàm sit homini inclinato ad peccandum peccato intemperantiæ, aut odio habenti inimicum, præceptum de non peccando, vel amando inimicum, sed secundùm omnes ad ista homines tenentur: ergo à paritate non obstante gravitate, aut difficultate obligationis, jam in conclusione dictæ, adhuc rationabiliter admittenda est.

Quæ discretio servanda in dilectione sui, & proximi.

ASSERTIO XII. Præceptum de dilectione proximi non facit, quin quis debeat ex charitate se ipsum magis, quàm ullum alium, & sibi maximè conjunctos, plus quàm alios, diligere. *1. Pars* de dilectione proximi *probatur*, tum ex Scriptura Matth: 22. tum etiam, ex alijs locis quibus præcipitur, ut nunquam odio habeamus proximum.

Probatur 2. pars. ex D. Aug: in Enchrydio cap: 24. ubi Conclusionem interminis ferè

rè habet, & cap: 26. *Qui vult,* inquit, *ordinatè eleemosynam dare, à se debet incipere, & eã sibi primò dare, juxta illud, miserere animæ tuæ, placens DEO:* tum etiam, quia connaturale est cuilibet appetere perfectionem in se, quàm in suo simili; sed charitas datur ad perficiendam inclinationem naturalem; ergo potiori jure respicit nos ipsos, quàm ullos alios.

Probatur ultima pars. tum exemplo Apost: Rom:9. Qui pro suis fratribus & cognatis voluit fieri anathema. & ad Titum 5. *Si quis,* inquit, *suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem negabit, & infideli deterior est.* tum etiam ex Patribus Hiero: & Ambros: qui Conclusionem quasi in terminis docent.

Obijc: Quivis debet diligere proximum sicut se ipsum, ergo nullus debet in dilectione se præferre proximo. ℞. negando consequentiam, nam ly *sicut* non denotat æqualem similitudinem; sed potiùs, quod quemadmodum quis diligit se ex charitate, sic etiam & proximum diligere debet, ex hoc tamen non sequitur, quin magis me diligere possim, quàm alium, & mihi maximè conjunctos, quàm remotè.

ASSERTIO XIII. Licitè, inimicum, impios, & peccatores, quà tales, odio potest quis habere; imò possum licitè inimico paupertatem, inter homines despectum, & corporalem infirmitatem, directè velle.

Licitè peccatores & c quà tales odio prosequimur, & mortẽ optamus.

Probatur 1. pars, tum quia ut tales sunt, hoc est, quà mali, & vitiosi, amari non possunt meritoriè; ergo. tum etiã, ex psalmista psalmo 103. in illo sensu odivit inimicum, dũ

ait:

ait: *Deficiant peccatores à terra*, hoc eſt, (ut paſſum illũ explicat Doctor in 3. d. 30. q. un:) opto ut extirpentur à terra peccatores, aut ut deſinant eſſe tales, juxta illud proverb: 12. *Verte impios, & non erunt.* & in hoc ſenſu intelligi debet S. Anaſtaſia, dum ſcribens Chryſogono, de ſuo viro Publio, optavit, *ut ſi Deus prævideret eum in infidelitate manſurum, juberet eum dare locum ſanctis*, *quia*, inquit, *melius eſt ei animam exhalare, quàm Dei filium blaſphemare.*

Prob: *2. pars* cum Doctore jam citato, poſſum ordinatè nolle proximo meo inimico, quæcunq; ipſe ordinatè poteſt, nolle ſibi; & ego mihi, ſi eſſem talis, qualis ipſe eſt; ſed ordinatè poſſem mihi nolle divitias, ſanitatem integram, & univerſaliter neceſſaria ad vitam corporalem, & ille ſibi illa poteſt ordinatè velle: ergo & ego licitè illi poſſum illa velle. Maj: eſt certa. Prob: min: poſſum ea contemnere, ut fiam voluntariè pauper (imò defacto feci) vel ea velle mihi infligi in pœnam peccatorum meorum; vel ſi ſint inflicta, acceptare cum Job afflictionem illam patienter (conformiter ad hoc diſcurre de omnibus bonis fortunæ, & corporis) ergo & & inimico poſſum illa optare.

Præceptũ de diligẽdis inimicis. *Quomodo ei ſatisfiat*

ASSERTIO XIV. Pro omni ſtatu dilectio inimicorũ fuit ſemper præcepta: huic tamen præcepto ſatisfacit, qui non vult illis malum, eiſq;, ſaltem virtualiter, optat amicitiam Dei, vitam æternam, & ea quæ in hoc mundo ſunt ipſis neceſſaria ad bene agendũ. De lege naturæ prob: ex illo ipſius principio: *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris.* ſed nemo

mo eſt, qui rationabiliter poſſet velle, ut odio habeatur, in ijs, quæ ſpectant ad ſalutem animæ illius, ab ullo: ergo. De lege ſcripta etiam probatur, tum ex illo Exod: 29. *Si occurreris bovi inimici tui, &c.* & Proverb: 25. *Si eſurierit inimicus tuus, ciba eum.* ergo. De dilectione inimici in lege Evangelica patet Matth: 5. *Diligite inimicos veſtros:* ergo.

Probatur 2. pars. Nec ratione, nec authoritate probatur, quòd debeam aliter diligere inimicum, aut etiam non inimicum, niſi ſic virtualiter deſiderando illis bonum, ſicut opto toto generi humano; ergo. Hinc ſequitur me non obligari ad exhibenda inimico ſpecialia benevolentiæ, aut familiaritatis ſigna, puta ad invitandum ipſum ad meum prandium, ad illum in platea ſalutandum; aut pro illo ſpeciali aliquo modo orandum; & ratio eſt, quia nec teneor illa beneficia præſtare proximo, non inimico ſemper, ergo nec inimico.

Obijc: In lege veteri odium inimicorum fuit ad minimum permiſſum, ut patet ex illo Matth: 5. *Audiſtis, quia dictum eſt antiquis, odio habebis inimicum tuum:* ergo. ℟. cum Doctore citato n. 14. Chriſtum ſignanter ibi dixiſſe, *quia dictum eſt*, & non quia ſcriptum, quia etſi ſcriptum ſit, *diliges amicum tuum*, non erat tamen ſcriptum, odio habebis inimicum, ſed Judaici Doctores malè intelligentes Scripturam, peſſimè illam conſequentiam, per locum à contrario, illi jam citato, de dilectione amicorum, intulerunt, ut expreſsè colligitur ex dictis Chriſti, Lucæ 6. Si enim tantùm diligitis, *inquit*, illos, qui vos

R dili-

diligunt, quam mercedem habebitis? quasi diceret, nullam.

Præceptũ de fraterna correctione.

ASSERTIO XV. Extat præceptum de correctione fraterna, Matth: 18. In quo ordo ibidem propositus necessariò servandus est, quoties ob rationes aliquas particulares non est omittendus. *Prob:* tum authorit: D. Greg: lib: 4. Regist: epist: 36. *Et nos quidem*, inquit, *servamus quod veritas præcepit, si peccaverit in te, &c.* Tum etiam ratione, tenemur servare illæsum honorem proximi, in quantum possumus; sed non servaremus, nisi teneremur hunc ordinem servare: ergo.

EPYSTILIUM PROBLEMATICUM COLUMNÆ XX.

An duellum sit licitum, ad defendendam famam, vel honorem?



COLUMNA XXI.

De Auxilijs Gratiæ Divinæ.

Descriptio gratiæ divinæ.

ASSERTIO I. Gratia divina, (prout ad propositum hujus materiæ facit) rectè describitur, beneficium à Deo collatum, sine merito de condigno recipientis. *Prob:* tum quia in nullo deficit, vel abundat; tum etiam illam explicando. Dicitur, *Gratia divina*, quia hic tantùm agimus de gratia, quã creatura recipit à Deo, *dicitur beneficium*, ut deno-

denotetur, quòd gratia debeat esse data in bonum illius, cui confertur. Additur *sine merito de condigno recipentis*, ut excludatur à ratione gratiæ propriè dictæ, præmium operum de condigno meritoriorū, quod cùm sit ex operibus, jam non est gratia, ut loquitur Apostolus, sed potiùs debitum.

Obijc: Ex conclusione sequeretur collationem gratiæ sanctificantis peccatori contrito, esse gratiam; sed hoc est falsum, ergo, prob: sequ: illi collationi convenit per omnia nostra descriptio: ergo, prob: etiam min: Per illam collationem reddit Deus aliquid pro aliquo, ad quod reddendum, suppositâ suâ promissione, obligatur, sed hoc est contra naturam gratiæ, quæ debet esse gratuita datio: ergo. ℞. negando min: & dist: maj: probationis ejus, reddit aliquid pro aliquo exigente illud, quod redditur, ex justitia, nego maj: ex fidelitate aut congruentia quadam, concedo maj: & distinctâ similiter min: nego consequ: non est autem contra naturam gratiæ, quod hoc modo reddatur intuitu meriti de congruo.

ASSERTIO II. Divisio gratiæ in gratis datam & gratum facientem, bona est & adæquata. *Prob:* Tum quia habet requisita ad bonam divisionem; tum etiam, quia nulla est gratia, quæ defacto creaturæ rationali confertur, quæ non conducit formaliter, aut dispositivè ad propriam illius, cui datur, utilitatē, & salutē; vel ad salutem & utilitatem aliorum; si ad propriam, erit gratia gratum faciens, si ad alienam, erit gratia gratis data. de cujus divisione agit Apost: 1. Corinth: 1. *Divisio gratiæ in gratis datam, & gratum facientem bona est.*

Obijc: Nulla eſt gratia quæ non ordinatur ad utilitatem habentis. ergo mala eſt diviſio gratiæ, in gratis datam, & gratum facientē. Prob: antec: Prophetia v. g. quæ ſecundùm nos eſt gratia gratis data, cedit potiùs ad bonum prophetantis, quàm auditorum: ergo. ℞. diſt: antec: nulla eſt gratia, quæ ex primario ſuo fine non ordinatur ad utilitatem accipientis, nego antec: quæ non ordinatur per accidens, & ſecundariò concedo antec: & nego conſequentiam. Itaq; ad rationem gratiæ gratis datæ, ſatis eſt, quod tantùm ſecundariò conducat ad utilitatem accipientis, qualiter prophetia, & omnis alia gratis data, conducere poteſt.

Omnis gratia eſt ex meritis Chriſti collata.

ASSERTIO III. Nulla gratia unquā conceſſa eſt creaturæ rationali, quæ non ſit ex meritis Chriſti, adeóq; mala eſt diviſio gratiæ, in gratiam Dei, & gratiam Chriſti.

Probatur 1. pars, ex dicendis de incarnatione, ubi probabo Chriſtum eſſe primum prædeſtinatorum, intuitu cujus meritorum, dona omnia, tam naturalia, quàm ſupernaturalia, creaturæ rationali conceſſa ſunt, tum etiā, quia hoc cedit in majorem gloriā Chriſti Domini, ergo cùm nec rationi, nec authoritati manifeſtæ adverſetur, ita eſt aſſerendum.

Obijc: Chriſtus non pro juſtis, ut homines naſcerentur, ſed pro impijs (ut loquitur Auguſt: epiſt: 205.) mortuus eſt, ut juſtificarentur; ergò ſaltem dona naturalia creationis, conſervationis, & bonæ valetudinis, non ſunt ex gratia Chriſti. ℞. diſt: antec: non pro juſtis, &c. primariò & principaliter, tranſeat antec: ſecundariò nego antec: & conſequentiam.

tiam. Augustinus enim tantùm vult, quòd ex primario fine, Christus non venit ut homines nascerentur, sed potiùs ut peccatores salventur.

ASSERTIO IV. Adæquata est & bona divisio gratiæ in naturalem, & supernaturalem; quamvis non sit in membra ex natura sua physicè & realiter distincta.

Divisio gratiæ in naturalem & supernaturalem qualis sit.

Prob: 1. pars. Nulla est gratia, quæ non est donum præcisè conducens ad naturalem perfectionem ipsius naturæ, ut conducunt creatio, conservatio, existentia ipsius naturæ, liberum arbitrium, sensus integri, concursus generalis Dei; vel donum collatum naturæ in ordine ad beatitudinem supernaturalem consequendam; ergo nulla est gratia, quæ non est vel naturalis, vel supernaturalis.

Probatur 2. pars. Idem donum quod in pura natura esset naturalis gratia, in natura elevata ad finem supernaturalem potest esse supernaturalis, v. g. cogitatio prava alicujus actus peccaminosi, quæ in pura natura esset naturalis gratiæ donum, in natura elevata, esset supernaturalis, quatenùs eâ mediante vitaretur peccatum: & sic de multis alijs discurre.

Divisio gratiæ in excitantem, adjuvantẽ, & subsequentẽ.

ASSERTIO V. Divisio gratiæ supernaturalis in excitantem, adjuvantem, & subsequentem, adæquata est, sed non in membra semper ex natura sua physicè necessariò distincta. Est communis, & ut probetur adverte, quòd gratia Excitans dicatur illa, quâ Deus hominem quasi dormientem, id est, de bono opere aut inchoando, aut prosequendo, nil cogitantem suscitat, & movet ad bene

Excitans.

operandum: quales sunt inspirationes, & cogitationes aliquæ de bono honesto à Deo nobis immissæ, modo quo infra dicetur. Gratia adjuvans est illa, cum qua homo elicit quemcunq; actum bonum, maximè liberum, sive ista sit ipsa gratia excitans, sive alia, de qua posteà. Gratia subsequens est illa, quâ mediante aliquis perseverat bene agere. His notatis

Adjuvans.

Subsequẽs.

Prob: Conclus: quoad primam partem, nulla potest assignari gratia supernaturalis auxilians, quæ non est aliqua harum; ergo divisio est bona.

Probatur 2. pars. Eadem entitas physica bonæ inspirationis, aut cogitationis, potest hominem excitare ad bene volendum, adjuvare ut velit bene, etiam cum aliquali perseverantia: ergo eadem entitas bonæ inspirationis, esset excitans, adjuvans, & subsequens gratia, nam excitaret voluntatem ad bene agendum, adjuvaret ad bene operandum; & subsequeretur ad perseverandum in bono opere. ergo.

Obijc: Si conclusio esset vera quoad secundam partem, sequeretur, quòd aliquis non possit habere gratiam excitantem, sine eo, quòd haberet adjuvantem, & subsequentem; sed hoc est hæreticum: ergo. ℞. dist: sequelam, entitativè concedo; formaliter, seu sub istis denominationibus, nego sequelam, & distinctâ simil: min: nego consequentiam.

Auxilium special: gratiæ est aliquando in actu intell:

ASSERTIO VI. Auxilium gratiæ specialis, tam excitantis, quàm adjuvantis requisitum ad opus pietatis, etiam liberum, aliquando consistit in actu intellectûs.

Prob:

Prob: Authoritate Conc: Arauſ: c. 2. docentis opus meritorium fieri non poſſe ſine Dei illuminatione, & inſpiratione. Milevit: cap: 4. aſſerentis, per gratiam revelari nobis intelligentiam mandatorum, & dari ſcire, quid agere debeamus. Et Trident: ſeſſ: 6. c.5. definientis in juſtificatione tangi à Deo cor hominis per Spiritûs S. illuminationem, &c. ſed illuminatio, inſpiratio, revelatio, intelligentia, ſcientia, &c. ſunt actus intellectûs. ergo auxilium gratiæ ſpecialis, tam excitans, quàm adjuvans, in tali actu aliquando conſiſtere poteſt.

Confirm: tum auth. D. Auguſt: l. 2. de bono perſeve: ubi habet; non itaq; in hominũ, ſed in Dei poteſtate eſt, ut homines habeant poteſtatem filij Dei fieri; ab ipſo quippe accipiunt eam, qui dat cordi humano cogitationes pias, ergo ſecundùm Auguſt: accipimus poteſtatem filios Dei fieri, per pias cogitationes; ſed illud per quod accipimus illam poteſtatem eſt gratia, ergo piæ cogitationes ſunt gratia. *Tum etiam ratione;* Illud quod excitat, & per ſe juvat ad opera ſalutis, éſtq; aliàs indebitũ, ſaltem hic & nunc, poteſt ſubire rationem auxilij ſpecialis gratiæ, tam excitantis, quàm adjuvantis, reſpectu actûs pietatis, etiam liberi; ſed cogitatio ſancta, & pia, dirigens ad hujuſmodi actum eſt talis; ergo.

Obijc: Auxiliũ Gratiæ juxta PP. & Concilia fit in nobis, ſine nobis, ſed cogitatio congrua non fit in nobis ſine nobis, ergo non poteſt habere rationem gratiæ. ℟. diſt: maj: Auxilium Gratiæ debet fieri in nobis, ſine nobis

concurrentibus meritoriè ; seu sine eo, quòd nos mereamur illud auxilium, concedo maj: fit in nobis, sine omni concursu nostro efficiente physico, nego maj: & distin: simil: min: nego consequ:

Obijc: 2. Si auxilium specialis gratiæ consistere posset in prima cogitatione congrua, sequeretur, quòd aliquis actus conducens ad vitam æternam, elici possit sine auxilio specialis gratiæ, vel quòd daretur processus in infinitum, in cogitationibus hujusmodi congruis, sed utrumq; est absurdum; ergo. Prob: sequela: illa ipsa prima cogitatio congrua, in qua consistit primum auxilium specialis gratiæ, est actus, sine dubio, conducens ad vitam æternam; sed ad illum non requiritur alia gratia, id est, alia cogitatio congrua; vel si requiritur, tunc erit processus in infinitum; nam ad illam aliam etiam requiretur alia: ergo. ℞. negando sequelam,& dist: min: probationis illius, ad illam non requiritur alia gratia, quæ sit alia cogitatio congrua, concedo min: quæ sit alia aliqua qualitas infusa à Deo; vel excitatio specierum requisitarum ad talem cogitationem, hic & nunc indebita; vel deniq; concursus aliquis specialis Dei, quo mediante, supplet defectum auxilij specialis gratiæ requisiti ad illam cogitationem congruam, sicut supplet defectum habitûs Charitatis in peccatore conterente se extra Sacramentum, nego min: & consequentiam: per quodcunq; enim horum, tanquam per auxilium speciale potest elici pia illa cogitatio, & consequenter quidquid horum dicetur, satisfiet objectioni.

A S-

ASSERTIO VII. Auxilium gratiæ specialis requisitum ad actus conducentes ad vitam æternam, præter actum intellectûs aliquando etiam includit actum voluntatis, non solùm simplicem, & indeliberatum, sed etiam absolutum, & deliberatum. *Prob:* 1. tum ex Apost: 2. Corinth: 9. *Glorificantes Deũ in obedientia confessionis vestræ*, ubi Paulus teste Chrysost: opera fidelium appellat gratiã; tum etiam ex Arausi: 2. cap: 4. *Deus*, inquit, *nullis præcedentibus meritis fidem, & amorem sui inspirat.* Et Trid: sess: 6. cap: 5. ubi dicit, hominum merita esse Dei dona, sed hominũ merita sunt actus voluntatis; ergo. Tum deniq; ex PP. & maximè August: de lib: arb: c.6. *Ut velimus*, inquit (id est volitione simplicis complacentiæ) *sine nobis operatur*, *cùm autem volumus*, *& sic volumus ut faciamus* (volitione scilicet absolutâ) *nobiscum cooperatur.*

Auxilium speciale aliquando etiam includit actum voluntatis.

Probatur 2. ratione. Affectus supernaturales voluntatis, tam simplices, quàm absoluti, sunt bona indebita naturæ, & moventes tam ipsam voluntatem, quàm etiam intellectum ad actus conducentes ad vitam æternam, juxta illud Gregor: *Vis amoris ingeminat opus inquisitionis*, ergo etiam actus voluntatis habent aliquando rationem anxilij specialis gratiæ.

Dixi aliquando, quia non existimo quod simpliciter, & semper actus voluntatis, sive simplex sit, sive absolutus, sit necessarius, ad actum etiam liberum, conducentem ad vitam æternam, nam non video, cur non sufficeret solus actus intellectûs, ad subsequentem actũ voluntatis bonum dirigendum.

 Obijc:

Obijc: Poteſt ſalvari gratia ſpecjalis requiſita ad omnes actus conducentes ad vitam æternam, per ſolum concurſum Dei extraordinarium, & extrinſecum, ergo ſine cauſa requiruntur hujusmodi volitiones, & cogitationes ſupernaturales indebitæ, quas difficulter explicamus. ℞. 1. retorquendo argumentum per hujusmodi cogitationes, & volitiones, poteſt ſalvari auxilium illud ſpeciale, ergo non eſt recurrendum ad extrinſecum, & extraordinarium Dei concurſum. ℞. 2. negãdo antec: loquendo de gratia, de qua Concilia & PP. contra Pelagium agunt, nam hæc ex mente ipſorum, debet eſſe interna gratia ſe tenens ex parte voluntatis, ſaltem in ordine ad actus meritorios.

Qui actus dici poſſint auxilia ſpecialis gratiæ.

Hinc collige actus indeliberatos voluntatis, pietatis, v. g. timoris, lætitiæ, deſiderij, ſimplicis complacentiæ, eſſe auxilia gratiæ reſpectu aliorum actuum bonorum deliberatorum, & abſolutorum ſubſequentium. Item unum actum deliberatum & abſolutum, poſſe eſſe gratiam ſpecialem reſpectu alterius ſimilis actûs. Deniq; generaliter omnem actum, & ſolùm, tam intellectûs, quàm voluntatis ſupernaturalem, & indebitum, qui voluntatem & intellectum inducit ad aliquid ſalutare operandum, eſſe auxilium ſpecialis gratiæ.

Status puræ naturæ poſſibilitas

ASSERTIO VIII. Status puræ naturæ, in quo nimirum crearetur natura rationalis ſine juſtitia originali, & gratia adjuvante, & ſine elevatione ad beatitudinem ſupernaturalem, eſt poſſibilis.

Prob. Tum ex Bullis Pij V. Greg: XIII. & Urba-

Vrbani VIII. In quibus damnantur Michaël Bajus, ejúsq; ex asse hæres in errore Jansenius, docentes oppositum Conclusionis; ergo ipsa est vera. Prob: antec: in Bulla Pij V. sequentes propositiones Baij damnatæ sunt: *Humanæ naturæ sublimatio, & exaltatio in consortium divinæ naturæ, debita fuit integritati primæ conditionis, ac proinde naturalis dicenda non supernaturalis.* Item. *Falsa est sententia Doctorum docentium, primum hominem à DEO potuisse creari, & institui, sine justitia originali.* Item deniq; : *Integritas primæ conditionis non fuit indebita naturæ, sed naturalis ejus conditio*: sed istæ tres propositiones sunt, directæ oppositæ conclusioni, & damnatæ erroris; ergo oppositum conclusionis est damnatum.

Confirm: Quidquid datur supra puram naturam, est gratia, adeóq; potest non dari; sed elevari ad statum supernaturalem, ornari justitia originali, fieri immortalem, juxta PP. Concilia, & Scripturam, fuerunt data Adamo supra puram naturam; ergo potuerunt non dari, & consequenter possibilis est status puræ naturæ, in quo homo constitueretur cum omnibus, & solis, quæ illi debentur titulo creationis.

Obyc: Si possibilis esset ille status, homo in illo constitutus teneretur, & non teneretur servare legem naturæ; sed hoc est impossibile; ergo. Prob: sequela quoad secundā partem. Ex vi illius statûs homo careret omni gratia tam supernaturali, quàm naturali, sine quibus, nec naturalia præcepta servari, nec naturalis Dei amor super omnia elici possunt,

ſunt: ergo. R℞. negando ſequelam, & diſt: probationis antec: pro 1. parte, ſine quibus homo non poſſet phyſicè ſervare omnia mandata naturalia, nego antec: moraliter transeat antec: & nego conſequentiam. Deinde falſum eſt, quòd ſtatus ille puræ naturæ præſcinderet ab auxilijs naturalibus ſufficientibus, etiam moraliter ad impletionem præceptorum naturalium, & ut hoc, & ſequentia meliùs intelligantur.

Alij diverſi ſtatus naturæ rationalis.

Adverte, præter ſtatum puræ naturæ, Theologos alios ſtatus, ſeu modos ſe habendi circa ſuum finem ultimum, naturæ aſſignare: Primus eſt ſtatus naturæ integræ, & eſt ille, qui, & Innocentiæ dicitur, in quo Adam in juſtitia originali conditus erat; eíq; competerent illa omnia, quæ diximus columnâ octavâ, de opere ſex dierum, &c. Secundus ſtatus, eſt naturæ lapſæ, quem in nobis Adæ poſteris natura defacto habet, qui ſtatus denominatur à peccato mortali Adami, vi cujus omnes ejus poſteri privati ſunt juſtitiâ originali, & omnibus illis habitibus, tam ſupernaturalibus, quàm moralibus, qui illum concomitabantur. Circa hunc ſtatum 1. certum eſt manſiſſe in illo ſtatu liberum arbitrium ad bene vel malè agendum, licet attenuatum propter rebellionem partis ſenſitivæ. 2. Certum eſt, quòd libertas illa, quoad intrinſecam ſuam rationem, æq; ſit perfecta, ac fuit ante lapſum, & hoc eſt, quod de hoc ſtatu pro nunc dicere viſum eſt.

Libertas humana quomodo dicatur attenuata.

Pro ulteriori intelligentia hujus tractatûs ante alia obiter notandi ſunt errores Pelagianorum, Semi-Pelagianorum, Calviniſtarũ, & Lu-

& Lutheranorum, in hac materia. Itaque Pelagius teste August: primò erravit, dum docuisset, Adam non contraxisse per suum peccatum pœnam mortis, sed fuisse moriturum, etiam secluso peccato. 2. Adamum peccando sibi soli, & non posteris nocuisse. 3. Infantes nasci innocentes. 4. Etiam non baptizatos habere jus ad regnum cœlorum. 5. Non omnes esse in Adamo mortuos, neq; omnes in Christo resurrecturos. 6. Divites baptizatos non posse salvari, nisi priùs omnibus rebus renunciarent. Et hi errores concernentes peccatum Adami, indirectè tantùm ad hanc spectant materiam. Porrò circa ipsam gratiam docebant. 1. Eam non esse ad salutem necessariam, sed sufficere liberum arbitrium cum donis titulo creationis debitis. 2. Gratiam dari ex meritis puræ naturæ. 3. Non mansurum liberum arbitrium, si egeret auxilio gratiæ Dei. 4. Victoriam contra tentationes, esse ex solo libero arbitrio. 5. Pœnitentibus non dari veniam. 6. Eos, qui peccant, non posse dici filios Dei. Ex quibus propositionibus apparet, errorem Pelagij circa gratiam ad duo capita reduci posse. Primum est, quòd docuerit ad obtinendam salutem solam naturam hominis sufficere, nec egere ullâ gratiâ speciali, à dono creationis, id est, bonâ indole, ingenio, & usu liberi arbitrij distinctâ. Secundum quod tametsi Pelagius, condemnationem Concilij Palæstini veritus, gratiam aliquam à dono creationis distinctam admiserit, eam tamen non distinxit à doctrina, & exemplis Christi, auditio-

Errores Pelagianorũ circa hoc punctum.

Reductio omniũ errorum Pelagian: ad 2. capita.

ditione Evangelij, revelatione & promissione Dei, ac visione miraculorum.

Errores Semi-Pelagianorũ

Semi-Pelagianorum errores, hoc est, illorum, qui doctrinam Pelagij in multis damnarunt, & in nonnullis acceptârunt, sunt sequentes. 1. Quamvis necessitatem gratiæ Christi ad iustificationem, & ad resurgendum à peccato originali contra Pelagium admittebant, nihilominus tamen, illam ipsam gratiam nos mereri per opera naturalia ex solo libero arbitrio sine gratia elicita dicebant: adeóq; initium salutis & discrepationem prædestinati à reprobo, non esse à Deo, sed à nobis, ex solis naturæ viribus docebant. 2. Docebant opera ex solis naturæ viribus facta, infallibilem habere connexionem cum iustificatione, & perseverantia finali.

Errores Michaëlis Baij.

Michaëlis Baij, viri alioquin pij, & docti, sed nimiùm ingenio suo fidentis, septuaginta novem propositiones, partim publicè editas, partim in schola privatim dictatas, tanquam erroneas, temerarias & scandalosas damnávit Pius V. 1562. & post illum Gregor: XIII. Vrbanus VIII. & Innocentius X. Inter illos errores circa gratiam sunt sequentes. 1. In angelo & homine adhuc integro nihil fuisse supernaturale, indebitum, & à dono creationis distinctum. 2. Nil debere vocari gratiam, nisi quod confertur indignis. 3. Liberum arbitrium sibi relictum non posse ullum bonum opus etiam naturale elicere. 4. Perseverantiam iustorum in gratia non provenire ex speciali auxilio Dei, sed ex naturali ordinatione creationis à Deo facta. 5. Nullum

lum opus bonum posse fieri in statu peccati. 6. Quod voluntariè fit, liberè fieri, etiamsi fiat necessariò; adeóq; ad libertatem sufficere voluntarium, solámq; violentiam, & coactionem ab extrinseco, cum naturali hominis libertate pugnare. 7. Hominem peccare damnabiliter, in ijs, quæ necessariò facit.

Errores Jansenij & Jansenistarum.

Cornelius Jansenius, Baij verus discipulus, à quo Jansenistæ dicuntur, propositiones sequentes ab Innocentio X. anno 1653. & 54. tanquam hæreticas, & temerarias, damnatas, docuit. 1. Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus, & conantibus, secundùm præsentes quas habent vires, esse impossibilia, deesse quoq; gratiam, quâ possibilia fiant. 2. Interiori gratiæ, in statû naturæ lapsæ nunquam satis resistitur. 3. Ad merendum vel demerendum in statu naturæ lapsæ, non requiritur in homine libertas, à necessitate, sed sufficit libertas à coactione. 4. Semi Pelagiani admittebãt prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei, & in hoc erant hæretici, quòd vellent eam gratiam esse talem, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare. 5. Semi-Pelagianorum est dicere, pro omnibus omnino hominibus, Christum mortuum esse, aut sanguinem fudisse.

Errores VViclephi & Hussi.

VViclephus, & Hus damnati n Concilio Constantiensi, ac supplicio debito affecti, docuerunt Deum ratione gratiæ quâ omnes indigent, & præscientiæ, quam habet de rebus futu-

futuris, necessitare homines ad omnia opera tam bona, quàm mala.

Errores Lutheri. Lutherus in hac etiam materia crasse erravit. 1. Docendo, nullum dari liberum arbitrium, nostrámq; voluntatem merè passivè se habere, ut instrumentum inanime. 2. Nullum dari futurum contingens, sed omnia esse in se determinata. 3. Mandata DEI etiã supposità gratiâ esse homini impossibilia. 4. Deum esse authorem peccati. 5. Voluntatem cum gratia Dei operari spontaneè; sed non liberè. 6. Gratiam DEI ita esse efficacem, ut voluntas ei resistere non possit.


Errores Calvini. Luthero in omnibus consentit Calvinus, præterquam in duobus. Itaq; 1. docet voluntatem operari quidem, etiam cum gratia Dei, non tamen spontaneè, sed necessariò, & coactè. 2. Nihil malorum fieri, nisi ex arcano instinctu, impulsu, & prædeterminatione divinæ voluntatis. Horum errores damnavit Conc: Trident: sess: 6. de justificatione.

Catholicorum doctrina. Hinc facilè est colligere Catholicorum circa gratiam doctrinam, docent igitur: 1. Liberum arbitrium nihil posse proficuum ad salutem, sine gratia. 2. Dari gratiam supernaturalem in substantia, & quoad modum, tam efficacem, quàm non efficacem, seu sufficientem; illámque nunquam falli, hanc verò sæpè. 3. Dari gratiam internam excitantem, & adjuvantem. 4. Initium boni operis, & nostræ salutis, esse ex gratia excitante. 5. Gratiam excitantem primam dari

dari sine ullo merito. 6. Gratiam efficacem esse speciale beneficium. 7. Eam non lædere libertatem.

EPISTYLIUM PROBLEMATICUM COLUMNÆ XXI.

An status naturæ integræ, per unam diem naturalem duravit?



COLVMNA XXII.

De necessitate & efficacia auxilij specialis Gratiæ.

ASSERTIO I. Potest homo in quocunq; statu naturæ, absq; auxilio specialis gratiæ, cognoscere non solùm multas veritates speculativas, sed etiam multas cognitiones naturales practicas, seu morales.

Quæ possit homo cognoscere sine speciali auxilio.

Probatur 1. pars. Quælibet causa naturalis cum solo concursu generali Dei, potest operari effectum sibi proportionatum; sed intellectus est causa naturalis; & cognitio multarum veritatum speculativarum, est effectus illi omnino proportionatus; ergo sine omni auxilio specialis gratiæ, potest talem effectũ causare.

Confirmatur. Tum quia oculus potest videre, sine speciali gratia; ergo & intellectus intelligere: tum etiam, quia Dæmo-

nes in inferno cognoſcunt de novo multas veritates, quas anteà ignorârunt; & tamen non datur illis auxilium ſpecialis gratiæ. ergo.

Probatur 2. pars. Tum ex Scriptura, Rom: 1. *Inviſibilia Dei à creatura mundi per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, &c.* ergo. tum ex Aug: ad Simplicium q. 2. docente ante gratiam, convenire naturæ honeſtas utilésq; doctrinas; tum deniq; ratione, de fide eſt per peccatum non omiſiſſe hominem poteſtatem liberam, ad bonum morale, quam habuiſſet in ſtatu puræ naturæ; ſed ſine ſufficienti cognitione boni moralis, talis libertas non ſalvaretur. ergo. Deinde homo poteſt peccare ſine gratia ſpeciali; ſed poſſe peccare, dicit eſſentialiter cognitionem boni & mali. ergo.

Obijc: contra 1. partem. Concil: Milevit: *docet utrumq; donum Dei eſſe, & ſcientiam quæ illuminat, & charitatem quæ ædificat:* ergo ſine ſpeciali gratia, nullam etiam veritatem ſpeculativam cognoſcere poſſumus. ℞. negando conſequ: nam Concil: non agit de Scientia ſpeculativa, ſed de practica ſupernaturali; ut colligitur ex his verbis ibi ſequentibus: *Donum Dei eſt,* inquit, *& ſcire quid agere debeamus, & diligere ut faciamus.* Ubi loquitur expreſsè de ſcientia practica, quod non eſt contra nos.

Obijc: contra 2. partem. Apoſt: 1. Corint: 13. ubi aſſerit, nos *non eſſe ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, quaſi ex nobis, &c.* ergo nullam cogitationem naturalem practicam, ſine auxilio particulari elicere poſſumus. ℞. negan-

gando consequentiam, nam in illo & similibus Conciliorum & PP. locis, non est sermo de cognitione morali naturali; sed de cognitione supernaturali conducente ad opera pietatis, vitámq; æternam, ut posteà videbimus.

ASSERTIO II. Non potest quis quãlibet veritatem naturalem, sive practicam, sive speculativam, & multò minùs divinam evidenter & certò cognoscere, sine auxilio specialis gratiæ. *Prob*: Multæ sunt ex his adeò abstrusæ, atq; difficiles, ut vix ab ullo percipi possint; & multò minùs evidenter & certò cognosci, ut patet de compositione continui, de possibilitate infiniti, ac quadratura circuli, Trinitate & Vnitate Dei: ergo.

Non potest cognosci qualibet Veritas naturalis sine speciali auxilio.

Dixi in Conclusione, *certò & evidenter*, quia non video cur negari possit, quòd veritates illæ aliquo modo in intellectũ caderent, sine auxilio specialis gratiæ. Ex hoc infertur, quòd sine auxilio speciali, nequit quis simul omnes veritates, etiam speculativas, cognoscere.

ASSERTIO III. Nulla cognitio practica, speculativa, aut divina, proximè conducens ad vitam æternam defactò elici potest, sine auxilio specialis gratiæ. Est de fide.

Nulla cognitio practica meritoria elici potest sine speciali auxilio.

Prob: Tum ex Apost: jam citato, 2. Cor: 3. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis.* tum ex Arausi: can: 7. his verbis: *Si quis per naturæ vigorem, bonum aliquod, quod ad salutem attinet, vitæ æternæ, cogitari, ut expedit, aut intelligere posse affirmat, absq; illuminatione, & inspiratione Spiritûs sancti, hæretico fallitur spiritu.* Idem docet Milevit: can: 2.

Tum deniq;, quia praxis Ecclesiæ est, Deum orare non solùm, ut ad agenda quæ viderint convalescant fideles; sed etiam, quæ agenda sint ut videant, seu intelligant; sed illa oratio vana esset, & irrisoria, si bene cogitare non ex Dei munere, sed ex nobis ipsis haberemus, seu ex proprijs viribus. ergo.

Attamen potest elici opus bonū morale sine tali auxilio.

ASSERTIO II. potest homo in natura lapsa, elicere aliquod bonum opus morale, seu honestum, sine auxilio specialis gratiæ. *Prob:* tum ex Apost: ad Rom: 2. *Gentes quæ legem non habent.* tum ex Bulla Pij 5. edita contra Bajum, in qua damnatur hæc Baij propositio: *Cum Pelagio sentiunt, qui boni aliquid naturalis*, id est, quod solius naturæ viribus ortum ducat, *agnoscunt;* tum etiam ex August: de Spiritu, & litera, *sicut*, inquit, *non impediunt à via æterna justum peccata venialia, sine quibus hæc vita non ducitur; sic ad salutem æternam non prosunt impio, id est infideli, aliqua opera bona, sine quibus difficillimè vita cujusvis hominis invenitur. ergo.*

Prob: Conclus: 2. ratione. Faciliùs est in aliquibus circumstantijs bene agere, quàm peccare; sed ad peccandum gratia specialis non requiritur: ergo nec ad bene moraliter agendum, in aliquibus circumstantijs. Deinde opera honesta, subinde sunt homini nimis facilia, ejúsq; inclinationi consentanea, ergo in aliquibus circumstantijs, sine auxilio specialis gratiæ, potest homo opus bonum, & honestum elicere.

Quæ fieri possint sine speciali gra[illegible]

Hinc infertur, hominem posse sine auxilio specialis gratiæ ad breve tempus, Deum amare super omnia, totam legem naturalem ser-

servare, levémq; tentationem superare; non verò gravem: & ratio primæ partis est, quia talem amorem elicere non est adeo difficile, & homo ad eliciendum illum actum, habet omnia necessaria: ergo. Ratio 2. partis est, quia sine auxilio specialis gratiæ actum moraliter bonum elicere potest homo, ut supra dixi, sed tunc ipsum, eliciendo aliquando servaret legem naturalem: ergo.

tia ab homine, & quæ non.

Probatur 3. pars. Opus bonum naturale potest fieri sine speciali gratia, sed nullum opus tale elicitur, sine eo, quòd superetur levis aliqua tentatio: ergo sine auxilio specialis gratiæ levis tentatio superari potest.

Ratio ultimæ partis desumpta est ex Script: Sap: 8. *Nemo potest esse continens, nisi Deus dederit*; & etiam ex inclinatione appetitûs ad bonum delectabile, & sensibile: ergo.

ASSERTIO V. Deus dat omni prorsus homini gratiam sufficientem ad vitam æternam consequendam. Hæc est communis inter Catholicos, in sensu quo columna 5. de voluntate Dei verba illa Apost: 1. ad Tim: 4. *Deus vult omnes homines salvos fieri*, anteà explicui.

Gratia sufficiens cuilibet datur.

Prob: Tum quia aliàs non esset verũ, quòd Deus singulorum salutem sincerè desideraret; quòd neminem ad mortem æternam creet, quòd Christus sit omnium Redemptor; sed hæc simpliciter vera sunt; ergo. maj: est certa. Prob: min: ex sequentibus Scripturæ authoritatibus Sap: 11. *Misereris omnium, quia omnia potes.* & infra: *Diligis omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum, quæ fecisti.* Ezechiel: 18. *Nunquid voluntatis meæ est mors impij, dicit*

Dominus, &c. Matth: 18. *Non est voluntas Patris vestri, ut pereat unus ex pusillis istis.* Roman: 8. *Proprio Filio non pepercit DEUS, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* ergo.

Datur multis gratia proximè sufficiens ad merendum.

ASSERTIO VI. Datur multis pro hoc statu naturæ lapsæ, gratia proximè & completè sufficiens, ad faciendum opus salutare. *Prob:* quia si hoc non esset verum, frustra & planè immeritò, Deus peccatoribus in via potiùs, quàm in termino, seu damnatione constitutis, improperaret, quòd suæ gratiæ resistant, quòd vocanti non respondeant, quòd salutis media offerentem spernant; sed improperat Prov: 9. *Vocavi & renuistis*, &c. Esaiæ 5. *Judicate inter me, & vineam meam.* Jerem: 3. *Nunquid vidisti, quid fecit adversatrix Israël.* Ezech: 20. *Irritaverunt me, noluerúntq; audire*, &c. ergo.

Probatur 2. manifestè ex illis verbis Christi Matth: 11. *Væ tibi Corosaim*, &c. ex quo loco habetur, eandem gratiam excitantem, quæ Tyros flexisset ad pœnitentiam, si eis data esset, in Bethzaitis fuisse eo affectu frustratam. ergo.

Confirm: ex Trident: sess: 6. cap: 11. *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis, & adjuvat ut possis.* ergo.

Obijc: Si daretur gratia proximè sufficiens præsertim ad conversionem, eâ solâ positâ, possit homo venire ad Christum, aliàs non esset proximè sufficiens; sed non potest juxta illud Christi Joann: 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum.* ergo. Prob: min: Per solam gratiam sufficientem nemo

tra-

trahitur à Patre, alias defactò venisset ad Patrem, juxta illud Joann: 6. *Omnis qui audivit & didicit à Patre, venit ad me*; ergo. ℟. concedendo maj: & dist: min: non potest ob impossibilitatem ullam antecedentem, physicā, vel moralem nego min: ob impossibilitatem consequentem, ortam ex infallibilitate futuræ suæ resistentiæ, concedo min: & nego consequentiam. Itaq; prioris loci scripturæ sensus est, fieri non posse, ut quispiam ad Christum veniat, nisi quem ad sic veniendum gratia divina movet, & determinat, non quidē physicè, sed moraliter. Et sensus posterioris loci est, quod omnis qui *audivit à Patre*, hoc est, qui adeptus est gratiam internæ inspirationis, *& didicit*, id est, qui scivit se illâ trahi & moveri, venit ad Christum.

ASSERTIO VII. Quamvis piè existimandum est, quòd Deus singulis ratione præditis det aliquando auxiliū sufficiens, saltem mediatè, ad salutē; multis tamen mortaliter lapsis, non est data deinceps gratia sufficiens ad resurgendum. *Multis graviter lapsis non datur gratia resurgendi.*

Probatur 1. pars. Quamvis non plus teneatur Deus ratione præditis providere, quàm parvulis, quorum magnam partem justissimè, sine salutis remedio ipsis applicato interire permittit; tamen sicut multa alia beneficia ipsis suppeditat, quæ non dat parvulis, ita etiam credibile est, quòd sic suaviter res disponat, ut nullus planè adultorum sit, cui non aliquando immittat aliquas cogitationes, & affectione invitantes ad bonū aliquod virtutis, saltem moralis, quibus si pareret, adderet Deus ulteriora auxilia, per quæ ad

veram pœnitentiam & gratiam perveheretur.

Dixi *aliquando*, quia certum eſt hujuſmodi gratiam non ſemper aut quolibet momento dari.

Probatur 2. pars. Exemplo multorum, qui immediatè poſt peccatum, v. g. ebrietatem, fornicationem, &c. vel in ipſo peccato, ſubitanea & improviſa morte interierunt, quibus gratis dicerentur immiſſæ intereà ullæ bonæ inſpirationes; ergo.

Datur omnibus gratia ſufficiens, ſed non proximè.

ASSERTIO VIII. Quamvis Deus omnibus juſtis dat gratiam ſufficientem ad non peccandum mortaliter; tamen probabilius videtur, quod non omnibus hic, & nunc, detur gratia ſufficiens proximè, vel remotè, ad vitandum mortale peccatum.

Prob: 1. pars. Quia aliàs Deus priùs deſereret juſtum, quàm ab eo deſereretur, quod nemo Catholicorum dicet: ergo.

Probatur 2. pars, exemplo excæcatorum, & induratorum, qui multa committunt peccata mortàlia; & tamen ad illa vitanda non habent gratiam ſufficientem, ut colligitur ex Script: Exod: 3. & Joann: 15. ergo. *Confirm:* fundamentum unicum oppoſitæ ſententiæ, nempe ſine gratia ſufficienti non haberi libertatem ſufficientem ad peccandum, fallit, in damnatis, & etiam injuſtis, qui ad vitanda omnia venialia peccata, in probabili ſententia, ſufficientem non videntur habere gratiam.

ASSERTIO IX. Gratia ad quam ſequitur effectus bonus, eſt independenter à

coi.

cōcursu voluntatis creatæ efficax, in hoc sensu, quod ut intelligatur antecedere determinationem voluntatis, vim habeat promovendi voluntatem, ut se determinet ad opus, sive id faciat necessitando voluntatem, sive non. *In quo sēsu gratia dicatur independenter à concursu voluntatis.*

Prob: secundùm Concilia & Patres. Gratia Dei fit, ut non tantùm possimus bene operari, verùm etiam ut actu bene operemur; sed hoc non esset verum, nisi gratia nos efficaciter moveret, & determinaret ad bene operandum, quoties sic operamur: ergo. Prob: maj: Ezech: 36. *Spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam, ut in præceptis meis ambuletis.* Joan: 6. *Nemo potest venire ad me, &c.* Idem docet Concil: Arausi: & Milevit: his verbis: *Multa bona in homine fiunt, quæ non facit ipse homo.*

Confirm: Quia aliàs non Deus per gratiā, sed homo per arbitrium, se ab alio, similem vocationis gratiam habente discerneret, adeóq; possit in se, & non in Deo gloriari, contra illud 2. Thes: 3. *Quis enim te discernit, &c.*

ASSERTIO X. Ad opera salutaria conducentia ad vitam æternam, nulla requiritur gratia necessariò prædeterminans voluntatem; & per consequens efficacia gratiæ non consistit in hujusmodi prædeterminatione Thomistica. *Ad opera salutaria non requiritur gratia prædeterminās.*

Prob: 1. Omnibus illis rationibus, quibus in Physica probavi incompatibilitatem Thomisticæ prædeterminationis cum libertate creata.

Prob: 2. Quia aliàs non daretur ulla gratia

sufficiens, vel efficax, nam nulla daretur, cum qua posset homo operari, & non operaretur, sed hoc est falsum, ut patet ex dictis. ergo.

Gratia nō est efficax ab effectu secuturo. Nec à conditionata prascietia. Nec à majori benevolentia.

ASERTIO XI. Non ideo gratia est efficax, quia moralem necessitatem operandi semper inducit voluntati; nec talis dicitur ab effectu secuturo, nec à conditionata præscientia, aut futuritione ipsius; aut à majori benevolentia, ex qua datur.

Prob: 1. pars. Quia homo experitur se nullâ necessitate induci, ad bona opera, quæ facit, magis quàm ad indifferentia, aut mala, quæ nullâ prorsus tentatione ex rcet; imò sentit se acriùs urgeri ad oppositum operis boni quod facit, quàm ad ipsum bonum opus; sed hoc non contingeret, si gratia moraliter necessitaret ad opus bonum; ergo.

Confirm: Ut quis cum gratia faciat opus bonum, sufficit, quòd gratia fortiùs moveat voluntatem ad illud faciendum, quàm moveatur ab ullo alio in oppositum; sed potest sic fortiùs movere, absq; eo, quod moraliter necessitet ad consensum; ergo non semper sic necessitat, & consequenter efficacia gratiæ in hoc non consistit.

Probatur 2. pars. Implicat gratiam habere efficaciam formaliter, & ex parte actûs primi, ab ullo, quod præsupponit gratiam efficacem; sed effectus secuturus, & præscientia ejus, ac futuritio conditionata, præsupponunt gratiam efficacem: ergo per nil horum potest constitui; maj: est certa. Prob: min: ideo effectus est secuturus, ideóq; prævidetur, etiam conditionatè futurus, quia gra-

gratia est efficax: ergo ista omnia præsupponunt gratiam efficacem. Prob: consequ: nullus effectus est secuturus dependenter à gratia, nullus prævidetur, etiam conditionatè futurus, nisi effectus, ad quem requiritur gratia efficax tanquã causa, ergo ista omnia præsupponunt gratiam efficacem, & consequenter ab illis gratia non potest dici formaliter efficax.

ASSERTIO XII. Gratia cum qua fit opus salutare, est ex se formaliter efficax, in quantum suppositis circumstantijs, in quibus datur, vim habet determinandi, actúq; determinat voluntatem ad consensum. *Gratia unde sit efficax.*

Prob: Tum ex rejectione aliarum sententiarum, tum etiam, quia non potest ostendi, in quo alio consisteret. tum deniq;, quia videmus eandem medicinam nunc sumptam causare sanitatem, quæ in alijs circumstantijs causaret mortem: ergo similiter gratia potest esse ex se efficax, non quidem absolutè, sed comparata ad circumstantias in quibus confertur: v. g. ad talem recipientem, indolem, ingenium, inclinationem, occasionem, tentationis absentiam, & similia, sive intrinseca, sive extrinseca, quæ nata sunt conducere, ut quis bonæ inspirationis ductũ sequatur; quæ circumstantiæ, licet per se sumptæ, non sint gratiæ, bene tamen ut præludia quædam, & dispositiones, per quas præparat Deus hominis voluntatem, ut internæ inspirationi præbeat consensum, conducere possunt.

Obijc: Ex duobus æqualem gratiam habentibus, & quoad reliqua omnia à nobis requisita,

nes in inferno cognoſcunt de novo multas veritates, quas anteà ignorârunt; & tamen non datur illis auxilium ſpecialis gratiæ. ergo.

Probatur 2. pars. Tum ex Scriptura, Rom: 1. *Inviſibilia Dei à creatura mundi per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, &c.* ergo. tum ex Aug: ad Simplicium q. 2. docente ante gratiam, convenire naturæ honeſtas utilésq; doctrinas; tum deniq; ratione, de fide eſt per peccatum non omiſiſſe hominem poteſtatem liberam, ad bonum morale, quam habuiſſet in ſtatu puræ naturæ; ſed ſine ſufficienti cognitione boni moralis, talis libertas non ſalvaretur. ergo. Deinde homo poteſt peccare ſine gratia ſpeciali; ſed poſſe peccare, dicit eſſentialiter cognitionem boni & mali. ergo.

Obijc: contra 1. partem. Concil: Milevit: *docet utrumq; donum Dei eſſe, & ſcientiam quæ illuminat, & charitatem quæ ædificat:* ergo ſine ſpeciali gratia, nullam etiam veritatem ſpeculativam cognoſcere poſſumus. ℟. negando conſequ: nam Concil: non agit de Scientia ſpeculativa, ſed de practica ſupernaturali; ut colligitur ex his verbis ibi ſequentibus: *Donum Dei eſt,* inquit, *& ſcire quid agere debeamus, & diligere ut faciamus.* Ubi loquitur expreſsè de ſcientia practica, quod non eſt contra nos.

Obijc: contra 2. partem. Apoſt: 1. Corint: 13. ubi aſſerit, nos *non eſſe ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, quaſi ex nobis, &c.* ergo nullam cogitationem naturalem practicam, ſine auxilio particulari elicere poſſumus. ℟. negan-

gando consequentiam, nam in illo & similibus Conciliorum & PP. locis, non est sermo de cognitione morali naturali; sed de cognitione supernaturali conducente ad opera pietatis, vitámq; æternam, ut posteà videbimus.

Non potest cognosci qualibet Veritas naturalis sine speciali auxilio.

ASSERTIO II. Non potest quis quãlibet veritatem naturalem, sive practicam, sive speculativam, & multò minùs divinam, evidenter & certò cognoscere, sine auxilio specialis gratiæ. *Prob*: Multæ sunt ex his adeò abstrusæ, atq; difficiles, ut vix ab ullo percipi possint; & multò minùs evidenter & certò cognosci, ut patet de compositione continui, de possibilitate infiniti, ac quadratura circuli, Trinitate & Vnitate Dei: ergo.

Dixi in Conclusione, *certò & evidenter*, quia non video cur negari possit, quòd veritates illæ aliquo modo in intellectũ caderent, sine auxilio specialis gratiæ. Ex hoc infertur, quòd sine auxilio speciali, nequit quis simul omnes veritates, etiam speculativas, cognoscere.

Nulla cognitio practica meritoria elici potest sine speciali auxilio.

ASSERTIO III. Nulla cognitio practica, speculativa, aut divina, proximè conducens ad vitam æternam defactò elici potest, sine auxilio specialis gratiæ. Est de fide.

Prob: Tum ex Apost: jam citato, 2. Cor: 3. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis.* tum ex Arausi: can: 7. his verbis: *Si quis per naturæ vigorem, bonum aliquod, quod ad salutem attinet, vitæ æternæ, cogitari, ut expedit, aut intelligere posse affirmat, absq; illuminatione, & inspiratione Spiritûs sancti, hæretico fallitur spiritu.* Idem docet Milevit: can: 2.

 tum

Tum deniq; , quia praxis Ecclesiæ est , Deum orare non solùm , ut ad agenda quæ viderint convalescant fideles ; sed etiam, quæ agenda sint ut videant , seu intelligant ; sed illa oratio vana esset , & irrisoria , si bene cogitare non ex Dei munere , sed ex nobis ipsis haberemus , seu ex proprijs viribus. ergo.

Attamen potest elici opus bonũ morale sine tali auxilio.

ASSERTIO II. potest homo in natura lapsa , elicere aliquod bonum opus morale , seu honestum , sine auxilio specialis gratiæ. *Prob:* tum ex Apost: ad Rom: 2. *Gentes quæ legem non habent.* tum ex Bulla Pij 5. edita contra Bajum , in qua damnatur hæc Baij propositio : *Cum Pelagio sentiunt , qui boni aliquid naturalis* , id est , quod solius naturæ viribus ortum ducat , *agnoscunt ;* tum etiam ex August: de Spiritu , & litera , *sicut* , inquit, *non impediunt à vita æterna justum peccata venialia , sine quibus hæc vita non ducitur ; sic ad salutem æternam non prosunt impio, id est infideli , aliqua opera bona , sine quibus difficillimè vita cujusvis hominis invenitur. ergo.*

Prob: Conclus: 2. ratione. Faciliùs est in aliquibus circumstantijs bene agere , quàm peccare ; sed ad peccandum gratia specialis non requiritur : ergo nec ad bene moraliter agendum , in aliquibus circumstantijs. Deinde opera honesta , subinde sunt homini nimis facilia , ejúsq; inclinationi consentanea , ergo in aliquibus circumstantijs , sine auxilio specialis gratiæ , potest homo opus bonum , & honestum elicere.

Quæ fieri possint sine speciali gra

Hinc infertur, hominem posse sine auxilio specialis gratiæ ad breve tempus , Deum amare super omnia , totam legem naturalem ser-

servare, levémq; tentationem superare; non verò gravem: & ratio primæ partis est, quia talem amorem elicere non est adeo difficile, & homo ad eliciendum illum actum, habet omnia necessaria: ergo. Ratio 2. partis est, quia sine auxilio specialis gratiæ actum moraliter bonum elicere potest homo, ut supra dixi, sed tunc ipsum, eliciendo aliquando servaret legem naturalem: ergo.

tia ab homine, & qua non.

Probatur 3. pars. Opus bonum naturale potest fieri sine speciali gratia, sed nullum opus tale elicitur, sine eo, quòd superetur levis aliqua tentatio: ergo sine auxilio specialis gratiæ levis tentatio superari potest.

Ratio ultimæ partis desumpta est ex Script: Sap: 8. *Nemo potest esse continens, nisi Deus dederit;* & etiam ex inclinatione appetitûs ad bonum delectabile, & sensibile: ergo.

ASSERTIO V. Deus dat omni prorsus homini gratiam sufficientem ad vitam æternam consequendam. Hæc est communis inter Catholicos, in sensu quo columna 5. de voluntate Dei verba illa Apost: 1. ad Tim: 4. *Deus vult omnes homines salvos fieri*, anteà explicui.

Gratia sufficiens cuilibet datur.

Prob: Tum quia aliàs non esset verũ, quòd Deus singulorum salutem sincerè desideraret; quòd neminem ad mortem æternam creet, quòd Christus sit omnium Redemptor; sed hæc simpliciter vera sunt; ergo. maj: est certa. Prob: min: ex sequentibus Scripturæ authoritatibus Sap: 11. *Misereris omnium, quia omnia potes.* & infra: *Diligis omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum, quæ fecisti.* Ezechiel: 18. *Nunquid voluntatis meæ est mors impij, dicit*

Dominus, *&c.* Matth: 18. *Non est voluntas Patris vestri, ut pereat unus ex pusillis istis.* Roman: 8. *Proprio Filio non pepercit DEUS, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* ergo.

Datur multis gratia proximè sufficiens ad merendum.

ASSERTIO VI. Datur multis pro hoc statu naturæ lapsæ, gratia proximè & completè sufficiens, ad faciendum opus salutare. *Prob:* quia si hoc non esset verum, frustra & planè immeritò, Deus peccatoribus in via potiùs, quàm in termino, seu damnatione constitutis, improperaret, quòd suæ gratiæ resistant, quòd vocanti non respondeant, quòd salutis media offerentem spernant; sed improperat Prov: 9. *Vocavi & renuistis, &c.* Esaiæ 5. *Judicate inter me, & vineam meam.* Jerem: 3. *Nunquid vidisti, quid fecit adversatrix Israël.* Ezech: 20. *Irritaverunt me, noluerúntq; audire*, &c. ergo.

Probatur 2. manifestè ex illis verbis Christi Matth: 11. *Væ tibi Corosaim*, &c. ex quo loco habetur, eandem gratiam excitantem, quæ Tyros flexisset ad pœnitentiam, si eis data esset, in Bethzaitis fuisse eo affectu frustratam. ergo.

Confirm: ex Trident: sess: 6. cap: 11. *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis, & adjuvat ut possis.* ergo.

Obijc: Si daretur gratia proximè sufficiens præsertim ad conversionem, eâ solâ positâ, posit homo venire ad Christum, aliàs non esset proximè sufficiens; sed non potest juxta illud Christi Joann: 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum.* ergo. Prob: min: Per solam gratiam sufficientem nemo

tra-

trahitur à Patre, alias defactò venisset ad Patrem, juxta illud Joann: 6. *Omnis qui audivit & didicit à Patre, venit ad me*; ergo. ℟. concedendo maj: & dist: min: non potest ob impossibilitatem ullam antecedentem, physicā, vel moralem nego min: ob impossibilitatem consequentem, ortam ex infallibilitate futuræ suæ resistentiæ, concedo min: & nego consequentiam. Itaq; prioris loci scripturæ sensus est, fieri non posse, ut quispiam ad Christum veniat, nisi quem ad sic veniendum gratia divina movet, & determinat, non quidē physicè, sed moraliter. Et sensus posterioris loci est, quod omnis qui *audivit à Patre*, hoc est, qui adeptus est gratiam internæ inspirationis, *& didicit*, id est, qui scivit se illâ trahi & moveri, venit ad Christum.

Multis graviter lapsis non datur gratia resurgendi.

ASSERTIO VII. Quamvis piè existimandum est, quòd Deus singulis ratione prædictis det aliquando auxiliū sufficiens, saltem mediatè, ad salutē; multis tamen mortaliter lapsis, non est data deinceps gratia sufficiens ad resurgendum.

Probatur 1. pars. Quamvis non plus teneatur Deus ratione præditis providere, quàm parvulis, quorum magnam partem justissimè, sine salutis remedio ipsis applicato interire permittit; tamen sicut multa alia beneficia ipsis suppeditat, quæ non dat parvulis, ita etiam credibile est, quòd sic suaviter res disponat, ut nullus planè adultorum sit, cui non aliquando immittat aliquas cogitationes, & affectione invitantes ad bonū aliquod virtutis, saltem moralis, quibus si pareret, adderet Deus ulteriora auxilia, per quæ ad

veram pœnitentiam & gratiam pervehere-tur.

Dixi *aliquando*, quia certum eſt hujusmodi gratiam non ſemper aut quolibet momento dari.

Probatur 2. pars. Exemplo multorum, qui immediatè poſt peccatum, v. g. ebrietatem, fornicationem, &c. vel in ipſo peccato, ſubitanea & improviſa morte interierunt, quibus gratis dicerentur immiſſæ intereà ullæ bonæ inſpirationes; ergo.

Datur omnibus gratia ſufficiens, ſed non proximè.

ASSERTIO VIII. Quamvis Deus omnibus juſtis dat gratiam ſufficientem ad non peccandum mortaliter; tamen probabilius videtur, quod non omnibus hic, & nunc, detur gratia ſufficiens proximè, vel remotè, ad vitandum mortale peccatum.

Prob: 1. pars. Quia aliàs Deus priùs deſereret juſtum, quàm ab eo deſereretur, quod nemo Catholicorum dicet: ergo.

Probatur 2. pars, exemplo excæcatorum, & induratorum, qui multa committunt peccata mortàlia; & tamen ad illa vitanda non habent gratiam ſufficientem, ut colligitur ex Script: Exod: 3. & Joann: 15. ergo. *Confirm:* fundamentum unicum oppoſitæ ſententiæ, nempe ſine gratia ſufficienti non haberi libertatem ſufficientem ad peccandum, fallit in damnatis, & etiam injuſtis, qui ad vitanda omnia venialia peccata, in probabili ſententia, ſufficientem non videntur habere gratiam.

ASSERTIO IX. Gratia ad quam ſequitur effectus bonus, eſt independenter à

cōcursu voluntatis creatæ efficax, in hoc sensu, quod ut intelligatur antecedere determinationem voluntatis, vim habeat promovendi voluntatem, ut se determinet ad opus, sive id faciat necessitando voluntatem, sive non.

In quo sensu gratia dicatur independenter data à concursu voluntatis.

Prob: secundùm Concilia & Patres. Gratia Dei fit, ut non tantùm possimus bene operari, verùm etiam ut actu bene operemur; sed hoc non esset verum, nisi gratia nos efficaciter moveret, & determinaret ad bene operandum, quoties sic operamur: ergo. Prob: maj: Ezech: 76. *Spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam, ut in præceptis meis ambuletis.* Joan: 6. *Nemo potest venire ad me, &c.* Idem docet Concil: Arausi: & Milevit: his verbis: *Multa bona in homine fiunt, quæ non facit ipse homo.*

Confirm: Quia aliàs non Deus per gratiã, sed homo per arbitrium, se ab alio, similem vocationis gratiam habente discerneret, adeóq; possit in se, & non in Deo gloriari, contra illud 2. Thes: 3. *Quis enim te discernit, &c.*

ASSERTIO X. Ad opera salutaria conducentia ad vitam æternam, nulla requiritur gratia necessariò prædeterminans voluntatem; & per consequens efficacia gratiæ non consistit in hujusmodi prædeterminatione Thomistica.

Ad opera salutaria non requiritur gratia prædeterminãs.

Prob: 1. Omnibus illis rationibus, quibus in Physica probavi incompatibilitatem Thomisticæ prædeterminationis cum libertate creata.

Prob: 2. Quia aliàs non daretur ulla gratia

sufficiens, vel efficax, nam nulla daretur, cum qua posset homo operari, & non operaretur, sed hoc est falsum, ut patet ex dictis. ergo.

Gratia nō est efficax ab effectu secuturo. Nec à conditionata præscietia. Nec à majori benevolentia.

ASERTIO XI. Non ideo gratia est efficax, quia moralem necessitatem operandi semper inducit voluntati; nec talis dicitur ab effectu secuturo, nec à conditionata præscientia, aut futuritione ipsius; aut à majori benevolentia, ex qua datur.

Prob: 1. *pars*. Quia homo experitur se nullâ necessitate induci, ad bona opera, quæ facit, magis quàm ad indifferentia, aut mala, quæ nullâ prorsus tentatione ex rcet; imò sentit se acriùs urgeri ad oppositum operis boni quod facit, quàm ad ipsum bonum opus; sed hoc non contingeret, si gratia moraliter necessitaret ad opus bonum; ergò.

Confirm: Ut quis cum gratia faciat opus bonum, sufficit, quòd gratia fortiùs moveat voluntatem ad illud faciendum, quàm moveatur ab ullo alio in oppositum; sed potest sic fortiùs movere, absq; eo, quod moraliter necessitet ad consensum; ergo non semper sic necessitat, & consequenter efficacia gratiæ in hoc non consistit.

Probatur 2. pars. Implicat gratiam habere efficaciam formaliter, & ex parte actûs primi, ab ullo, quod præsupponit gratiam efficacem; sed effectus secuturus, & præscientia ejus, ac futuritio conditionata, præsupponunt gratiam efficacem: ergo per nil horum potest constitui; maj: est certa. Prob: min: ideo effectus est secuturus, ideóq; prævidetur, etiam conditionatè futurus, quia gra-

gratia est efficax: ergo ista omnia præsupponunt gratiam efficacem. Prob: consequ: nullus effectus est secuturus dependenter à gratia, nullus prævidetur, etiam conditionatè futurus, nisi effectus, ad quem requiritur gratia efficax tanquã causa, ergo ista omnia præsupponunt gratiam efficacem, & consequentet ab illis gratia non potest dici formaliter efficax.

ASSERTIO XII. Gratia cum qua fit opus salutare, est ex se formaliter efficax, in quantum suppositis circumstantijs, in quibus datur, vim habet determinandi, actúq; determinat voluntatem ad consensum. *Gratia unde sit efficax.*

Prob: Tum ex rejectione aliarum sententiarum, tum etiam, quia non potest ostendi, in quo alio consisteret. tum deniq;, quia videmus eandem medicinam nunc sumptam causare sanitatem, quæ in alijs circumstantijs causaret mortem: ergo similiter gratia potest esse ex se efficax, non quidem absolutè, sed comparata ad circumstantias in quibus confertur: v. g. ad talem recipientem, indolem, ingenium, inclinationem, occasionem, tentationis absentiam, & similia, sive intrinseca, sive extrinseca, quæ nata sunt conducere, ut quis bonæ inspirationis ductũ sequatur; quæ circumstantiæ, licet per se sumptæ, non sint gratiæ, bene tamen ut præludia quædam, & dispositiones, per quas præparat Deus hominis voluntatem, ut internæ inspirationi præbeat consensum, conducere possunt.

Obijc: Ex duobus æqualem gratiam habentibus, & quoad reliqua omnia à nobis requisita,

ſita, antecedenter ad conſenſum, vel diſſenſum æqualiter affectis, poteſt contingere, ut unus & non alter conſentiat, ut docet Auguſt: lib: 12. de Civit: cap: 6. ſed tunc gratia ejus qui conſentit, non eſt efficax præcisè, ut patet; neq; etiam ſuppoſitis illis circumſtantijs antecedentibus conſenſum voluntatis; nam hæ in utroque ſunt eædem; ergo vel nullo modo eſt efficax, vel eſt efficax præcisè, quia datur ex præſcientia futuri effectûs, & particulari benevolentia. ℞. diſt: maj: Poteſt contingere, ut ex æq; affectis, unus & non alter conſentiat, ſic ut ante tam conſenſum unius, quàm diſſenſum alterius, nulla in eis debeat accidere varietas, vel differentia, nego maj: ita ut debeat accidere, concedo maj: & nego min: quia tunc gratia nec ex parte conſentientis erit efficax, nec ex ſe quidem abſolutè, ſed ex ſuppoſita carentia eorum, quæ antecedenter ad diſſenſum acceſſerunt alteri qui noluit converti, v. g. ex carentia cogitationū, quæ in illo extinxerunt complacentiam converſionis, vel boni operis, vel auxerunt complacentiam alterius rei directè, vel indirectè, retrahentis à converſione.

EPYSTILIUM PROBLEMATICUM COLUMNÆ XXII.

An tutiùs ſit ſilere, & conſultiùs orare, quàm de efficacia gratiæ diſcurrere?

CO-



COLVMNA XXIII.

De Gratia sanctificante.

ASSERTIO I. Quamvis defacto justificamur, per formam intrinsecè inhærentem,& nobis desuper infusam,de potentia tamen absoluta potest quis fieri justus sine ulla forma intrinseca habituali & supernatûrali. *Justificatio contingere potest sine forma intrinseca.*

Probatur 1. pars. ex Script: ad Titũ 3. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, quam effudit in nos abundè, &c.* sed quod infunditur in nobis est aliquid intrinsecum: ergo gratia justificans est forma intrinsecè inhærens.

Confirm: Tum ex Trid: sess: 6. cap: 7. & can: 11. quibus in locis conclusio videtur definita, teste Catechismo Romano authoritate Pij V. edito, explicante Tridentinum jam citatum, in materia de Baptismo, dum ait: *Est autem gratia, quemadmodum Tridentina Synodus credendum ab omnibus, pœnâ anathematis propositam, decrevit, non solùm per quã peccatorum fit remissio; sed divina qualitas in animo adhærens.* Tum etiam authorit: Augustini de spir: & lit: cap: 9. explicans illud Pauli ad Rom: 3. *Justitia Dei manifesta est: Justitia,* inquit, *Dei, non quâ ipse justus est, sed quâ induit hominem, dum justificat impium.*

D. Thomas 1. 2. q. 110. probat hanc Conclusionis partem, quia divinus amor, qui ordinatissimus est, fertur in creaturam sub ratione

tione

tione boni, sed nulla est bonitas in ipsa ratione, cujus amaretur à Deo, nisi bonitas gratiæ ipsi inhærentis; ergo. Hanc D. Thomæ rationem nullam esse operosè ac fusè hic probant Scotistæ; sed salvo meliori judicio, (licet re vera illa bona non est) inutiliter laborant, valeat ergo, in gratiam tanti Doctoris, ratio illa, in quantum valere potest; aliter tamen.

Prob: Conclusio ratione: Non implicat donum spirituale, quod esset qualitas animæ justorum inhærens, per quod formaliter justificarentur: ergo cùm hoc sit magis conforme Scripturæ, Concilijs, & Patribus, id est tenendum. Vide quæ dixi Columnâ 11. de Virtutibus supernat:

Probatur 2. pars. tum quia in hoc nulla est repugnantia, magis quàm quòd possit aliquis denominari unitus, vel visus sine forma intrinseca; sed certum est, quod dentur defacto tales denominationes, sine forma intrinseca; ergo. Tum etiam, quia Deus est perfectus Dominus donorum suorum, ergo potest alicui non habenti gratiam sanctificantem, donare beatitudinem, sed hoc facto esset ille justus: ergo.

Objic: contra 1. partem. Illud Apost: 1. Corinth: 1. *Qui factus est nobis sapientia, & justitia*, &c. ergo justificamur justitiâ Christi, nobis extrinsecâ. ℞. explicando Apost: justitia, id est, causa meritoria, ob quam nobis Deus dat justitiam intrinsecam, per quam formaliter justificamur, concedo antec: Justitia, id est forma, per quam intrinsecè & formaliter constituimur justi, nego antec: & consequentiam.

Dices

Dices: Sufficit justitia Christi ad nos justificandos etiam formaliter; ergo frustra dicimus, quòd justificemur per aliquam formã intrinsecam. ℟. dist: antec: formaliter, & intrinsecè, sicuti defacto Concilia PP. & Scriptura dicunt nos justificari, nego antec: formaliter extrinsecè, prout in secunda parte Conclusionis asseritur, concedo antec: & nego consequentiam.

Obijc: contra 2. partem. Non potest ostendi aliqua forma extrinseca, quæ haberet connexionem, aut affinitatem cum denominatione justi: ergo talis denominatio nequit provenire ab ulla forma extrinseca. ℟. dist: antec: quæ ex se habeat connexionem, concedo antec: ex voluntate Dei ordinantis illam, nego antec: & consequentiam. Itaq; si Deus vellet sic instituere signum crucis, tantam haberet connexionem cum justificatione, quantam habet forma absolutionis defacto cum infusione gratiæ, quod sufficit.

ASSERTIO II. Gratia justificans est habitus, seu qualitas permanenter inhærens animæ. *Prob:* tum ex dictis colum: 11. & 19. tum ex Script: Joan: 14. *Si quis diligit me,* &c. 1.Corint: 3. *Nescitis, quia templum Dei estis,* &c. ad Ephesios 3. Quibus, sicut & in multis alijs Scripturæ locis, insinuatur, quòd gratia sanctificans sit quid permanens, alioquin non esset verum, quòd Deus illo mediante apud nos mansionem faceret, aut quod essemus templum Dei. Tum etiam ex Concil: Vienn: sub Clemente V. idem docente, ut fusè satis contra Vasquem ostendi columnâ 12. de virtutibus supernaturalibus.

Gratia sãctificans est habitus animæ inhærens.

Obijc:

Obijc: Scriptura varijs in locis, & præsertim Prov: 10. Lucæ 7. & Joann: 14. contritioni perfectæ adscribit justificationem, & remissionem peccatorum; sed contritio illa non est habitus, sed actus: ergo. ℟. disting: antec: contritioni perfectæ, tanquàm causæ meritoriæ, & dispositioni ad justificationem, concedo antec: tanquàm causæ formali, nego antec: & consequentiam. Ad Scripturæ loca ℟. illa esse intelligenda de causa meritoria, seu disponente ad justificationem, sicut intelliguntur hæc alia Tobiæ 4. *Eleemosyna ab omni peccato, & à morte liberat.* Et 14. *Ipsa est quæ purgat peccata, & facit invenire misericordiam, & vitam æternam.*

Obijc: 2. Actus contritionis perfectæ tollit & destruit formaliter peccatum: ergo formaliter nos justificat. ℟. dist: antec: destruit formaliter peccatum actuale, concedo antec: habituale, nego antec: & consequentiam; nam quod nos justificat, debet formaliter utrumq; expellere; sed actus contritionis perfectæ non destruit habituale peccatum, nisi impetrativè tantùm, & sic nos formaliter non justificat intrinsecè: ergo.

Gratia nullo modo distinguitur à Charitate.

ASSERTIO III. Gratia formaliter justificans, nec realiter, nec formaliter, propriè loquendo, distinguitur à charitate habituali. *Prob: 1. pars.* ex Trident: sess: 6. c. 7. *Unica causa justificationis nostræ justitia est Dei, non quâ ipse justus est, sed quâ nos justos facit, dum sacratissimæ passionis Christi merito per Spiritum sanctum Charitas Dei diffunditur in cordibus nostris, atq; nobis inhæret;* Sed si gratia sanctificans esset aliquod realiter distinctum

ctum à charitate, non rectè Conciliũ diceret charitatem esse unicam causam nostræ justificationis; ergo non distinguitur.

Prob: 2. eadẽ pars. Effectus proprij gratiæ sanctificãtis tribuuntur à Scriptura Charitati: ergo sunt idem. Prob: antec: Effectus proprij gratiæ sanctificantis sunt, facere nos filios Dei, sanctificare, & tollere peccata; sed hi tribuuntur charitati in Scriptura: ergo. Prob: min: 1. Joann: 3. *Videte, qualem charitatem dedit nobis Deus, ut filij nominemur, & simus.* Ad Ephes: 1. *Elegit nos in ipso ut essemus sancti, & electi, in conspectu ipsius in charitate.* 1. Petri 4. *Charitas operit multitudinem peccatorũ.* Rom: 13. *Plenitudo legis est dilectio:* ergo effectus omnes gratiæ sanctificantis tribuuntur à Scriptura charitatis habituali. Huc etiam facit illud August: de natura & gratia 42. *Charitas,* inquit, *est verissima, plenissima, & perfectissima justitia.* Facit etiam, quod nec charitas sine gratia, nec gratia sanctificans sine charitate, juxta illud Apost: 1. Corinth: 13. *Si distribuero omnes facultates meas, &c.* unquam invenitur: ergo.

Probatur 2. pars. tum quia nulla est necessitas, nec quidem formaliter unam ab altera distinguendi. Tum etiam, quia omnis formalitas positiva, & realis in creatis, ab alia entitate formaliter distincta, debet habere aliquod munus physicum, & reale, distinctum à munere positivo alterius formalitatis, ut videtur evidens in animalitate, & rationalitate hominis; quæ sunt principia diversorũ effectuum realiter inter se distinctorum; sed formalitas illa positiva, quæ dicitur gratia

sanctificans, nullum habet physicum munus realiter distinctum à munere Physico charitatis: ergo.

Distinctio formalis impropria

Dixi in conclusione *propriè loquendo*, quia possunt bene dici, distingui distinctione formali extrinseca, desumpta in ordine ad diversa connotata; quæ distinctio, ut ostendi in Logica, non est vera formalis, quia non arguit in toto pluralitatem formalitatum intrinsecè, & à parte rei distinctarum.

Obijc: contra 1. partem. Concilium Vienn: sæpè citatum, decernens probabiliùs esse regeneratis infundi gratiam informantem, & Trident: sess: 6. cap: 11. anathematizans eos, qui dicunt hominem justificari solâ remissione peccatorum, exclusâ gratiâ, & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum sanctum diffunditur, atq; illis inhæreat: ergo ex Concil: jam citatis habetur, quòd gratia & charitas inter se distinguantur. ℞. negando consequent: nam ad salvandum 1. Trident: loquendi modum sufficeret dicere, quod distinguantur formaliter, vel ratione. Deinde Concil: loquitur ibi de gratia & charitate tanquam de synonimis.

Obijc: 2. Effectus formalis unius, est diversus ab effectu alterius: ergo una distinguitur realiter ab altera. Prob: antec: Effectus formalis gratiæ sanctificantis est, facere hominem Deo dilectum, pulchrum, gratum & acceptum, effectus verò charitatis est, efficere ut homo diligat Deum; sed hi sunt diversi effectùs; ergo. ℞. negando antec: & disting:

sting: maj: ejus probationis, est effectus gratiæ, ut excludit charitatem, tanquam aliquid realiter ab ea distinctum; nego antec: prout est idem cum ipsa, concedo antec: & nego consequentiam. Eadem enim entitas physica, vocatur gratia, quatenus expellit peccatum, & ornat animam, eámq; constituit Filiam Dei; & vocatur etiam charitas, quatenus est principium dilectionis Dei. Et per hoc patet, quòd tam bene entitas gratiæ verè & formaliter expellit peccatum, ac entitas charitatis, & è contra; licet ut vocantur illis nominibûs, id ipsis non attribuatur; quod non probat aliud, quàm quod in ordine ad diversa connotata, conveniant illis prædicata contradictoria, quod nil facit ad distinctionem formalem veram & Scotisticam. Tamen

Obijc: contra 2. partem. In Deo reperitur conceptus charitatis, juxta illud 1. Joann: 1. *Deus Charitas est:* sed non reperitur in illo conceptus gratiæ sanctificantis: ergo. Confirm: Doctor in 2. d. 27. q. un: n. 5. docet dari distinctionem formalem inter charitatem, & gratiam: ergo. ℞. dist: min: Non reperitur conceptus gratiæ sanctificantis, ut significatur præcisè illo nomine, concedo min: secundùm se, & absolutè nego min: & consequent: Ad Doctorem ℞. eum tantùm velle, quod inter gradum charitatis ut sic, communem quomodocunq; charitati divinæ & creatæ; & gratiam, hoc est, ipsam charitatem creatam, intercedat distinctio formalis, quia se habent per modum generis & speciei, quod nil facit contra nos.

Subjectum gratiæ sanctificantis. De ſubjecto gratiæ juſtificantis non eſt quod dicam, niſi quod ſubjectetur in ipſa voluntate, ob rationes antea aſſignatas, agendo de virtutibus ſupernaturalibus columnâ 5.

Solus charitatis habitus sanctificat. ASSERTIO IV. Quamvis in regeneratione impij Fides, Spes, & Charitas infundantur, ſolius tamen charitatis habitus, eſt forma formaliter juſtificans.

Prob: Nec fides, nec ſpes integraliter concurrunt ad juſtificationem formalem, ergo ſola charitas formaliter juſtificat: prob: antec: tum quia beati ſunt formaliter, & perfectiſſimè juſti; & tamen, in communi ſententia, nec fidei, nec ſpei habitus in illis manet; ergo neuter concurrit ad juſtificationẽ formalem; tum etiam, quia in peccatore manet fidei & ſpei habitus, & tamen in illo nulla manet pars juſtificationis formalis, aliàs eſſet partialiter amicus Dei, & juſtus: ergo habitus fidei & ſpei, nec partialiter juſtificant; adeóq; ſola charitas eſt forma juſtificans.

Obijc: Non eſt juſtus, niſi qui, ut oportet ad ſalutem credit, ſperat & diligit, ſed ſic credere, ſperare & diligere, non provenit à ſola charitate: ergo. Confirm: ex Trident. ſeſſ: 6. cap: 7. ubi dicit, juſtificationem non eſſe ſolam peccatorum remiſſionem, ſed etiam ſanctificationem & renovationem interioris hominis, ergo juſtificatio non fit per ſolam ſuſceptionem gratiæ. ℞. negando conſequent: nam ex illis præmiſſis ſolùm ſequitur, quòd gratia non confertur ſine fide, & ſpe, quod quãvis ſit verum, non eſt tamen ad propoſitũ.

Ad Confirm: ℞. dist: consequens: Justificatio quatenus comprehendit accidentales dispositiones ad ipsam prærequisitas, vel consequentes, non fit per solam gratiam, concedo consequent: quatenus comprehendit sola essentialia justificati, nego consequentiam. Concilium enim tantùm vult, quod in prima impij justificatione infundantur, fides, spes, & charitas, hæc tanquam forma justificationis, illa verò tanquam dispositiones.

ASSERTIO V. Gratia habitualis, seu justificans, producitur à solo Deo per creationem propriè dictam. *Prob:* tum ex Script: Psal: 50. *Cor mundum crea in me Deus*; tum ex omnibus Scripturæ, ac Conciliorum locis, quibus dicitur, quòd gratia Dei infunditur in cordibus nostris: tum etiam ex dictis de charitate, columnâ 20. ubi probavi illam creari. ergo.

Gratia sanctificans propriè creatur.

ASSERTIO VI. Ad recipiendam à Deo justificationis gratiam in adultis, prævia aliqua requiritur dispositio moralis, quam sine particulari gratia Dei habere non possunt. *Prob: 1. pars.* tum ex varijs Scripturæ locis, quibus sæpè ad pœnitentiam invitamur, & nostræ conversionis admonemur. Zach: 1. *Convertimini ad me* (cooperando scilicet gratiæ auxilianti) *& ego convertar ad vos*, conferendo scilicet gratiam sanctificantem, 1. Regum 7. *Præparate corda vestra.* Idem habetur infinitis propemodum alijs Scripturæ locis, quibus nobis pœnitentia præcipitur. tùm etiam ex Aug: serm: 15. de verbis Apost: *Qui fecit*, inquit, *te sine te, non justificat te sine te, fecit ergo nescientem, justificat volentem, &c.*

Dispositionis necessitas ad gratiã acquirendam.

tum deniq; , quia congruum est ut creatura rationalis , mentis & judicij compos , quæ suâ libertate ceciderat , & in Deũ peccaverat, non aliter quàm volens, & per congruam satisfactionem ; ad justitiam & sanctitatem reducatur. Ergo.

Probatur 2. pars. Omnibus illis principijs, quibus columnâ præcedenti, necessitatem auxilij gratiæ ad opera conducentia ad vitam æternam probavimus : quibus adde hunc Tridentini sess. 6. can: 3. textum, *si quis dixerit sine præveniẽti spiritûs sancti inspiratione, atq; ejus adjutorio hominem credere , sperare , diligere , aut pœnitere posse , sicut oportet , ut ei justificationis gratia conferatur , anathema sit*

Nec contra hanc conclusionem est Doctor in 4. d. 14. q. 2. n. 13. & 14. ut bene ostendit Vasquetz 1. 2. d. 186. cap: ult. Contra Sotum , Canum,& aliquos alios Thomistas, qui calumniosè imponunt Doctori , quòd Doctrina ipsius hic sapiat Pelagianismum ; cùm tamen nil dicat , nisi quod sine auxilio gratiæ habitualis , quod esset principium physicum necessariò requisitum , ad hoc ut voluntas possit elicere actum pœnitentiæ , posset quis pœnitentiam debitam facere; quod quàm verum sit , non solùm Scotistæ , sed etiam Neutristæ post Vasquem citatum , evidenter probant , & facile , quia pœnitentia est dispositio ad gratiam justificantem in adulto peccatore : ergo non debet gratia illa prærequiri ad illã eliciendam.

Ponuntur dispositiones necess- ASSERTIO VII. In adulto peccatore , ad justificationis gratiam consequendam, sequentes requiruntur dispositiones , Fides ,

Spes,

Spes, dilectio, timor Domini, detestatio peccati, propositum suscipiendi Sacramentum Baptismi (si non est baptizatus) vel pœnitentia (si est baptizatus) propositū ampliùs non peccandi, novámq; vitam de cætero amplectendi. Hæc est communis, & prob: ex Trid: sess. 6. cap. 6. ubi omnes illas dispositiones pulcherrimis sanè verbis enumerat. *saria in adulto.*

ASSERTIO VIII. Sola fides sine charitate non justificat, neq; ad justificationem, sine annexis virtutibus proximè disponit. *Prima pars patet*, tum ex script: Jacobi 2. *Quid proderit fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habet.* 1. Cor: 13. *Si habuero omnem fidem, &c.* tum etiam ex Trident: sess. 6. cap. 7. ubi Conclusio expressè definitur. *Fides sola non justificat.*

ASSERTIO IX. Justificationis impij, quæ est sanctificatio, & renovatio interioris hominis, per voluntariam susceptionem gratiæ, & donorum causa finalis (extrinseca tamen, nam intrinseca causa finalis sunt effectus illi, quos in anima producit, & beatitudo æterna) gloria Dei est, & Christi; efficiens misericors DEUS: meritoria dilectissimus Unigenitus, seu ejus merita: & deniq; instrumentalis Sacramentum Baptismi, & alia Sacramenta, quibus mediantibus producitur. Hæc est de fide, quoad omnes partes in Trident: sess: 6. cap: 7. cujus authoritate probatur. *Definitur justificatio* *Ejus causa finalis.* *Meritoria & instrument:*

ASSERTIO X. Facere hominem Dei amicum, justum, sanctum, Filium Dei adoptivum, ac hæredem, regni cœlestis, non connaturalis, & physicus effectus est gratiæ justifi- *Effectus justificationis.*

ſtificantis, ſed moralis tantummodo, ex beneplacito Dei, ipſi conveniens.

Probatur 1. pars. Si gratia ex natura ſua physica illos produceret effectus, impoſſibile eſſet hominem habere formam illam gratiæ, & non eſſe hoc ipſo (velit, nolit) gratum Deo, & acceptum, ſicut impoſſibile eſt albedinem eſſe in ſubjecto, & non reddere illud album, ſed implicat forma, quæ poſſit ſic Deum neceſſitare, aliàs non liberè ad extra ageret, ergo implicat forma, quæ ex natura ſua phyſica jam memoratos actus produceret.

Confirm: Poſita quacunq; forma ex parte creaturæ, ſecluſo Dei decreto, ejúſq; libera ordinatione, & promiſſione, poſſit Deus, abſolutè loquendo, non acceptare talem in ſuum ſingularem amicum, ſed hoc non eſſet verum, ſi gratia ſanctificans ex intrinſeca & phyſica ſua ratione, cauſaret ſæpè nominatos effectus. ergo.

Confirm: 2. Poteſt Deus divinitùs hominē amare, eúmq; in hæredem regni cœleſtis adoptare, ſine ulla forma intrinſeca, quæ eſſet gratia juſtificans; ſed hoc non eſſet verum, ſi gratia ex natura ſua phyſica, cauſaret illos effectus; ergo. prob: min: Effectus formalis, & intrinſecus, ex natura rei formæ conveniens, non poteſt eſſe ſine illa, ut patet de albo, quod nec divinitùs ſine albedine eſſe poteſt, ergo ſi conſtituere amicum, Filium, juſtum,&c. eſſent effectus phyſici formæ gratiæ, non poſſent eſſe divinitùs ſine ipſa, ſed poſſunt, quia in hoc nulla eſt implicantia: ergo non ſunt effectus phyſici, ſed tantùm morales gratiæ.

Obijc: Gratia sanctificans est causa formalis nostræ justificationis; ergo ex natura sua physica habet vim justificandi, independenter ab omni Dei acceptatione, & extrinseca ordinatione. Confirm: hoc. Forma accidentalis physicè informans, & inhærens animæ, ex natura sua physica, producit hos effectus; sed gratia sanctificans est talis forma; ergo physicè causat suos effectus. ℞. conced: antec: & negando consequentiam, nam potest esse vera causa formalis, quamvis moraliter tantùm causet illos effectus. Ad Confirm: ℞. similiter dist: maj: producit suos effectus physicos, & connaturales, concedo maj: producit suos effectus morales physicè, nego maj: & distinguo similiter minor: est talis forma respectu effectuum physicorum, qui ex natura rei illi conveniunt; quales sunt, informare animam, ipsámq; reddere pulchram, ornatam, & decoram, concedo min: respectu nostræ justificationis aut constitutionis in filios Dei, nego min: & consequentiam.

Obijc: 2. Si Charitas habitualis non haberet ex natura sua vim justificandi, non esset perfecta, sed inchoata tantùm justitia, & sic per se non sufficeret ad constituendum amicum Dei, nisi accedat extrinsecus favor, æstimatio, & acceptatio Dei, sed hic est error Butzeri, & Canonicorum Coloniensium condemnatus à Trid: sess: 6. can: 7. ergo. ℞. dist: maj: non esset perfecta justitia ex natura rei, & intrinseca sua ratione independenter ab ordinatione divina, concedo maj: accedente tali ordinatione & acceptatione, nego maj:

min: & consequentiam. Hæretici autem illi ideo sunt condemnati, quia perfectam, & consummatã justitiam, quâ justificamur, dicebant esse justitiam Christi, extrinsecè nobis imputatam, & fide creditam: Nos verò dicimus charitatem esse perfectam & consummatam justitiam, quamvis moraliter tantùm expellat peccatum, & alios effectus producat.

Quæ actio interveniat in justificatione. ASSERTIO XI. In justificatione impij per gratiam, non physicè, sed moraliter agentem, ita expellitur peccatum, ut nihil eorum, quæ verè rationem culpæ habent, in justificato maneat. Quod expellantur omnia peccata est de fide, definita in Trident: sess: 5. can: 5. & sess: 6. can. 7. cujus authoritate probatur conclusio. Et *Confirmatur*, tum ex Script: Joann: 1. *Ecce Agnus Dei, &c.* Tum ratione. Potuit Deus dare gratiæ moralem virtutem expellendi peccata, & defacto voluit, Joann: 20. *Quorum remiseritis peccata, remittentur eis;* ergo defacto sic fit. Quòd verò moralem tantùm vim expulsivam peccati habeat, prob. tum ex dictis assert: præc: tum etiam, quia ex natura sua physica non opponitur peccato; ergo ex sua natura physica illud non expellit.

Divinitùs potest stare gratia cum peccato. ASSERTIO XII. Non est tanta gratiæ, & peccati mortalis incompatibilitas, quin divinitùs possint simul in anima cohabitare; imò potest etiam peccatum remitti sine infusione gratiæ.

Probatur 1. pars. tum quia in hoc nulla est implicantia, tum etiam, quia inter utrũque non potest esse major oppositio, quàm con-

contraria, sed contraria possunt esse simul divinitùs in eodem subjecto, ergo etiã gratia, & peccatum.

Probatur 2. pars. tum quia in hoc nulla est implicantia, tum quia homines possunt condonare inimicitias sibi factas, absq; collatione ullius formæ intrinsecæ, ergo & Deus.

Obyc: contra 1. partem, Sequeretur, quòd quis esset simul justus, & injustus, dignus vitâ æternâ, & indignus, sanctus, & peccator, sed hæc sunt contradictoria, ergo. ℞. negando min: quia esse justum, sanctum, & dignum vitâ æternâ, prout hæ denominationes proveniunt à gratijs, non est aliud, quàm habere formam, cui connaturaliter debetur expulsio peccati, & jus ad vitam æternam; & esse indignum vitâ æternâ, injustum, & peccatorem, non est aliud, quàm habere formam, cui connaturaliter debetur pœna æterna, sed certum est, non esse contradictorium habere illas denominationes, modo jam explicato. ergo.

Obyc: contra 2. partem. Non potest tolli peccatum absq; mutatione peccatoris, sed hoc esset falsum, si posset tolli absq; infusione gratiæ: ergo. ℞. transeundo maj: & negando min: nam peccator mutaretur tunc transeundo ab habendo peccatum, ad non habendo illud per extrinsecam Dei condonationem, & acceptationem, quâ dignatur ipsum inter suos amicos & servos computare.


ASSERTIO XIII. Nequit quis certitudine fidei, naturali aut theologica, certus esse de sua justificatione, bene tamen certitudine morali, quæ securitatem aliquam pariat, *Quæ certitudo haberi possit de justific: hominis.*

riat, & variam anxietatem, ac timorem inordinatum excludat. Hæc est omnium Catholicorum. Prob: tum ex Trident: sess: 6. cap: 9. *Quilibet, inquit, dum se ipsum, suámq; propriam infirmitatem, & indispositionem respicit, de sua gratia formidare, ac timere potest, cùm nullus scire valeat, certitudine fidei, se gratiam Dei esse consecutum.* Tum ex Script: Prov: 20. *Quis potest dicere, mundum est cor meum, purus sum à peccato.*

Probatur 2. pars, de certitudine morali; nam talem potest quis facilè habere, de dispositione sua, intentione conferentis Sacramentum, & longâ perseverantia, absq; eo, quòd sit sibi conscius peccati commissi, ergo. Et hanc solummodò certitudinem nos posse habere, probant illa Scripturæ loca, quæ ab hæreticis adducuntur.

EPISTYLIUM PROBLEMATICUM COLUMNÆ XXIII.

An donum perseverantiæ sit diversum à gratia justificante finali?



COLUMNA XXIV.

De Merito.

Meriti definitio. ASSERTIO I. Meritum bonorum operum bene describitur, quòd sit opus liberum;

berum, & honeſtum viatoris, aliquâ ratione exigens à Deo recompenſationem. *Probat:* tum quia habet conditiones requiſitas, tum etiam ipſam explicando, dicitur *opus liberum & honeſtum*, ad denotandum, quòd opus meritorium debeat eſſe moraliter bonum: dicitur, *Viatoris*, ut à propria ratione meriti excludantur opera beatorum in Patria, ubi ſunt extra ſtatum merendi, aut demerendi; additur *aliquâ ratione exigens recompenſationem*, ut abſtrahatur, an de congruo, an verò de condigno exigant.

ASSERTIO II. Opera juſtorum ſunt verè apud Deum meritoria vitæ æternæ; eſt definita de fide in Concil: Lateran: ſub Innoc: 3. & in Trident: ſeſſ: 6. cap. 16. ubi concluſio in terminis quaſi habetur, quorum authoritate *probatur* primò. *Probatur* etiam ſecundò, ex Script: Eccleſ: 16. *Miſericordia faciet locum unicuiq; ſecundùm meritum operum ſuorum.* Congruentia etiam concluſionis à ratione eſt, quia ſicut inter ipſos homines, labores & opera bona, in obſequium alicujus exhibita, merentur laudem & retributionem: ita dicendum eſt, quòd opera bona elicita ab amico Dei, & intuitu mercedis æternæ facta, aliquid apud Deum promereantur, nam non eſt injuſtus Deus, ut ex Apoſt. Hebr: 6. loquitur Trident: *ut obliviſcatur operis veſtri*, &c. Hæretici adducunt contra hanc aſſertionem varia Scripturæ loca, quibus dicitur, quòd gratis & ex Dei miſericordia, corona gloriæ nobis conferatur. ℟. illa loca aliud non probare, quàm quod vita æterna, partim ſit opus miſericordiæ, & partim juſtitiæ; miſericor-

Opera juſtorum eſſe meritoria verè.

diæ

diæ quidem, in quantum Deus præmiat ultra condignum, & ipſa merita noſtra, quibus vitam illam promeremur, dona ſunt ipſius Dei, quia gratia tam habitualis, quàm actualis, quæ ſunt principia merendi, gratis, & miſericorditer nobis à Deo confertur. Eſt etiam opus juſtitiæ, quia ex quo ſemel ſtatuit Deus ejusmodi operibus ex gratia elicitis, vitam æternam velut mercedem conferre, ex juſtitia pacti, & fidelitate promiſſionis, tenetur eam conferre, & per hoc patet ad textum illum Script: Rom: 6. *Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis, ad futuram gloriam*, &c. ergo. Patet, inquam, explicando textum, hoc modo, non ſunt condignæ ex ſe ipſis, aut ex ſua natura, concedo, ex beneplacito Dei, nego.

Conditiones Meriti de condigno.

ASSERTIO III. Meritum de condigno debet eſſe defacto opus viatoris liberum, moraliter bonum, ex charitate elicitum, & actualiter vel virtualiter in Deum relatum, tanquam in ultimum finem.

Ratio 1. partis non eſt alia, quàm quòd Deus defacto ſic ordinaverit, ut præſens tempus viæ ſit tempus pugnæ, militiæ, certaminis, adeóq; tempus merendi, vel demerendi; juxta illud Apoſt: ad Galat: 6. *Fratres dum tempus habemus*, &c.

Probatur 2. pars. tum ex Script: Ezech: 31. *Beatus Vir, qui potuit transgredi, & non eſt transgreſſus*, &c. 1. Corinth: 9. *Si Volens hoc ago, mercedem habeo*, &c. unde eſt illud D. Bernardi ſerm: 82. in Cantica: *Ubi*, inquit, *non eſt libertas, nec meritum erit.* Tum etiam ratione, nemo meretur pœnam in eo, quod ne-

ceſſa-

necessariò facit, & nullo modo potest vitare, ergo nec præmium merebitur.

3. Pars est certa, nam meritum debet esse actus moraliter laudabilis, sed talis est semper moraliter bonus; ergo.

Probatur 4. pars. Ex Script: Joann: 28. *Sicut palmes non facit fructum à semet ipso, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis;* sed nullus manet in Deo, nisi verè justificatus, & ab omni peccatorũ, saltem mortalium, macula immunis. ergo. *Confir:* hoc in omnibus istis script: Conc: ac SS. PP. locis, quibus columnâ 22. & 23. probavi necessitatem gratiæ, tam auxiliantis, quàm justificantis, ad opera meritoria conducentia ad vitam æternam.

Probatur ultima pars. Nihil potest habere rationem medij, nisi referatur in aliquem finem, sed meritum est medium adultis necessarium, ad consequendam beatitudinem objectivam, & formalem, ergo debet referri in Deum, qui est beatitudo nostra objectiva, tanquam in finem.

ASSERTIO IV. Præter annumeratas conditiones, ut opus sit meritorium vitæ æternæ, requiritur ex parte Dei promissio, acceptatio & pactum, de reddendo præmio pro tali opere.

Ad meritũ requiritur divina acceptatio & pactum.

Prob: 1. Matth: 20. *Nonne ex denario diurno convenisti mecũ, &c.* Rom: 8. *Existimo, quòd non sint condignæ passiones hujus temporis, &c.* Idem habetur 1. Corinth: 4. Matth: 25. & alijs multis Scripturæ locis, ex quibus evidenter colligimus, opera nostra non esse meritoria vitæ æternæ, secluso Dei pacto, & promissione.

Con-

Confirm: hoc ex Trid: seſſ: 6. cap: 16. Atq; *adeo*, inquit, *bene operantibus uſq; in finem, & in Deo ſperantibus proponenda eſt vita æterna, & tanquam gratia Filÿs Dei, per JESUM Chriſtum miſericorditer promiſſa, & tanquam merces ex ipſius Dei promiſſione* (NB.) *bonis ipſorum operibus & meritis fideliter reddenda.* quibus verbis noſtra concluſio in terminis videtur quaſi definita.

Probatur 2. *ratione.* Meritum, maximè de condigno, habet vim obligandi Deum ex juſtitia retributionẽ, juxta illud ad Rom: 4. *Ei qui operatur merces, non imputatur ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm debitum*; ſed ſecluſo pacto, & promiſſione divinâ, nullum opus creaturæ rationalis quantumvis ex gratia elicitum, habet jus ad vitam æternam, aut poteſt obligare Deum ex juſtitia ad faciendam retributionem; ergo ſecluſâ illâ promiſſione nullum opus ipſius eſt meritorium de condigno, vitæ æternæ: maj: eſt certa: prob: min: tum ex dictis aſſertione 10. Colum: 23. tum etiam, quia nil poteſt eſſe boni in creatura, quod multis titulis Deo non debeatur: ergo nihil eorum, quæ homo poteſt exhibere, obligat Deum ex juſtitia ad reddendam mercedem, ſeclusâ ipſius promiſſione, & acceptatione.

Obyc: Sententia hæc noſtra non differt ab errore Kemnitij, aliorúmq; hæreticorum VVittenbergenſium, qui docuerunt opera juſtorum non eſſe meritoria ex ſe, ſed ſolùmmodo, & præciſè ex divina acceptatione, promiſſione, & extrinſeco favore: ergo non eſt tenenda. ℞. negando antec: nam hæretici

illi

illi docuerunt opera nostra ex se esse mala, peccaminosa, & mortis æternæ meritoria, quapropter docuerunt illa opera nullâ ratione pôsse dici meritoria vitæ æternæ, quàm ex sola Dei acceptatione, seu non imputatione peccatorum. Qui error longè diversus est, à Catholica Scoti doctrina, (à cujus tam injuriosa censura abstinere potuit Vasquez, l. 2. disp: 224. cap:4. donec eam intelligeret) quæ docet opera meritoria vitæ æternæ ex se ante acceptationem esse bona, honesta, licita, & consequenter moraliter bona; quantumvis non sint sic de condigno meritoria vitæ æternæ, independenter a Dei promissione, pacto, & acceptatione, quæ acceptatio est ultimum meriti complementum, sine quo reliqua omnia non obligarent Deum ex justitia ad reddendam mercedem vitæ æternæ.

Divisio & Distinctio meriti de condigno & cõgruo.

ASSERTIO V. Divisio meriti in condignum, & congruum communis est; condignum in hoc potissimùm à congruo distinguitur, quod illud inducat obligationem reddendi præmium ex justitia supposito pacto, & acceptatione: hoc verò non inducit, nisi ex sola congruitate, vel ad summum, ex fidelitate promittentis, & præmiantis.

Probatur 2. pars Conclusionis (prima est certa) tum quia non possunt meliùs diversificari; tum etiam, quia exigere præmium ex decentia quadam, & congruitate, convenit omni merito: meritum enim non est, quod ex decentia saltem, non exigit præmium. Deinde, exigere præmium ex fidelitate, & promissione præmiantis, convenit quandoq; merito de congruo, non minùs quàm merito

de condigno, ut patet de contritione elicita à peccatore, & contritione elicita à justo, quarum utraq; habet annexam promissionẽ de reddenda mercede, & tamen secunda est de condigno meritoria, & prima de congruo tantùm, nec unum, nec alterum meritum, inducit ex natura rei, & seclusâ promissione divinâ, jus, aut obligationem vitæ æternæ: ergo meritum de condigno, in hoc potissimùm distinguitur à merito de congruo, quòd illud inducat obligationem reddendi præmiũ ex justitia, juxta illud Pauli 2. Timoth: 4. *reposita est mihi corona justitiæ*, &c. de congruo verò non.

Obijc: Nemo tenetur ex justitia præmiare laborem sibi, aliàs multis titulis debitum, sed omnis labor creaturæ rationalis, infinitis propemodũ titulis debetur Deo. ergo. Prob: maj: quia non potest ostendi, unde oriatur in Deo talis obligatio. ergo. ℞. dist: maj: Si nullum intercessit pactum inter præmiantẽ, & promittentem de acceptando tali opere, tanquam condigno præmio, licet sibi multis alijs titulis debito, concedo maj: si intercessit tale pactum, nego maj: & concessâ min: dist: similiter consequens. Ad probationem ℞. negando antec: nam illa obligatio justitiæ potissimùm oritur ex eo, quòd Deus specialiter acceptet opera justorum ex charitate elicita, tanquã condigna præmio vitæ æternæ; eisq; moralem valorem, & condignitatem ad tale præmium conferat, quàm aliàs ex natura sua physica non haberent; ordinando inprimis, ut ipsum acceptet in suum amicum habentem gratiam habitualem. 2. acceptanda omnia

ope-

opera ipſius ex charitate facta, tanquam condigna præmio vitæ æternæ, promittendo eis tale præmium, quoties ſic ex charitate alijsq; conditionibus meriti ſupra enumeratis procedunt; ex qua ordinatione divina, factâ cum creatura quaſi conventione, oritur in ipſis operibus, jus aliquod & condignitas moralis ad tale præmium, & ex parte Dei obligatio etiam juſtitiæ, licet non rigoroſæ, ad conferendam mercedem ipſis promiſſam.

Prima gratia nō meretur.

ASSERTIO VI. Nemo poteſt ſibi promereri primam gratiam ſanctificantem, per opera ſequentia juſtificationem, ſeu ipſius gratiæ infuſionem, nec de condigno, per actus, qui tempore præcedunt ipſius gratiæ infuſionem.

Prob: 1. pars. Principium meriti non poteſt cadere ſub eodem merito, cujus eſt principium, aliàs idem eſſet ſimul cauſa, & effectus reſpectu ejusdem; ſed prima gratia (per hanc intellige, non primum gradum gratiæ auxiliantis, de qua non eſt difficultas, ſed primos gradus gratiæ ſanctificantis, collatæ pœnitenti, qui gradus reſpectivè ad ſubſequentes gradus, per quos intenditur juſtificatio, prima gratia dicitur) eſt principium cujuscunq; actus meritorij ſequentis juſtificationem; ergo per nullum talem actum poteſt de condigno promereri.

Probatur 2. pars. Ipſa gratia ſanctificans eſt præcipua conditio ex neceſſario requiſitis ad meritum de condigno, ut jam vidimus; ergo non poteſt peccator de condigno promereri primam gratiam ſanctificantem, per actus, qui tempore præcedunt ipſius gratiæ infuſionem.

De cōgruo tantùm meretur prima gratia.

ASSERTIO VII. De lege ordinaria nullus poteſt, ſive per actum contritionis, ſive amoris Dei ſuper omnia, mereri ſibi de condigno primam gratiam ſanctificantem, aut remiſſionem peccati, quamvis actus illi pro eodē inſtanti cum ipſius gratiæ infuſione elicerentur; bene tamen de congruo.

1. Pars probatur ijsdem argumentis, quibus præcedens aſſertio probata eſt.

Probatur igitur 2. pars. ex Trident: ſeſſ: 14. cap: 4. ubi poſtquàm definivit contritionem perfectam, etiam ante Sacramenti ſuſceptionem, reconciliare hominem Deo, & remiſſionem peccati, ac gratiæ infuſionem promereri; ſubdit: *Docet prætereà ſacra ſynodus, & ſi contingat hanc contritionem reconciliari hominem Deo, priusquàm Sacramentum actu ſuſcipiatur, ipſam nihilominus reconciliationem, ipſi contritioni, ſine Sacramenti voto, quod in ipſa includitnr, non eſt adſcribenda;* ergo ex mente Concilij, contritio perfecta meretur ſaltem de congruo reconciliationem cum Deo, & gratiæ ſanctificantis infuſionem.

Prob: 2. ratione. Ad actum meritorium de congruo non requiritur aliud, niſi quòd ſit actus moraliter bonus, & virtuoſus, elicitus ex ſpeciali gratiæ actualis auxilio, ſine ulla circumſtantia vitiante; ſed totum hoc haberi poteſt in peccatore, & defacto invenitur in actu perfectæ contritionis: ergo.

Augmentū gloriæ & ejus primꝰ gradꝰ poteſt promereri.

ASSERTIO VIII. Poteſt homo juſtus non ſolùm ſibi mereri de condigno augmentum gratiæ ſanctificantis, ſed etiam augmentum gloriæ; & etiam primum ejus gradum.

Pri-

Prima pars eſt de fide, ex Trid: ſeſſ. 6. can: 2. & Prob: ratione, homo juſtus habitâ primâ gratiâ, habet omnes conditiones requiſitas ad merendum de condigno, augmentum gratiæ ſanctificantis; ergo poterit illud de condigno mereri, ut ſic, qui juſtus eſt, magis juſtificaretur.

Probatur 2. pars. tum ex jam citato Trid: loco, in quo dicitur, quòd juſtificatus ſuis operibus meretur conſecutionem vitæ æternæ, ipſam vitam æternam,& gloriæ ejus augmentum: ergo ex mente Concilij, non ſolùm augmentum gloriæ, ſed etiam ipſam gloriam quoad ſubſtantiam (per hanc intelligit vitam æternam)& primum ejus gradum poterit homo juſtus de condigno promereri: tum etiã, quia homo juſtus habet omnes conditiones requiſitas ad promerendum, tam primum gradum gloriæ, quàm ejus augmentũ. ergo.

Objic: contra 1. partem. Primus gradus gratiæ ſanctificantis eſt ejuſdem rationis cum ſequentibus; ergo qui non poteſt primum gradum gratiæ mereri de condigno, non poterit ſequentes: ſed nullus poteſt, ſecundùm nos, de condigno promereri primam gratiam; ergo nec ejus augmentum. ℟. negando conſequentiam, ſicut & conſequentiam ſubſumpti, & diſparitas eſt, quia prima gratia eſt principium, & cauſa cujuſcunq; meriti de condigno, adeóque non poterit cadere ſub ullo merito de condigno; non ſic eſt de augmento gratiæ, quod præſupponit requiſita ad meritum de condigno, & ſic poteſt cadere ſub merito, quamvis prima gratia non.

Conversio peccatoris de cõgruo tantùm meretur.

ASSERTIO IX. Nullus justus (excipe Christum) potest de condigno sibi vel alteri mereri reparationem post lapsum, bene tamen de congruo.

Prob: 1. pars. Non potest justus reparationem illam mereri, nisi per opera, quæ præcesserunt lapsum, aut sequuntur ad lapsum, sed per neutrum potest sic mereri reparationem: ergo. Prob: min: non per opera subsequentia, ut supra probavi assert: 7. non etiam per præcedentia, quia talia per peccatum mortificantur, & vim perdunt, seu, ad minimum, suspensum est omne jus, quod ex condigno habuerunt ad gratiam, & gloriam: ergo non potest fieri, ut per merita, quæ præcesserunt lapsum, mereatnr quis de condigno reparationem aut reconciliationem cum Deo.

Quod etiam nec alteri potest sic mereri, probatur, tum omnibus illis Scripturæ locis, quæ limitant mercedem bonorum operum ad personam operantis. Tum Apoc: ult: *Unicuiq; datur merces secundùm opera sua.* 2. Corinth: 5. *Unusquisq; referet propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.* ergo. tum etiam, quia si posset justus mereri alteri de condigno reparationem post lapsum, posset peccator independenter ab omni suo merito & dolore de peccatis justificari, & vitam æternam consequi; sed hoc est absurdum. ergo. Prob: maj: quia eo ipso, quo alter meretur ipsi de condigno gratiam sanctificantem, deberetur ipsi justificatio, & consequenter vita æterna ex justitia.

Prob: 2. pars. quia ad sic merendum omnia potest habere requisita. ergo, &c.

Obyc:

Obijc: contra 2. partem varia Scripturæ loca, ut eſt illud Joann: 3. *Quodcunq; petieritis Patrem in nomine meo, &c.* & 16. *Petite & accipietis*, &c. Iacobi ult: *Orate pro inbicem ut ſalbemini, multùm enim balet deprecatio juſti aſſidua:* ergo. ℟. Loca illa non plus probare, quàm quod de congruo ſibi aut alteri poſſit quis mereri reparationem poſt lapſum: nam oratio juſtorum non innititur juſtitiæ, ſed ſoli miſericordiæ, juxta illud. Daniel. 9. *Neq; enim*, inquit, *in juſtificationibus noſtris proſternimus preces, ſed in miſerationibus tuis multis.* Meritum verò de condigno innititur juſtitiæ.

ASSERTIO X. Donum finalis perſeverantiæ cadere poteſt ſub merito, non ſolùm de congruo, ſed etiam de condigno. *Donũ perſeverantiæ de condigno mereri poteſt.*

Prob: concluſio, loquendo de merito de condigno (de altero non eſt difficultas) juſtus reſpectu hujus doni obtinendi, habet omnia requiſita ad meritum de condigno; nam habet actum moraliter bonum, ex gratia tam actuali, quàm habituali, elicitum, annexam habentem promiſſionem Dei, ſed illa ſunt requiſita ad meritum de condigno; ergo poteſt juſtus donum perſeverantiæ de condigno mereri.

Confirm: Eſt in poteſtate juſti perſeverare in bono uſq; ad finem, juxta illud Matth: 10. *Qui perſeberaberit uſq; ad finem, &c.* ſed hoc non eſſet verum, niſi haberemus poteſtatem merendi & impetrandi illud donum à Deo, ergo poſſumus illud de condigno, imò defacto merentur aliqui, nam non video cur is, qui cum timore ſalutem ſuam operatur in vi-

gilijs, ac jejunijs multis, non possit de condigno illud mereri.

Obijc: Si conclusio esset vera, non esset unde sibi timeret justus damnationem, sed debet sibi timere, juxta illud Eccl: 27. *Si non in timore Domini tenueris te instanter, citò subvertetur domus tua:* ergo. ℞. negando maj: nam cùm nemo sine speciali Dei revelatione scit, utrum amore vel odio sit dignus, meritò de sua justificatione, ac perseverantia in bono, justus sibi timere debet, quamvis utrãque possit de condigno mereri.

Merita mortificata reviviscunt in justificatione.

ASSERTIO XI. Merita justorum per peccatum mortificata in justificatione reviviscunt in ordine ad præmium essentiale vitæ æternæ, idq; in eodem gradu, in quo fuerunt ante lapsum.

Prob: Ezech: 18. *Quacunq; horâ ingemuerit impius, omnium iniquitatum ejus non recordabor ampliùs.* Et 33. *Impietas impij non nocebit ei, in quacunq; die conversus fuerit;* sed certũ est, quòd ei multùm noceret, & quòd Deus aliquo modo recordaretur iniquitatum ejus, si bona opera præterita, & per peccatum mortificata, non reviviscerent per pœnitentiam. ergo.

Confirm: ex Trident: sess: 6. cap: 16. ubi re ipsâ, conclusio docetur his verbis: *Hâc igitur ratione justificatis omnibus, &c.*

Probatur 2. pars. Si in minimo gradu defraudarentur opera justorũ suâ mercede per peccatum, non possit dici, quòd impietas impij non nocuerit ei, aut quòd fuerit Deus oblitus scelerum ipsius. ergo.

Ob-

Obÿc: Ezech: 18. *Si averterit se justus à justitia, & fecerit iniquitatem, omnis justitiæ ejus non recordabor*; ergo non reviviscunt merita, sive ad gloriam, sive ad gratiam. ℞. dist: antec: & explicando scripturam, non recordabor, quàmdiu manebit in peccato, maximè in ordine ad vitam æternam, concedo maj: quando resipiscet, & à peccato resurget, nego maj: & consequentiam.

Obÿc: 2. Peccata semel remissa nunquam redeunt: ergo nec opera bona per peccatum interrupta, & morificata, redeunt aut reviviscunt per pœnitentiam. ℞. concedendo antec: & negando consequentiam, & paritatem; nam ad superabundantem Dei bonitatem spectat, ut bona opera per peccatum mortificata, denuò per pœnitentiam reviviscant, & in memoriam redeant in conspectu ipsius, qui solet semper præmiare ultra condignum, & punire citra dignum, & nunquā bis in id ipsum ulcisci.

EPYSTILIUM PROBLEMATICUM COLUMNÆ XXIV.

An si meritorum præmium ex miraculis colligatur, primum post Apostolos locum in cœlo, Thaumaturgo nostro Antonio Paduano assignare sit necesse?



COLVMNA XXV.

De existentia, & convenientia Incarnationis Verbi, Vnione hypostaticâ, ejúsq; termino.

Messias venit, & est Christus.

ASSERTIO I. Messias in lege promissus venit, & est Christus; verus Deus, verúsq; homo. Hæc est de fide, quoad omnes partes.

Probatur 1. pars. ex Script: Gen: 49. *Non auferetur sceptrum de Juda, nec dux de fæmore ejus, donec veniat, qui mittendus est, &c.* Sed certum est, circa tempus Adventûs Christi ab integro, sceptrum fuisse ablatum à Juda, & translatum ad Herodem alienigenam, ergo venit Messias qui mittendus erat.

Prob: 2. Daniel. 9. *Animadverte sermonem, & intellige visionem,* &c. Ex quo loco, sicut & ex illo 2. Esdræ 2. *Ut iterum ædificetur Jerusalem usq; ad Christum Ducem, hebdomadæ septuaginta, & sexaginta duæ erunt, &c.* ponderato tempore à Daniele prædicto, & per hebdomadam intelligendo annum lunarem, facilè quis veritatem conclusionis colligere poterit.

Probatur 2. pars, contra Nestorium & Iudæos simul. Esaiæ 9. *Vocabitur,* id est, Messias, *Admirabilis, Consiliarius, Deus;* & 35. *Deus ipse veniet, & salvabit nos,* ergo Christus est Deus. Quòd etiam sit homo verus, prob: ex Script: Deut:

Deut: 18. *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus;* sed hoc non esset verum, nisi esset verus homo, sicut fuit Moyses: ergo. Idem habetur Joannis 8. *Quæritis me interficere hominem, qui vera locutus sum vobis.*

Obijc: Judæi contra 1. partem varia Scripturæ loca, ab ipsis literaliter malè intellecta, in quibus circa tempus adventûs Messiæ, bona multa temporalia ipsis promissa sunt, quæ hactenùs hon sunt visa; ergo nondum venit Messias. prob: antec: Esaiæ 11. dicitur, quòd tunc habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo, &c. sed ista non sunt visa: ergo. ℞. negando antec: nam loca illa omnia intelligenda sunt metaphoricè, prout, more suo, ingeniosè exponit noster Lyranus.

Obijc: contra 2. partem. Devt: 18. dicitur, quòd Messias erit similis Moysi; sed Moyses fuit purus tantùm homo; ergo. ℞. dist: maj: similis quoad humanitatem, concedo maj: quoad divinitatem, nego maj:

ASSERTIO II. Naturam humanam hypostaticè uniri Verbo, in unitate suppositi, non repugnat. Est de fide, & prob: tum quia in hoc nulla potest ostendi repugnantia, tum etiam, quia defactò sic unita est natura humana Verbo, juxta illud Joann: 1. *Verbum caro factum est;* ergo sine repugnantia potest uniri. *Possibilitas Vnionis hypostaticæ.*

Obijc: Non potest ostendi, quali dependentiâ dependeret natura à Verbo, ergo. *Confirm:* Si Verbum uniretur naturæ, faceret cum illa compositionem; sed actui puro, & infinito hoc repugnat: ergo. ℞. negando

antec:

antec: nam illa dependentia est sustentati ad sustentans; seu naturæ ad suppositum dependentia. Ad Confirmationem ℞. dist: maj: compositionem in rigore Philosophico, nego maj: in sensu Theologico, concedo maj: & distinctâ similiter min: nego consequentiam. Itaq; unio illa naturæ cum Verbo, non est perfectivi, & perfectibilis intrinsecè, seu actûs, & potentiæ; sed potiùs naturæ ad suppositum, supplens vices propriæ personalitatis, & sic nullam dicit imperfectionem.

Incarnatio non est cognoscibilis ab intellectu creato.

ASSERTIO III. Possibilitas hujus mysterij, à sæculis adeò abscondita fuit, ut nullius intellectûs creati viribus, evidenter cognosci poterat. *Prob:* Ex varijs Scripturæ locis, in quibus mysterium hoc dicitur omnino absconditum ab hominibus, ad Ephes: 3. dicitur *Sacramentũ absconditum à sæculis, & generationibus.* Ad Coloss: 1. *Mysteriũ absconditum à sæculis, &c. Prob: 2. ratione,* Mysterium hoc incarnationis excedit vires causarum secundarum; ergo viribus naturalibus cognosci non poterat. Prob: antec: Præcipuum opus omnipotentiæ divinæ excedit vires causarum secundarum; sed hoc mysterium est præcipuum opus omnipotentiæ divinæ. ergo.

Obijc: Angelus naturaliter cognoscit Deum posse quidquid non est impossibile, sed hoc mysterium non est imposſibile. ergo. ℞. dist: maj: cognoscit hoc subjectivè, id est, cognoscit eum esse omnipotentem, concedo maj; cognoscit hoc terminativè, id est, cognoscit omnia illa, quæ comprehenduntur sub omnipoten-

potentia, nego maj: & conceſſa min: nego conſequentiam.

ASSERTIO IV. Suppoſitâ fide, poteſt intellectus creatus, exemplis, conjecturis, & rationibus, poſſibilitatem, & convenientiam, tam ex parte Dei, quàm ex parte creaturæ, hujus myſterij oſtendere.

Conjecturis poteſt hoc myſterium declarari.

Probatur 1. pars, Exemplo conjunctionis animæ rationalis, cum corpore materiali; item unius arboris inſitæ alteri; item ipſius naturæ divinæ, quæ defacto in tribus perſonis eſt; ergo divinâ virtute fieri poteſt, ut plures naturæ in uno conjungantur ſuppoſito.

Prob: etiam 2. hâc conjecturâ; probabile eſt DEUM poſſe facere illud, cujus impoſſibilitas aſſignari non poteſt; ſed tota humana ſapientia, non poteſt aſſignare impoſsibilitatē hujus myſterij; ergo veriſimile eſt, Deum id poſſe facere, & conſequenter feciſſe, non eſt negandum.

Probatur 2. pars, de convenientia ex parte Dei: In hoc myſterio perfectionis divinæ ad extra, præſertim bonitas, ſapientia, juſtitia, & potentia maximè manifeſtantur; ſed manifeſtatio ſuarum perfectionum Deo conveniens eſt: ergo hoc myſterium DEO conveniens eſt. Prob: maj: colligitur bonitas divina, quia in hoc myſterio ſe Deus ſummè communicavit creaturæ, elevando ipſam ad conſortium divinitatis. Apparet ſapientia, quia per hoc myſterium convenientiſsimum invenit Deus modum reparandi genus humanum, & conjungendi in una perſona, Deum & hominem; apparet juſtitia, quia non vi,

ſed

sed prævià satisfactione voluit Deus genus humanum eripere à potestate inimici: apparet etiam misericordia, quia homines, qui ex fragilitate peccârunt, & non angelos admirabili modo redemit: ergo.

Mysterij hujus convenientia. Quod etiam fuerit conveniens ex parte naturæ assumptæ, probatur ex innumerabilibus donis, & gratijs, per hoc mysterium concessis naturæ humanæ: ergo.

Obijc: Per incarnationem perficitur Deus, ergo non est conveniens ex parte Dei. ℞.dist: antec: intrinsecè, nego antec: extrinsecè, manifestando scilicet ejus divinas perfectiones, concedo antec: & nego consequentiam.

Convenientia ejus ex parte naturæ humanæ. ASSERTIO V. Convenientiùs fuit, ut Deus humanam naturam lapsam repararet, agendo liberè ad extra, quàm angelicā.

Prob: assignando convenientias, quarum prima est, quòd minor pars angelorum peccavit, tota vero humana natura ceciderit. 2. Angeli propriâ voluntate peccârunt, homo verò non, sed instinctu diaboli, qui fuit unus ex illis angelis, & mediante persuasione fæminæ. 3. Ruina Angelorum per homines suppleri poterat, sublevando homines ad illorum sedes; lapsus verò hominum non poterat sic suppleri, quia nulla fuit natura, per quam suppleretur.

Fuit opus liberum. *Quòd* verò hoc opus fuerit liberum, *prob:* tum ex dictis assert: 4. Colum: 5. tum etiam ex Athan: serm: 3. contra Arianos; *Poterat,* inquit, *sine adventu Christi solùmmodò loqui Deus, & sic solvere maledictionem.* Tum denique, quia creare homines Deo non fuit necessarium, ergo nec redimere. D. Anselmus,

mus, qui in contrarium citatur aliud non intendit, quàm, quòd hoc opus fuerit Deo necessarium, in sensu composito decreti de ipsius futuritione.

ASSERTIO VI. Per actionem incarnativam, unio vera, & realis realiter distincta à natura humana, & Verbo divino, producitur. Hæc respectus est extrinsecus adveniens subjectatus in natura, & terminatus ad Verbum. *Per actione incarnativam unio nova fuit producta.*

Probatur 1. pars. Non potest dari actio nova sine aliquo termino novo: ergo nec actio incarnativa, quâ tota Trinitas efficienter naturã humanã Verbo univit, sine aliquo termino novo, sed nullus assignari hic potest novus terminus, nisi admittatur unio distincta: ergo antec: patet ex dictis in physica: probatur ergo subsumptum, per illam actionem non producitur natura humana, nec etiam Verbum, ut omnes concedunt: ergo aliquod tertium; sed aliud assignari non potest, nisi unio vera, & realis: ergo.

Prob: 2. pars, tum ex dictis de prædicamentis in Logica; tum etiam, quia non potest intelligi Unio nisi per modum relationis: ergo cùm ejus extrema existere possunt sine illa, dici debet relatio extrinsecùs adveniens.

Obijc: Unio hypostatica à Concilijs, & PP. dicitur substantialis; ergo non potest consistere in relatione extrinsecùs adveniente, quæ semper est accidens. ℞. dist: antec: est substantialis, id est, ratio conjungendi verè & physicè duas substantias, concedo antec: substantialis, id est, in entitate sua substantia,

nego

nego antec: & conſequentiam. Patres enim egerunt contra Neſtorium, qui inter naturã & Verbum unionem, affectûs & gratiæ tantùm ponebat; quomodo duo amici dicuntur eſſe unum cor, quæ unio merè accidentalis eſt, ſicut eſt unio veſtis ad veſtitum, quæ non tribuit veſtito eſſe veſtem, aut è contra. Nos autem ponimus unionem, quæ in entitate quidem ſua accidens eſt, ſubſtantialiter tamen unit, nam facit quòd homo ſit Deus, & è contra.

Terminus totalis actionis incarnativæ. *Hinc* patet terminum totalem, & adæquatum actionis incarnativæ, eſſe Chriſtum, ut eſt unum quid conſtitutum, ex perſona divina, & natura humana, nam quod reſultat ex unitione humanitatis, & Verbi, eſt terminus adæquatus, & totalis actionis unitivæ; ſed Chriſtus reſultat ex illa unitione: ergo. Patet etiam, quòd ipſa Unio hypoſtatica ſit terminus formalis, & immediatus *ad quem*, de novo productus, actionis incarnativæ, quia de novo hic nil producitur, niſi illa unio: ergo.

Unio hæc an ſit cõpoſitio rigoroſa. ASSERTIO VII. Unio hæc duarum naturarum in Chriſto, in rigore phyſico cõpoſitio non eſt, nec in omni ſenſu maxima.

Prob: 1. pars. Compoſitio rigoroſa Phyſica requirit extrema realiter inter ſe diſtincta, ſéq; habentia per modum actûs & potentiæ perfectivi, & perfectibilis, ut patet in omnibus alijs compoſitionibus, ſed extrema Unionis hypoſtaticæ ſic ſe non habent. ergo.

Confirm: Extrema compoſiti rigoroſi phyſici ſunt imperfectiora, toto reſultante ex illis, tanquam quid realiter diſtinctum. ſed Chri-

Christus non est perfectior Verbo, nec est totum aliquod distinctum realiter à partibus unitis; ergo.

Dixi in rigore physico, quia de fide est, quòd unio illa duarum naturarum in Christo sit compositio, ut definit 5. Synodus generalis, act: 8. cap: 4. & ratio est, quia quod fit ex diversis partibus separabilibus, realiter inter se unitis, est compositum; sed Christus constat ex natura humana, & Verbo divino, verè & realiter inter se unitis, ergo est propriè loquendo in hoc sensu compositus, quamvis non in rigore Philosophico.

Probatur 2. pars. Illa unio est major, quæ privationem distinctionis majorem dicit, sed certum est, quòd unio graduum metaphysicorum majorem privationem distinctionis importet, quàm Unio hypostatica, ergo in hoc sensu Unio hypostatica, non erit maxima unionum. Deinde illa extrema, ad quarum unionem sequitur tertia entitas, magis inter se uniuntur, quàm illa, ad quæ non sequitur, sed ad unionem materiæ & formæ sequitur tertia entitas, & ad hypostaticam non: ergo in hoc sensu unio illa est major hac.

In quo sensu dicatur maxima unio.

In alio tamen sensu unio hypostatica dici potest maxima, in quantum unit extrema perfectiora extremis alterius unionis; sed certum est, quòd extrema unionis hypostaticæ sint perfectiora extremis cujuscunq; alterius unionis veræ, & realis: ergo in illo sensu potest dici maxima; sicut etiam in ratione doni considerata, nam sic est maximum donum creaturæ collatum, ut per se patet.

Dices, Visionem beatificam esse perfectio-

rem hac unione; ergo hæc unio non eſt maxima. ℞. diſt: antec: in ratione entis transeat antec: in ratione doni, nego antec: & conſequentiam.

Dices 2. Euchariſtia, in qua nobis totus Chriſtus datur, eſt majus donum, quàm ſit unio; ergo. ℞. negando antec: quia in Euchariſtia communicatur nobis Chriſtus accidentaliter tantùm, id eſt, per præſentiam; per unionem vero hypoſtaticam, ſubſtantialiter Verbum unitur naturæ humanæ.

Quælibet natura aſſumptibilis fuit hypoſtaticè.

ASSERTIO VIII. Potuit Deus hypoſtaticè aſſumere naturam Angelicam, irrationalem, & omnem aliam ſubſiſtentiæ capacem. *Probatur 1. pars*, tum ex Apoſt: ad Hebr: 2. *Nuſquam angelos apprehendit, ſed filios Abrahæ.* Tum etiam, quia non eſt ratio, cur humana natura diſtingueretur realiter à ſuppoſito, & non angelica; ergo nec cur una eſſet aſſumptibilis, & non alia; & hoc eodem argumento probatur 2. pars à ratione.

Obijc: contra 2. partem. Nulla natura eſt perſonabilis, niſi rationalis: ergo nulla natura eſt aſſumptibilis à Verbo, niſi rationalis. ℞. concedendo antec: & negando conſequentiam, quia denominatio Perſonæ advenit ſuppoſito ratione naturæ tantùm (ut dixi in metaphyſica, agendo de ſuppoſitalitate) & non ratione ſuppoſitalitatis; unde in caſu, quo aſſumeretur natura irrationalis ad unionem Verbi, cum perſona Verbi non faceret perſonam, ſed tantùm ſuppoſitum.

Dices, ſequeretur, quod Deus poſſit dici lapis, lignum, lupus, &c. ℞. hoc non eſſe

ma-

magis abſurdum, quàm quòd poſſit mori, crucifigi, & ſic dici, crucifixus, mortuus, &c.

Obyc: 2. contra eandem. Natura irrationalis eſt incapax ſanctificationis: ergo & unionis hypoſtaticæ. ℞. diſt: antec: ſanctificationis, id eſt, rectitudinis & perfectionis in actibus liberis, quibus poſſit elevari ad fruitionem beatam, concedo antec: ſanctificationis, id eſt, Deificationis cujusdam in ordine ad Religioſum cultum, nego antec: & conſequentiam.

ASSERTIO IX. Una perſona divina, poteſt ſimul naturas humanas plures aſſumere, non item plures perſonæ immediatè eandem numero naturam humanam. *Una perſona poteſt plures perſonas aſſumere.*

Probatur 1. pars, tum quia in hoc nulla eſt implicantia, tum etiam, quia per aſſumptionem unius naturæ non exhauritur infinita potentia terminandi ſuppoſiti divini.

Probatur 2. pars. tum autorit: D. Anſelmi l. 2. Cur Deus homo, cap: 9. *Plures*, inquit, *perſonæ eundem hominem aſſumere omnino nequeunt.* tum etiam ratione, ſi una natura aſſumeretur à pluribus perſonis, dependeret à qualibet ex ipſis, & non dependeret, ſed hoc implicat, ergo. prob: maj: dependeret primò, nam quævis ex illis perſonis adæquatè ſuppleret vices propriæ perſonalitatis naturæ; ſed à propria dependeret adæquatè, ſi adeſſet; ergo & à qualibet ex illis perſonis. Non dependeret autem, quia non poteſt aliquid ab alio dependere propriè loquendo, niſi indigeat illo alio, (ut oſtendi fusè in phyſica) ſed in caſu noſtro natura non indigeret

complemento sibi dato ab una ex illis personis, ergo ab illa non posset dependere.

Obijc: contra primam partem. In tali casu essent duo homines, vel unus homo, sed neutrum dici potest: ergo; maj: est certa. Prob: min: non unus, quia non una sola natura est, non etiam plures, quia non essent plura supposita: ergo. ℞. Quòd essent plures homines, quia (ut fusè ostendi in physica) ad multiplicationem concreti substantialis, sufficit multiplicatio formæ.

Dices cum Pontio contra hoc. Christus Dominus includit defactò duas naturas, & tamen non potest dici duæ substantiæ; ergo non sufficit naturarum pluralitas ad multiplicationem concreti substantialis. ℞. concedendo anteced: & distingu: consequens, ad multiplicationem concreti dicentis primariò formam, nego consequ: dicentis primariò suppositum, sicut dicit Christus, concedo consequent: unde argumentum est in oppositum, nam ideo non multiplicatur *concretum hoc Christus*, quia primarium significatũ ipsius, nimirum suppositum, non multiplicatur, in proposito autem nostro, multiplicatur natura humana, quæ est primarium significatum concreti *Homo*, ergo & multiplicabitur ipsum concretum.

Concretũ Christus primariò dicit suppositum.

Obijc: contra 2. partem. Tres personæ divinæ subsistunt in una natura; ergo & subsistere possunt in una natura humana. ℞. negando consequentiam: ratio disparitatis est, quia natu-

natura divina infinita est, & illimitata, humana verò limitata, & finita.

Obijc: 2. Ideo potuit natura assumi à Filio, quia habuit potentiam obedientialem ad hoc ut possit assumi, sed non obstante illâ assumptione, habuit potentiam obedientialem, ut etiam uniretur Patri; ergo. ℟. disting: maj: Ideo, & quia non erat aliquod impedimentum ad Filium, concedo maj: ideò præcisè, nego maj: & concessâ min: nego consequentiã.

Dixi *immediatè* in Conclusione. Quia potest natura creata assumi immediatè ad unionem essentiæ divinæ, quæ in se subsistens est, & independens, quamvis communicabiliter, ut ostendi, assert: 8. columna 7. & consequenter potest terminare dependentiam naturæ creatæ, sed in tali casu assumeretur natura mediatè à tribus personis; ergo mediatè potest sic assumi, quamvis non immediatè.

ASSERTIO X. Verbũ divinum defactò assumpsit animam rationalem, & verum corpus organicum, priùs unitum animæ, cum omnibus partibus solidis, requisitis ad integritatem ejusdem: sanguinem verò immediatè non assumpsit. *Quid assumpserit defacto Verbum.*

Probatur 1. pars, loquendo de anima. tum ex Scriptura: *Tristis est anima mea usq; ad mortem.* Tum quia *nihil est curatum,* teste Damasc: l. 3. de fide, *quod non fuit assumptum.* ergo si Christus non assumpsit veram animã, & verum corpus, neutrum fuit verè curatum. tum etiam, quia assumpsit veram humanitatem, aliàs non esset homo: ergo & veram animam, & verum corpus.

Confirm: hoc, loquendo de corpore Joann: 1. *Verbum caro factum est.* Rom: 1. *Qui factus est ex semine David, secundùm carnem.* ergo.

Prob: 3. pars. Christus immediatè assumpsit humanitatem; sed hoc non esset verum, nisi assumeret corpus unitum animæ, ergo assumpsit.

Sanguinẽ assumpsit mediatè.

Probatur ultima pars de sanguine (controversiam ortam inter B. Jacobum nostrum de Marchia, & Franciscanos omnes ex una parte; & P. Jacobum à Brixia Dominicanum, cum suis ex altera parte, in hac materia anno 1462. ejúsq; initium & finem fideliter & fusè tractat doctissimus noster Antonius Hiqueus, in sua nitela Franciscana, p. 444. & sequ: ubi adducit Bullam Pij II. quæ teste Arriagâ, ultima est in Bullario, in qua definitiva datur sententia, pro parte illorum, qui cum B. Jacobo conclusionem nostram, ut probabilem, tenuerunt) prob; inquam, sanguis non spectat ad primariam constitutionẽ hominis: ergo non debet immediatè assumi, quamvis sic sit assumptus homo. Prob: antec: tum quia sanguis non animatur, ut docet Aristot: 2. de partibus animal: cap:10. ergo non spectat ad partes primariò constituentes hominem. Tum etiam, quia si esset talis pars, deberet vi verborum poni sub speciebus panis, sicut ponitur corpus; sed non ponitur, ut definit Trident: sess: 13. cap: 3. ergo.

Confirm: Mantuæ, & apud S. Maximinum ostenduntur duæ ampullæ sanguinis Christi, collecti à Magdalena sub cruce, ut docet traditio in Ecclesia recepta, & patet ex decretali illa Bulla Pij II. in qua asseritur, quòd non

sit

sit contra fidem tenere, quòd Christus Dominus reliquerit in terris particulam aliquā sui pretiosi sanguinis, sed hoc non esset verum, si sanguis fuisset immediatè assumptus, quia quod Verbum semel assumpsit, nunquā dimisit, ut post Damasc: Theologi communiter loquuntur; ergo nunquam immediatè assumpsit sanguinem.

Dixi *immediatè*, quia certum est Verbum assumpsisse sanguinem, sicut & alios corporis humores mediatè, nam qui assumpsit hominem, assumpsit omnia, quæ spectat ad integritatem & perfectionem ipsius, saltem mediatè; sed verbum assumpsit humanitatem, ad cujus integritatem & perfectionem spectat sanguis: ergo. Et hoc sufficit ad hoc ut dicatur, quòd sanguis Christi nos purgavit, liberavit, redemit, &c. quamvis valorem illum non aliâ ratione habuit, nisi (ut loquitur August: 13. Trinit: cap: 15.) quia ejus erat, qui nullum omninò habuit peccatum: sufficit etiam ad satisfaciendum, Trident: sess: 13. c. 3. ubi videtur dicere, sanguinem esse partē corporis, si dicatur, quòd sit pars non de primaria, sed de secundaria constitutione corporis.

Hinc colligere possumus, Verbum divinū per se, & immediatè assumpsisse caput, cor, carnem, ossa, manus, & pedes, dentes verò, ungues, & capillos, non assumpsisse, nisi mediatè tantùm; ratio est, quia jam numeratæ primæ partes sunt de primaria constitutione hominis: annumeratæ verò in secunda parte non sunt, quia non animantur, ut docui in libris de anima.

Enumerā-tur partes immediatè assumptæ.

Quid pr. 9 assumpse-rit Verbū. ASSERTIO XI. Ordine intentionis, & executionis, Verbum prius naturâ assumpsit humanitatem ut *quod*, quàm animam, aut alias partes. Ut probetur hæc conclusio, Adverte, illud dici assumi ut *quod*, quod in se primò assumitur, & ratione cujus alia assumuntur: medium verò, quo assumptionis est forma illa, quæ constituit aliud, in esse talis speciei formaliter. Jam.

Prob: 1. pars. Omne agens à proposito priùs intendit totum, quàm partes. ergo ordine intentionis Verbum priùs assumpsit humanitatem quàm partes.

Prob: 2. pars. Illud fuit primò assumptum à Verbo, quod est in se primò personabile, & personatur; sed humanitas priùs personatur, quàm partes; ergo priùs etiam assumitur in executione ad alienam personã, quàm partes. Prob: maj: Assumptio naturæ fuit terminata ad personalitatem Verbi; ergo illud fuit primò assumptum, quod fuit primò personabile. Prob: etiam min: sola natura substantialis integra, potest cum suppositalitate facere personam, sed sola humanitas in homine est natura integra; ergo priùs est personabilis quàm partes.

Confirm: In eodem instanti fuit natura personata personalitate Verbi, quo fuisset propriâ personalitate; sed propria fuisset priùs personata quàm partes, ergo fuit personata personalitate Verbi, supplente vices personalitatis propriæ, priùs quàm partes.

Obijc: Sanctos PP. apud Suarem hic, qui dicunt verbum assumpsisse carnem mediante

ani-

anima; ergo R. dist: antec: mediante animâ, *ut quo*, concedo antec: *ut quod*, nego antec:

Obijc: 2. Primum in intentione, est ultimum in executione; atq; tota humanitas ordine intentionis fuit primò assumpta, ergò ordine executionis ultimò assumi debuit. R. dist: maj: est ultimum in executione viâ generationis, & productionis, concedo maj: viâ personationis, nego maj: & concessâ min: nego consequentiam.

ASSERTIO XII. Organisatio, seu carnis conceptio, & unio ejusdem ad verbum fuerunt simul tempore; naturæ tamen ordine, conceptio præcessit animationem, & animatio totius naturæ, unionem ejusdem ad Verbum. *Simultas temporis fuit in partibus assumptis.*

Prob: 1. pars. Tum quia illa omnia in eodem instanti divinitùs fieri poterant; tum etiam, quia ultimata dispositio ad formam nunquam præcedit tempore ipsam formam in materia, sed organisatio est ultima formæ disponentis ad animam inductio: ergo non præcessit tempore animam. Unde est illud 6. Synodi ar: 6. & 11. *Simul quippe caro, simul Dei Verbi caro, simul caro animata rationalis, simul Dei caro animata rationalis.*

Prob: 2. pars. Priùs naturâ res quævis in se est, quàm aliud suscipiat, aut ad alterum suscipiatur; ergo priùs naturâ corpus est organisatum, quàm sit animatum; & totum animatum in se existit, quàm ad unionem Verbi assumitur.

ASSERTIO XIII. Verbum non assumpsit naturam humanam mediante gratia habituali, priùs naturâ aut tempore infor- *sine media gratia habit: natura est assũpta.*

 man-


mante illam. *Prob:* in eodem inſtanti, natura perſonatur perſonalitate Verbi, quo perſonaretur propriâ perſonalitate, ſi non eſſet aſſumpta; ſed perſonaretur propriâ perſonalitate, ante infuſionem gratiæ habitualis: ergo. prob: min: actus per ſe cujuscunq; rei, priùs naturâ illi convenit, quàm actus per accidens (ut probavi primò phyſicorum) ſed perſonalitas eſt actus per ſe naturæ ſingularis, & gratia eſt actus tantùm per accidens ejus; ergo priùs convenit naturæ perſonari, quàm recipere gratiam.

Obijc: Hypoſtaticè uniri Verbo, excedit facultates naturæ creatæ, ergo non poteſt ſic uniri, niſi mediante gratiâ. ℞. diſt: conſequens, niſi mediante gratiâ habituali, quæ eſt diſpoſitio aliqua prærequiſita ad unionem Verbi, nego conſequ: mediante gratiâ, id eſt, gratuitâ Dei voluntate, concedo conſequ:

EPISTYLIUM PROBLEMATICUM COLUMNÆ XXV.

An Unio Hypoſtatica concurſu phyſico Beatiſſimæ Virginis, producta ſit?

CO-



COLUMNA XXVI.

De causis Incarnationis.

ASSERTIO I. Licet solus Filius defacto incarnatus sit, & formaliter terminaverit unionem hypostaticam, nullã tamen habuit actionem efficientem terminatam ad illam unionem, distinctam, ab actione, tribus personis communi, quà Tota, & sola Trinitas unionem illam produxit. Hæc est certa de fide, patet ex Conc: Nicæ: act: 2. Lateran: sub Innoc: III. & ex cap: *Firmiter*, de Summa Trinitate, & ratio est, quia opera Trinitatis ad extra sunt indivisibilia, ut diximus Columnà 6. ergo. non potest secunda persona in genere causæ efficientis, ullam habere actionem terminatam ad unionem, distinctam ab actione totius Trinitatis. De hac autem non controvertitur, sed potiùs de causa finali Adventûs Christi in carne; de qua sit *Actio efficiens Incarnationem communis 3. personis fuit.*

ASSERTIO II. Si Adam non peccasset, Filius Dei carnem assumpsisset. *Prob:* Deus defactò ordine intentionis priùs decrevit adventum Christi, quam prævidit permissionem peccati; ergo quamvis Adam nunquam peccâsset, Filius Dei carnem assumpsisset. Prob: antec: Prædestinavit Deus homines ad gloriam, & consequenter Christum, priusquàm decrevit permittere peccatum, ut antea *Adamo nõ peccante Incarnatio fuisset.*

tea probavi Assert:10. colum: 5. ergo priùs decrevit Deus prædestinationem Christi,& consequenter ejus adventum, quam decrevit permissionem peccati, & consequenter venisset in carne, etiamsi Adam nunquam peccâsset.

Confirm: Omnis gratia & benedictio nobis concessa, teste Apost: ad Ephes: 1. in ordine ad vitam æternam consequendam, collata est nobis propter Christum, & consequenter Christus fuit prædestinatus non solùm ante homines, sed etiam ante prævisionem peccati.

Prob: 2. Conclusio ratione. Ordinatè volens finem, ordine intentionis priùs vult finem quàm media, & inter ipsa media illud priùs vult, quod est fini propinquius, sed Deus est ordinatè volens; ergo primò vult suam gloriam, propter quam omnia fecit; & mediatè post, quod ad hanc gloriam manifestandam maximè conducit; sed inter omnia media manifestativa gloriæ Dei, nullum est principalius, aut aptius, quàm incarnatio Verbi, ergo ante omnia alia media prælegit incarnationem. Prob: min: Perfectiùs hoc mysterio manifestavit Deus omnia attributa sua, quàm ullo alio opere ad extra, ut probavi assert: 4. præc: Colum: ergo nullum est medium, quo magis manifestatur gloria Dei, & consequenter propinquius fini à Deo primò volito, quàm sit incarnatio.

Obijciunt Adversarij varias Scripturæ, Conciliorum, ac SS. PP. authoritates (videndas apud Suarem hic) quæ clarè nostræ Conclusionis oppositum videntur indicare; ergo. ℞. ad omnes generaliter, quod aliud non

pro-

probent, aut velint, quàm quòd Christus non venisset in carne passibili, hoc est, in carne proximè obnoxia illis passionibus, quas defactò pro nostra redemptione Christus sustinuit; aut quòd non venisset ut Redemptor, nisi esset peccatum commissum, quia tunc nulla esset necessitas redemptionis, quod totum nos fatemur; adhuc tamen dicimus, quòd non existente Adæ peccato, venisset Christus in carne impassibili, seu non subjecta illis passionibus, & hoc ut justificator, Dignificator, & Glorificator nostræ naturæ. Et per hoc patet resolutio ad alia multa argumenta, quæ hic contra nos ab adversarijs adducuntur. Tamen

Obijc: 2. Christus non poterat venire vi illius decreti defacto habiti, nisi in carne passibili, ergo distinctio nostra de carne passibili, & impassibili, est tantùm excogitata. Prob: antec: Non veniret vi decreti illius defactò habiti, nisi eo modo, quo defactò venerat, sed venerat in carne passibili, ergo non veniret vi illius decreti defactò habiti, nisii in carne passibili. ℞. dist: antec: vi illius decreti defacto habiti, transeat antec: vi ullius decreti defacto habiti, & alterius, quod necessariò haberetur de carne impassibili, si Adam non peccasset, nego antec: & consequentiam.

Itaq; Deus defactò duo habuit decreta circa hoc mysterium, per quorum primùm determinavit absolutè adventum Christi, abstrahendo à modo quo veniret: per alterum verò prævise Adami peccato determinavit modum, nimirum ut veniret in carne passibili, ad satisfaciendum pro genere humano: *Duo Decreta habuit Deus circa Incarnat:*

unde

unde si peccatum non esset futurum, non haberet Deus decretum hoc secundum de modo, sed ejus loco, ex illo decreto primo de substantia Incarnationis, sequeretur aliud decretum de modo impassibilitatis, & sic quamvis non veniret vi illius unius decreti defactò existentis, si Adam non peccâsset, veniret tamen vi unius decreti jam existentis, & alterius, quod tunc sequeretur ad ipsum.

Delevit actuale & originale per suum adventũ.

ASSERTIO III. Venit defactò Christus non solùm ad delendum originale, sed etiam actuale peccatum. Est de fide. *Prob:* tum ex Script: Joann: 1. *Ecce Agnus Dei, &c.* & 10. *Sanguis JESU Christi emundat nos ab omni peccato.* Tum etiam ratione. Christus instituit remedia, Sacramenta scilicet, ad delendum utrumq; peccatum, ergo defactò venit propter utrumq;.

Propter solum originale venisset Christus, Non tamẽ vi hujus decreti defactò habiti.

ASSERTIO IV. Si solum fuisset originale peccatum sine actuali, venisset Christus in carne passibili, non verò vi (saltem illius decreti defactò existentis) sic veniret, propter sola actualia, secluso originali, commissa.

Probatur 1. pars. Venit defacto ad redimendum genus humanum à servitute diaboli; sed si solum fuisset peccatum originale, haberet illud motivum veniendi. ergo.

Confirm: PP. docent, principale motivum Incarnationis defactò fuisse originale, juxta illud D. Gregorij, *Si Adam non peccaret, Redemptorem nostrum carnem assumere non oporteret.* Et notum illud Ecclesiæ, in benedictione cerei paschalis, dictum: *O necessarium Adæ peccatum, quod Christi morte est deletum.* ergo.

Pro-

Probatur 2. pars. Quia nec ratione nec authoritate probatur, quod sic veniret vi illius decreti defactò habiti, nam decretum Dei defacto, de Adventu Christi, respicit utrumq; peccatum: ergo si non esset originale, non existeret hoc decretum; & consequenter vi illius, existente actuali tantùm peccato, sine originali, Christus non veniret.

ASSERTIO V. Hæc propositio, Christus est prædestinatus, est vera. *Prob:* tum quia Deus efficaci voluntate decrevit, ut Christus æternâ beatitudine frueretur: ergo verè potest dici prædestinatus. Tum etiam ex Tolet: 11. in quo hæc habentur verba, *quòd ex MARIA Virgine natus est, & factus, & prædestinatus esse est credendus.* Tum deniq;, quia Christus sine addito dicitur *exaltatus, glorificatus, &c.* ergo simpliciter, & sine addito, dici potest prædestinatus. *Deus est prædestinatus, vera est propositio.*

ASSERTIO VI. Prædestinatio Christi est causa nostræ prædestinationis. *Prob:* ex Script: ad Ephes: 1. *Benedixit nos omni benedictione in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem.* Et infrà. *Prædestinavit nos in adoptionem filiorum;* tum etiam, quia salvamur ob gloriam Christi, quæ est causa finalis nostræ justificationis: ergo & prædestinamur ob illam gloriam, quæ est terminus prædestinationis Christi. *Prædestinatio Christi est causa nostræ, prædestinationis.*

ASSERTIO VII. Beatissima Virgo, vera Mater est Dei, & Hominis. est communis. *Prob: 1. pars.* tum ex illo ad Galat: 4. *Misit Deus Filium suum.* tum etiam, quia est vera Mater Christi, qui Deus est, ergo & Dei. *Maria mater Dei, & hominis.*

Probatur 2. pars. Quidquid requiritur in alijs,

alijs, fæminis ad rationem maternitatis, invenitur in Virgine respectu Christi, ut hominis, ergo. prob: anteced: nil requiritur in alijs, nisi ut concurrant ad productionem humanitatis, subministrando materiam, ex qua fit corpus organicum; sed hoc fecit Beata Virgo. ergo.

Objic: Virginitas, & Maternitas opponuntur inter se; ergo si Dei genitrix est Virgo, non potest esse Mater. ℞. negando antec: nam virginitas solùm excludit actionem viri, non verò virtutem activam concurrendi ad generationem corporis organici; Maternitas etiam non infert necessariò nisi actionem viri, vel alterius, supplentis vices ejus; unde si alius suppleret concursum viri, prout in nostro proposito fecit Spiritus Sanctus, posset Virgo esse Mater, sicut defactò est Virgo MARIA.

Duæ filiationes Christi. ASSERTIO VIII. In Christo sunt duæ Filiationes, seu relationes reales, una æterna, à qua habet esse Filius propriè dictus Patris, altera temporalis, à qua habet esse Filius Deiparæ.

Probatur 1. pars. Quia, ut jam dixi, Christus est Filius Dei vivi, ergo dicit relationem veram, & realem filiationis æternæ ad Patrē.

Prob: 2. pars. Tum quia Christus quà Homo, est verè genitus ex Maria Virgine; ergo est verus Filius ipsius, & consequenter dicit veram relationem Filiationis temporalis ad Matrem, cùm nil obstet. *Confirm:* Si Spiritus sanctus esset loco Verbi incarnatus, esset Filius D. Virginis, per relationem veram novam terminatam ad ipsam; ergò à paritate Chri-

Christus habet ad illam relationem temporalem.

Dices. Non ideò Petrum, v. g. dicere relationem Filiationis temporaneæ, quia per veram generationem à parente accipit naturã similem naturæ parentis. ergo. Contra ad resultantiam novæ Filiationis, non requiritur negatio alterius filiationis in supposito, aliàs idem parens ad diversos filios non diceret diversas numero relationes, quod est falsum, (ut vidimus in Logica in tract: de præd: agendo de relatione) ergo filiatio æterna Christi non impedit, quo minùs quà homo, habeat relationẽ aliam Filiationis ad Matrem: Et per hoc patet, quòd plures Filiationes in eodem supposito esse possint.

Obyc: Suppositum Christi est incapax omnis novæ relationis: ergo & Filiationis creatæ novæ. ℞. dist. antec: subjectivè, seu intrinsecè, concedo antec: denominativè, seu extrinsecè, nego antec: & consequ: Relatio creata Filiationis, subjectatur non in supposito Christi, sed in ipsa ejus humanitate, & hoc sufficit ad hoc, ut ipsum denominet Filiũ.

Dices. Natura abstrahens à supposito non denominatur Filia, ergo Filiatio in ipsa non subjectatur. ℞. negando consequ: quia talis denominatio requirit, tanquam conditionẽ, sine qua non, naturam suppositatam.

Obyc: Una Filiatio constituit unum Filium, ergo si in Christo sunt duæ filiationes, erunt duo Filij. ℞. concedendo antec: & negando consequ: quia ad multiplicationem concreti, requiritur multiplicatio tam formæ, quàm suppositi, nisi sint formæ absolutæ, & sub- *Quid requiritur ad multiplicationẽ concreti.*

 stan-

ſtantiales, quod dico propter ea, quæ ſupra de aſſumptione plurium naturarum dixi.

Filius naturalis Dei non verò adoptivus.

ASSERTIO IX. Chriſtus Dominus non ſolùm quà Deus, ſed etiam quà homo, eſt Filius naturalis. *Probatur:* tum ex ſcript: Rom: 8. *Proprio filio ſuo non pepercit Deus, &c.* & Matth: 16. *Tu es Chriſtus filius Dei vivi.* tum etiam authorit: D. Auguſt: lib: contra Secundinum Manich. cap: 5. *Lege*, inquit, *ſcripturas, & nunquam invenies de Chriſto dictum, quod adoptivus ſit Filius DEI.* Idem docuit Conc: Francofurt: ſub Adriano 1. Tum etiam ratione: Filiatio adoptiva, & naturalis, exigunt duas perſonas, quarum una eſt extranea, ſed ſine errore duas in Chriſto perſonas admittere non poſſumus; ergo nec dicere, quòd ſit Filius adoptivus.

Requiſita ad filiationem naturalem.

Confirm. Ut aliquis dicatur filius naturalis alicujus Patris, ſufficit, quòd procedat naturaliter ab ipſo, in ſimilitudinem naturæ intellectualis, vel quod ex vi ſuæ generationis, uniatur perſonæ ſic ab ipſo procedenti, ſed humanitas Chriſti, in primo inſtanti reali ſuæ conceptionis & generationis, fuit unita Verbo, à Patre æterno, in ſimilitudinem naturæ producto: ergo Chriſtus etiam, ſecundùm quod Homo, eſt Filius Dei naturalis, & non adoptivus.

Obijc: Ideò nos dicimur Filij adoptivi Dei, quia ex gratuita Dei voluntate mediante gratiâ ſanctificante acquirimus jus ad hæreditatem æternam, ſed Chriſtus acquiſivit ſimiliter jus ad hæreditatem æternam mediante gratiâ ſanctificante, ergo eſt Filius adoptivus. ℞. negando maj: præcisè, ſed quia

præ-

prætereà persona nostra est diversa, à persona Filij naturalis; at persona Christi non est distincta à persona filij naturalis: ergo.

ASSERTIO X. Beatissima Virgo nunquam infecta fuit maculâ peccati originalis. *Virgo Maria sine peccato concepta.*

Probatur 1. Quod cedit in laudem & perfectionem Matris Dei, asserendum est, nisi ratione, vel authoritate constet oppositum, sed in laudem & honorem Virginis gloriosæ cedit, quòd concepta fuerit sine peccato originali, & oppositum nec ratione, nec authoritate probatur. ergo. Maj: est certa. Prob: min: cedit in laudem & perfectionem Virginis, quòd paulò post conceptionem fuerit sanctificata, & liberata à peccato originali, secundùm adversarios: ergo similiter cedit in honorem, & laudem ejus quod sanctificaretur, & liberaretur ab originali pro primo instanti suæ conceptionis, hoc est, infusionis animæ ad corpus. *Probatio à ratione.*

Confirm. Diva Virgo non esset summè obligata suo Filio, ut Mediatori, nisi ab eo summum acciperet bonum, quod potest per mediatorem haberi; sed præservatio à culpa originali potest haberi à mediatore pro quocunq; instanti, quia in hoc nulla est implicantia, ergo.

Authoritates Patrum, pro hac Catholica assertione, fusissime vide citatas in Rosario Cavelli, quod per modum appendicis in fine lib: 3. sent: nostri Doctoris habetur; quas authoritates dum videret Blosius, vir pius & venerabilis, admirabundus, exclamavit in hunc modum: *Mirum sanè est, adhuc in nostro ævo inveniri aliquos, qui puritatem Virginis* *Probatio ab authoritate.*

vocant in dubium, pias aures offendit, quisquis modò asserere non veretur præcelsam illam Heroidem, quæ Spiritibus Angelicis sanctior est, obnoxiam fuisse peccato originali, quod hominem facit membrum diaboli, & filium iræ.

Pro hac assertione, adducunt multi authoritates Divorum, Dominici, in tract: de corp: Christi contra hæreticos Albigenses, & Thomæ in 1. d. 44. & 3. & lect: 6. in cap: 3. ad Galat: sed quia Dominicani non libenter hoc audiunt, & quòd nostra conclusio illorum non indigeat patrocinio, sic illas omitto. unde

Obijc: Ad dignificandam Beatissimam Virginem, non debet aliquid asseri, quod cederet in præjudicium Christi, sed cedit in præjudicium Christi, si dicatur, quòd sit concepta sine peccato originali. ergo. Prob: min: quia inde sequeretur Christum non futurum tam perfectum redemptorem generis humani, ac esset, si illa conciperetur in peccato originali. ergo. ℞. concedendo maj: & negando min: sicut & ejus probationem, nam ad hoc ut dicatur redemptor Virginis, sufficit, quòd ex prævisa morte ejus, & aliorum meritorum cumulo, eam ab omni labe præservaverit Altissimus, conferēdo illi in primo instanti conceptionis gratiam sanctificantem; & non includendo illam in pacto communi inito cum Adamo in paradiso; qui redemptionis modus, multò excellentior est, quàm si post lapsum à macula eam liberaret.

Modus redemptionis B. Virginis ab omni labe excellentissimus.

Obijc: 2. Illud Scripturæ Rom: 5. *Omnes in Adam peccaverunt.* *Confirm:* Authoritate SS. Patrum Damasceni & Augustini lib: de fide ad Petrum: *Firmissimè*, inquit, *tene, & nulla-*

nullatenus dubites, omnem hominem, qui per concubitum viri & mulieris concipitur, cum peccato originali nasci. Sed sic fuit concepta B. Virgo: ergo. ℞. Paulum esse intelligendũ tam in illo, quàm etiam in alijs locis cum distributione accõmoda, quasi diceret, *Omnes*, exceptâ B. V. & Christo. Ad Augustinum etiam similiter respondeo, eum nimirum esse intelligendum, cum exceptione accommoda, nam ut ipse affirmat, de natura & gratia c. 3. *Cùm de peccatis agitur, de B. Virgine nullam prorsus vult habere quæstionem.*

Christus nõ meruit incarnationem.

ASSERTIO XI. Nec defacto Christus meruit sibi incarnationem; nec de ulla potentia potuit illam mereri per merita antecedentia illam. *Prob: 1. pars.* 1. Ex varijs Scripturæ locis, in quibus hoc mysteriũ solius Dei misericordiæ & benignitati adscribitur, sic habetur ad Titum 3. *Apparuit benignitas & humanitas Salvatoris Dei nostri, &c.* Lucæ 1. *Per viscera misericordiæ Dei nostri.* sed si natura humana Christi antecedenter ad unionem hypostaticam meruisset incarnationem, non esset opus benignitatis, aut misericordiæ, incarnatio Verbi, sed potiùs justitiæ, ergo.

Prob: 2. ratione. Omnia opera Christi præsupponebant ipsum Christum existentem; ergo non merebantur ipsius existentiam.

Quid sit Christus.

Prob: 2. pars. Nec Christus unquam fuit, nec divinitùs esse potuit, sine unione hypostatica ad Verbum: ergo non potuit habere ulla opera meritoria antecedentia incarnationem, per quæ mereretur illam. Prob: antec: quia Christus nil est aliud, nisi humanæ & di-

& divinæ naturæ in eodem ſuppoſito Verbi unio: ergo non poteſt eſſe ſine ulla unione.

Obijc: Chriſtus meruit humanitatem ſuam reuniri divinitati in reſurrectione; ergo poterat etiam primam unionem humanitatis ad Verbum mereri. Prob: conſequentia. ſecunda unio non eſt minoris dignitatis quàm prima; ergo ſi meruit ſecundam, potuit & primā mereri. ℞. concedendo antec: & negando conſequentiam, ejúſq; probationis conſequentiam, & ratio diſparitatis eſt, quia Chriſtus ipſe, & merita ejus quaſi omnia, præceſſerunt ſecundam illam unionem, quæ facta eſt poſt triduum mortis, & ſic poterat illam mereri: At nec ipſe Chriſtus, nec meritum ipſius actu exhibitum, præceſſit primam unionem hypoſtaticam naturæ humanæ ad Verbum, & conſequenter per merita antecedentia non poterat illam mereri.

Natura humana divinitùs incarnationem mereri potuit.

ASSERTIO XII. Potuit divinitùs natura humana Chriſti antecedenter ad unionē hypoſtaticam, mereri incarnationem Filij Dei. *Ut probetur Concluſio*, Adverte eam ſupponere, quòd natura humana Chriſti ſub propria perſonalitate exiſtere potuerit per certum tempus, antequam aſſumpta fuit à Verbo divino. quo ſuppoſito

Prob: Concluſio independenter à meritis Chriſti; Potuit Deus divinitùs conferre tali naturæ ſic exiſtenti, gratiam ſanctificantem, aliáq; requiſita ad opera meritoria de condigno; ergo in tali caſu potuiſſet natura humana Chriſti mereri incarnationem Filij Dei; nec contra hoc militat inæqualitas meriti ad præ-

præmium, ut patet ex dictis assert: 9. Columnâ 24. de Merito; nec etiam, quia principiũ meriti non potest cadere sub merito; quia nos non dicimus, quòd Christus potuisset sibi mereri unionem hypostaticam; sed potiùs quòd natura humana Christi, casu quo præcederet unionem hypostaticam, haberétq; omnia requisita ad meritum de condigno, potuisset talem unionem mereri.

ASSERTIO XIII. De potentia absoluta pura creatura potest mereri unionem hypostaticam quoad substantiam; defactò tamen, nec Beata Virgo, nec SS. Patres eam sic meruerunt. *B. Virgo nõ meruit incarnationem.*

Prob: 1. pars. Tum ex dictis assert: præced: tum etiam, quia in hoc nulla est implicantia; tum denique, quia inter meritum & præmiũ non requiritur æqualitas; ergo de potentia absoluta potest pura creatura mereri incarnationem quoad substantiam. Prob: ultimũ antecedens: si deberet esse æqualitas inter meritum, & præmium de condigno, nemo prudenter operaretur merens, commutando scilicet meritum de condigno, pro præmio, ut examinanti patet; nam si unum est æq; bonum ac alterum, moraliter loquendo, cur possit quis prudenter laborare, commutando unum pro altero? ergo. Deinde secundùm Vasquem (contra hunc agimus) præmium quandoq; exceditur à merito, sine offensione justitiæ cõmutativæ, ut patet in merito Christi, quod secundùm ipsum, infinitum est ratione personæ: ergo à paritate præmium potest *Impugnatur Vasquez.*

test excedere meritum de condigno, sine offensione justitiæ commutativæ; imò defactò excedit, quia justi in via merentur gloriam de condigno, quæ longè excedit eorum merita, juxta illud Apost: *Non sunt condignæ passiones hujus temporis, &c.*

Prob: 2. pars. Tum quia nullum est opus inter omnia Dei opera ad extra, magis gratuitum, quàm sit hoc Incarnationis opus, ut patet ex illo Lucæ 1. *Per viscera misericordiæ Dei nostri, &c.* ergo. Tum etiam, quia nec beata Virgo, nec Sancti Patres potuerùnt mereri substantiam incarnationis, nisi mediante gratiâ; sed antequam Deus decrevit aut uni, aut alteri dare gratiam, decrevit incarnationem quoad substantiam: ergo. Prob: minor. Omnis gratia collata Sanctis omnibus, fuit ipsis data intuitu meritorum Christi prævisorum; ergo merita Christi prævisa præcesserunt collationem omnis gratiæ, & consequenter meritorum, B. Virgini collatæ. Subsumo, sed merita illa Christi non fuerunt prævisa absolutè futura, antequam prævisa fuit incarnatio: ergo.

Objic: Diva Virgo secundùm Scotum meruit esse Mater Dei (hoc enim cedit in dignitatem & gloriam Virginis, & non implicat) ergo meruit incarnationem quoad substantiam. Prob: consequentia. Si B. Virgo meruit esse Mater Christi, meruit similiter quòd Christus sit Filius ejus per generationem, sed hoc est mereri incarnationem quoad substantiam, ergo. ℟. concedendo antec: ne-


gando

gendo. consequ: ad cujus probationem dico B. Virginem utrumq; meruisse, quòd scilicet sit Mater Christi, & etiam quòd Christus sit Filius ipsius; sed nego hoc esse mereri incarnationem quoad substantiam, nam nec maternitas Virginis, nec Filiatio temporalis Christi ad Matrem, est de substantia incarnationis; quia potuit fuisse incarnatio quoad substantiam, solo DEO efficienter concurrente ad generationem, & productionem ejus, sine ulla Matre; & consequenter nec generatio ejus à Matre, nec Maternitas, aut Filiatio, est de substantia incarnationis.

Nec maternitas, nec filiatio temporalis est de substantia incarnationis.

EPYSTILIUM PROBLEMATICUM COLUMNÆ XXVI.

Quisquis Beatam Virginem sine labe conceptam fuisse divinitùs propugnat, Scotista est; an ergo Neutristæ Scotistæ dicendi sunt?



COLUMNA XXVII.

De existentia, idiomatum communicatione, ac Gratia Christi.

Duæ existentiæ, duæq; voluntates in Christo.

ASSERTIO I. In Christo duæ sunt existentiæ, duæq; voluntates, non duo tamen, sed unus est Christus.

Prob: 1. pars. In Christo dantur duæ essentiæ, realiter inter se distinctæ, quarum una est creata, & altera increata, ergo & duæ existentiæ. Antec: est de fide. Probatur ergo consequentia, nec realiter nec formaliter existentia ullius rei, distinguitur ab ejus essentia (ut fusè probavi in Metaphysica, & satis evidenter assert: 4. columnæ 2.) ergo si dantur in Christo duæ essentiæ, seu naturæ, quarum una est creata, & altera increata, dabuntur etiam duæ existentiæ.

Prob: 2. pars, quæ est de fide, sæpè definita contra Monothelitas; in Scriptura frequenter Christus dicit suam voluntatem distingui à voluntate Patris; sed hoc non esset verum, nisi in ipso essent duæ voluntates; ergo. prob: maj: Lucæ 22. *Non mea voluntas, sed tua fiat.* Joann: *Non quæro voluntatem meam, sed ejus, qui misit me, Patris.* ergo. Prob: jam minor: Natura divina, quæ est in Patre, est etiam in Christo, ergo & voluntas, quæ est attributũ absolutum naturæ divinæ Patris, est etiam in Christo.

Ut

Ut probetur 3. pars, Adverte, quòd in hoc incarnationis, nec non supremo Trinitatis mysterio, hæ voces, unus, alius, duo, tres, in masculino genere sumptæ, hypostasim, seu personam significent; In neutro verò genere acceptæ, unam, vel plures naturas significant: unde in divinis non licet dicere aliud Pater, aliud Filius, aliud Spiritus Sanctus, aut Pater, & Filius sunt duo neutraliter, quia termini illi in neutro genere sumpti connotant naturam, quæ in divinis non multiplicatur, in masculino verò genere connotant suppositum; propterea congruè loquitur qui dicit, alius est Pater, alius Filius, alius Spirirus sanctus. jam

Christus non est aliqua duo.

Prob: Conclusio, tum ex 5. Synodo gener: colla: 8. cap: 1. Et ex Lateran: sub Martino I. consult: 5. can: 6. quibus in locis expressè definitur: tum etiam, quia ly duo masculinè sumptum, denotat dualitatem suppositi seu personæ, sed in Christo non sunt duo supposita, ut est de fide: ergo.

Nec etiam potest dici duo neutraliter, quia quamvis includat aliqua duo, id est, duas naturas, adhuc tamen una ex illis de illo in recto prædicari non potest, nempe creata, sed deberet sic dici de illo, si essent aliqua duo neutraliter: ergo. min: est communis: probatur ergo maj: abstractum in creatis non potest prædicari de suo concreto (ut fusè ostendi in Logica) ergo de Christo natura humana in recto prædicari non potest, & consequenter non erunt aliqua duo.

Obijc: contra 1. partem, eadem res, duplici simul existentiâ existere non potest, sed hoc

esset

esset falsum, si in Christo essent duæ existentiæ: ergo. maj: est certa. Prob: min: suppositum Christi existeret simpliciter existentiâ increatâ, & in casu nostræ assertionis, existeret etiam existentia creata; ergo existeret duplici existentia. ℞. dist: maj: duplici existentiâ, ita ut utraq; sit ipsi intrinseca, concedo maj: ita ut una conveniat ipsi ab intrinseco, & altera ab extrinseco, seu per communicationem idiomatum, nego maj: & distinctâ similiter min: nego consequentiam.

Obijc: contra 2. partem, duas Epist: Honorij Papæ ad Sergium, relatas in 6. Synodo generali act: 6. & 7. in quibus Pontifex definivit oppositum nostræ conclusionis: ergo. ℞. Honorium propter illas epistolas laudatum non fuisse in sexta Synodo; aliqui tamen dicunt injustè Pontificem fuisse ad minimùm condemnatum, quia tantùm voluit dicere, quòd in Christo fuit conformitas voluntatũ, an autem ita est, Deus scit. Lege Bellar: lib: 4. de Rom: Pontif: cap: 11.

Obijc: 2. contra eandem. Personæ divinæ dicuntur tres masculinè propter Trinitatem personarum; & unum neutraliter propter unitatem naturæ; sed in Christo sunt duæ naturæ, ergo debet dici duo neutraliter. ℞. disting: maj: propter unitatem præcisè nego maj: propter unitatem naturæ, quæ de illis in abstracto, & in concreto dici potest, concedo maj: & disting: similiter min: includit duas naturas, quarum quælibet est de illo in abstracto prædicabilis, nego min: quarum quælibet non est de ipso prædicabilis, concedo min: & nego consequentiam.

A S-

ASSERTIO II. Ambæ voluntates in Christo fuerunt propriè loquendo liberæ, & inter se optimè conformes. Est quoad utrāque partem de fide. *Cóformitas volunt atum in Christo.*

Probatur 1. pars. De voluntate increata primò, assert: 4. Colum: 5. ergo *Prob: 2. eadem pars* Esaiæ 53. *Oblatus est, quia ipse voluit.* Joannis 10. *Ego pono animam meam, &c.* ergo. Deinde libertas & dominium propriarum actionum, maxima est perfectio in agente à proposito; sed Christus est tale agens. ergo fuit liber in suis actionibus.

Probatur 2. pars. Voluntas humana Christi efficaciter nunquam voluit impedire, quod divina ejus voluntas præcepit, aut voluit efficaciter exequi: ergo nunquam fuit illi efficaciter contraria. Prob: antec: Joann: 4. *Meus cibus est, ut faciam voluntatem, &c.* & 5. *Non quæro voluntatem meam, &c.* ergo.

Obijc: contra 2. partem. Voluntas divina efficaciter voluit mortem Christi, & creata noluit, aliàs non posset dicere quòd tristaretur, & doleat de sua morte: ergo in Christo fuit contrarietas voluntatum. ℞. dist: antec: pro 2. parte, noluit illam mortem efficaciter; nego anteced: inefficaciter & conditionatè, transeat antec: & nego consequentiam.

ASSERTIO III. Hæc Propositio, Christus est creatura absolutè est vera. *Prob:* tum authorit: D. Hieronymi super Epist: Pauli ad Ephes: *Multi,* inquit, *trepidant, ne Christum creaturam dicere compellantur, nos verò liberè proclamamus, non esse periculum illum dicere creaturam.* Idem docet August: epist: 57. & in Enchridio cap: 58. Tum etiam ratione: *Christus est creatura.*

Ho-

Homo est creatura, sed Christus est homo, ergo est creatura. Tum deniq;, quia Christus absolutè dicitur de novo genitus, mortuus, & sepultus, quæ ratione naturæ humanæ tantùm illi conveniunt, ergo similiter potest dici creatura.

Obijc: Multi ex SS. PP. ut videre est apud Arriagam hic, negant illam propositionem, ergo. ℞. eam illos negare in sensu Arianorum, qui dixerunt, Christum esse puram creaturam, non verò in sensu Catholicorum, qui noster est, unde nego consequentiam. Hoc etiam modo explicari potest Doctor in 3. d. 11. q. 2. ubi videtur nobis contrarius.

Christus incepit esse

ASSERTIO IV. Potest de Christo verè dici, quòd inceperit esse. *Prob:* Potest de Christo dici quòd sit creatura, genitus tēporaliter, mortuus & crucifixus, quamvis prædicata illa secundùm solam humanitatem illi conveniant, ergo similiter potest dici, quòd inceperit esse, quamvis secundùm humanitatem solam hoc illi conveniat.

Obijc: De Christo dicitur, quòd sit æternus: ergo non potest de eo simpliciter dici, quod inceperit esse. ℞. distin: consequens, quòd inceperit esse secundum divinitatem, concedo consequentiam, secundùm humanitatem, nego consequentiam, sicut &, quòd ab ullo unquam Concilio aut Patre, in nostro sensu propositio nostra damnata sit.

Christus est Dei servus.

ASSERTIO V. Christus secundùm naturam humanam fuit verè Patri subjectus, ejúsq; servus. *Prob:* tum ex Script: Esaiæ 42. *Ecce servus meus, suscipiam eum.* & 55. *Justificavit*

vabit ipse justus servus meus multos. quibus in locis sermo est de Christo, ut docent SS. PP. unde Hier: super cap. 42. Esaiæ ait: *Nec mirum si servus vocatur factus ex muliere, qui cùm in forma Dei esset, humiliavit se, formam servi accipiens.* Tum etiam ratione, Deus est verus Dominus Christi, ut homo est, ergo Christus ut homo est verus Dei servus. Prob: antec: Dominium omnium rerum conditarum tam est intrinsecum, & connaturale Deo, ut ipsemet se illo privare non possit; sed Christus ut homo numerandus est inter res à Deo conditas, ergo.

Confirm: Ad fundandam relationem verã servitutis in creatura, aliud non requiritur quàm essentialis dependentia, & subordinatio ejus ad alterum, ratione cujus subordinationis, est sub potestate alterius; sed Christus secundùm naturam humanam dependet essentialiter à Deo, fuitq;, & est illi subordinatus, ergo ut homo, est, & fuit verus Dei servus.

Obijc: Concilinm Francofurt: simul cum Epistola Adriani Papæ damnant eos, qui Christum servum Dei appellant: ergo. ℟. (omissis varijs aliorum resolutionibus apud Suarem hic disp. 44. sect: 1. videndas) Papã, & Concilium condemnâsse ibi Elipandum, & Felicem Nestorianos, qui in sensu Nestorij simpliciter, & sine ulla determinatione, Christum dixerunt servum, hoc est, purum & solum hominem, creatâ personalitate subsistentem; quod non est contra nos, qui Christum divinâ personalitate subsistentem, secun-

cundùm humanam nuturam tantùm servum appellamus.

Pro intelligentia sequentium Adverte, nos per communicationem idiomatum in Christo idem intelligere, ac communicationem proprietatum attributalium, utriusq; naturæ, & imperfectionum naturæ humanæ, ratione cujus una potest dici de altera, unde fit.

Cõmunicatio idiomatum.

ASSERTIO VI. Prædicata omniá, & attributa divina, quæ possunt dici de Verbo, possunt etiam dici de Christo, & etiam de homine, nisi ex natura ipsorum prædicatorum contrarium colligatur.

Prob: De Christo, & consequenter de homine dicitur, quòd sit Deus, omnipotens, omniscius, infinitæ bonitatis, & misericordiæ, ut expresè varijs in locis clamant Scripturæ: ergo.

Dixi, *quæ dicuntur de Verbo*, quia prædicata divina, quæ de Verbo non dicuntur, ut sunt hæc, est generans, est Pater æternus, est Spiritus Sanctus, &c. nequeunt dici de Christo, aut homine defactò. Dixi etiam, *nisi ex natura ipsorum prædicatorum, &c.* quia licet de Verbo dicitur, quod assumpsit humanam naturam, hoc tamen prædicatum de Christo, aut homine, dici non potest, propter repugnantiam, quæ in adjecto est.

ASSERTIO VII. Prædicata omnia convenientia humanitati, possunt dici in concreto de Christo, Verbo æterno, & Deo.

Patet, quia possum dicere, quòd Christus, (idem dic de alijs) sit substantia, creatura, vivens,

vens, animal, &c. Dixi *in concreto*, quia in abstracto illa prædicata, ſicut nec de Chriſto, ſic etiam nec de Verbo æterno, aut Deo in abſtracto dici poſſunt, ut patet ex ijs, quæ in Logica dixi de prædicatione abſtracti de concreto; & per hoc patet, cur hæ prædicationes, divinitas eſt homo, aut humanitas eſt homo, aut humanitas eſt Deus, falſæ ſint.

ASSERTIO VIII. Prædicata divina non poſſunt dici de Chriſto, Verbo, aut homine, in ſenſu reduplicativo humanitatis, nec è contra prædicata humana in ſenſu reduplicativo divinitatis. Et ratio eſt, quia per illa prædicata ſignificaretur, quòd ratio, cur prædicata humana convenirent Chriſto, aut Verbo, eſſet divinitas, & cur prædicata divina illi convenirent, eſſet humanitas, quod nemo dicet.

Quomodo Prædicata divina poſſunt dici de Chriſto.

ASSERTIO IX. Nulla prædicata competunt Chriſto, aut Verbo poſt incarnationem, quæ denotarent ipſum non habere utramq; naturam, aut naturam humanam habere perſonalitatem propriam. Patet, quia de Chriſto dici non poteſt quòd ſit purus homo, aut ſolummodò Deus. Hinc ſequitur veritas ſequentis aſſertionis.

ASSERTIO X. Quidquid eſſentialiter prædicatur de Deo, aut de Verbo divino, per communicationem idiomatum, poteſt dici de homine in Chriſto; & è contra, quidquid dicitur de homine, ſecluſâ perſonalitate, & alijs quæ eam ſequuntur, poteſt in concreto dici de Chriſto. Hæc eſt communis, & patet tum ex dictis, tum etiam ex ſcri-

Prædicata eſſentialia Dei poſſũt dici de homine, & è contra.

ptura, varijs in locis, ut Lucæ 10. Joan: 10.&c. Ratio autem desumitur ex unione utriusque naturæ, in unitate ejusdem suppositi. ergo.

Gratia habitualis nō necessario requiritur ad sanctitatem animæ Christi.

ASSERTIO XI. In anima Christi fuit gratia habitualis; potuit tamen divinitùs sine illa sancta esse, & Deo grata. *1. pars* quæ à multis dicitur esse de fide, probatur omnibus illis Scripturæ locis, in quibus Christus dicitur unctus, ut Act: 1. *Quomodo unxit eum Spiritu sancto.* Psal: 44. *Propterea unxit te Deus,&c.* Joann: 1. *Vidimus gloriam ejus, quasi unigenitum à Patre, plenum gratiâ,&c.* Prob: 2. ratione, perfectiones à Deo nobis concessæ, & quæ in suo conceptu formali, nullam dicunt imperfectionem, aut repugnantiā cum unione hypostatica, negari non debent Christo; sed gratia habitualis est talis perfectio: ergo.

Probatur 2. pars, ex sæpè dictis de concursu Dei, se solo supplentis concursum causæ secundæ, in ordine ad justificationem. ergo.

Defacto requiritur gratia habitualis.

ASSERTIO XII. Anima Christi defacto non esset grata, & sancta formaliter, sine habituali gratia. Hæc est Scotistarum omnium, solo excepto Pontio, qui sine ulla necessitate à sua recessit Schola. *Prob:* Non redditur anima Christi formaliter sancta, aut grata Deo, per divinitatem, nec etiam per unionem hypostaticam; ergo per solam gratiam habitualem. Prob: antec: de Divinitate, Anima Christi dicitur formaliter sancta, ratione alicujus formæ inhærentis ipsi; sed divinitas nulli rei inhærere potest per modū formæ; ergo.

Con-

Confirm: Divinitas vi suæ unionis cum natura humana, non magis sanctificat animam quàm corpus; quia non magis unitur uni, quàm alteri; sed non sanctificat corpus formaliter; ergo nec animam.

Prob: etiam antec: (principaliter loquendo de unione) Unio secundùm se non sanctificat animam, ergo. Prob: antec: Unio illa hypostatica stare potest cum actuali peccato, & æq; unire naturam irrationalem, ac rationalem, ut probavimus suprà, sed hoc esset falsum, si Unio illa actualiter & formaliter sanctificaret animam Christi; ergo.

Obyciunt adversary 1. varia Scripturæ loca, quibus Christus dicitur sanctus, ergo est sanctificatus formaliter per Unionem hypostaticam. ℞. negando consequentiam, quia cum Scriptura non determinet, per quid sanctificetur, omnia quæ dicit, possunt esse vera, affirmando quod sanctificatur formaliter per gratiam habitualem.

Obyciunt etiam plurima SS. PP. loca, qui dicunt Christum per unionem sanctificari; ergo. ℞. SS. PP. tantùm velle, quòd sanctificetur anima Christi, per ea omnia dona supernaturalia, quæ simul cum unione Christi collata sunt: inter quæ primum locum obtinet gratia habitualis, quæ pro primo instanti conceptionis Christi, animæ ejus sacratissimæ oblata fuit.

ASSERTIO XIII. Gratia habitualis animæ Christi, summa est non positivè, sed negativè. Hanc ut intelligas adverte, illud dici summùm positivè, quod ita excedit omnia alia istius generis, ut nullum sibi in eodem gene- *Gratia Christi summa, non positivè, sed negativè.*

genere habeat æquale, aut habere possit: negativè verò summum dicitur illud, quod licet in suo genere habeat sibi æquale, ita tamen est summum, ut à nullo simili excedatur; & in hoc sensu aqua calida ut octo, dici potest summè calida. his notatis *Prob:* tum ex Script: Joannis 1. *Vidimus gloriam ejus*, &c. *plenum gratiâ, &c.* Tum etiam ratione, Christus fuit naturalis Dei filius; ergo decens erat, ut anima ipsius perfectiori ornaretur gratia, quàm defactò unquam ullus habuit; sed hoc est habere gratiam negativè summam, si non aliquid ultra; ergo.

Quod verò non habuerit positivè summã, seu quà perfectiorem alius non posset habere, prob: tum quia nec ratione, nec authoritate id ostenditur; tum etiam, quia nulla est in hoc implicantia, ut Deus liberaliter alteri animæ tot gratiæ gradus concedat, quod defactò concessit animæ Christi, sed hoc est, quod intendit conclusio. ergo.

Nec valet dicere, conta conclusionem, quòd JESVS proficiebat sapientiâ, ætate & gratiâ apud Deum, quia locus ille intelligendus est de profectu ad extra, eliciendo nimirum quotidie opera magis, ac magis Deo, & hominibus placentia; non verò de profectu interno, seu augmento novæ gratiæ habitualis. Quod dixi hic de gratia habituali, idem, ob eandem rationem affirmo de fruitione, ac visione beatifica.

Christus est caput Ecclesiæ.

ASSERTIO XIV. Christus etiam quà homo, non solùm est caput Ecclesiæ, tam triumphantis in cœlo, quàm militantis in terra, sed etiam est caput Angelorum.

Prob:

Prob: 1. pars ex Scriptura Math: ult: *Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra.* Ad Ephes: 10. *Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam.* Philipp: 2. *In nomine JESU omne genu flectatur*, &c. ergo ex mente Scripturæ, Christus est caput totius Ecclesiæ, tam triumphantis, quàm militantis.

Probatur 2. ratione. Ad rationem capitis quomodocunq; desiderati, sufficit, quòd sit præcipuum membrum corporis illius cujus dicitur caput; quod influat in reliqua membra, motum & virtutem eis præbendo; ac deniq;, ut cum reliquis membris quandam habeat conformitatem, sed ista omnia conveniunt Christo respectivè ad Ecclesiam tam triumphantem, quàm militantem, ut per se patet. ergo.

Probatur 2. pars ex Scriptura ad Coloss: 1. *Quoniam in ipso*, id est Christo, *condita sunt universa in cœlis, & in terra, visibilia, & invisibilia, &c.* ergo. Tum etiam, quia cedit in perfectionem Christi, si verè dicatur, quòd sit caput hominum, & Angelorum. ergo.

Obijc: Angeli sunt perfectiores Christo, quà homine; ergo non potest esse caput illorum. ℞. dist: antec: Perfectiores essentialiter, transeat antec: accidentaliter, hoc est, in donis supernaturalibus gratiæ, & gloriæ, nego antec: & consequentiam.

Fides in Christo nō fuit.

ASSERTIO XV. Nec Fides, nec Spes Theologica, sive quoad actus, sive quoad habitus in Christo fuerunt. *Probatur 1. pars*, & primo de fide actuali; Fides illa est semper annexa cum obscuritate & inevidentia, ut patet ex assert: 1. colum: sed Christus à

primo instanti suæ conceptionis habuit clarissimam & perfectissimam cognitionem rerum omnium, in essentia divina, ut posteà dicemus. ergo. Probatur etiam eadem pars de fide habituali. Habitus ordinatus ad aliquem actum, sine necessitate admittitur, ubi operari non potest; sed habitus fidei est talis, & in Christo, eliciendo actum, operari non potest, ut jam dixi; ergo non debet admitti.

Prob: 2. pars, & simul etiam prima, tum ex Apost: *Cùm venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est*, id est, dum venerit visio, & lumen gloriæ, ut exponunt SS. PP. desinet esse fides,& spes tam habitualis,quàm actualis: ergo. Tum etiam, quia spes est semper de rebus absentibus, & quas nec videmus, nec possidemus, juxta illud Apost Roman: 8. *Spes quæ videtur, non est spes*; sed à primo instanti suæ conceptionis clarissimè Christus vidit, & perfectissimè possedit primarium sui objectum, Deum scilicet, sub ratione summi boni: ergo circa illud objectum, nunquam habuit actum spei, nec consequenter habitũ illius.

Obijc: contra 1. partem. Fides erit cinctorium renum ejus. Esaiæ 1. ergo Christus habuit Fidem. ℟. cum S. Hieron: Per fidem ibi intellige fidelitatem, & veracitatem in servandis promissis, unde nego consequentiam.

Obijc: contra 2. partem. Quamvis Christus non habuit actum spei circa objectum suum primarium, habuit tamen actum circa objectum secundarium, gloriam scilicet sui corporis,

poris, & nominis exaltationem, quod nondum in ſtatu viæ poſſedit, ergo habuit actum ſpei. ℞. negando antec: quia gloria corporis Chriſti non ſolùm fuit illi ardua, vel difficilis, ſed nec etiam fuit incerta, contingens, aut fallibilis, ut deberet eſſe, ſi circa illam haberet Deus actum ſpei. Deinde inter gloriam corporis, & animæ ipſi conjunctæ tanta eſt connnexio, ut poſito uno, hoc ipſo ponatur altera, niſi ſupernaturaliter impediatur redundantia gloriæ animæ in corpus, & ſic Chriſtus gloriam animæ ſperare non potuit: ergo nec corporis.


Dona, & Virtutes erant in Chriſto.

ASSERTIO XVI. In Chriſto fuerunt Dona Spiritûs ſancti, & abſq; imperfectione omnes gratiæ gratis datæ. *Probatur 1. pars.* quia illa dona dicunt perfectionem abſq; imperfectione, ergo Chriſto negari non debent.

Probatur 2. pars. Chriſtus exercuit in actu ſecundo gratias omnes illas gratis datas, quas annumerat Apoſt 1. Corinth: 12. ergo habuit illas.

EPISTYLIUM PROBLEMATICUM COLUMNÆ XXVII.

An Gratia Capitis in Chriſto, diſtinguatur à gratia ejus habituali?



COLVMNA XXVIII.

De Scientia, & Merito Christi.

Habuit scientiam beatam.

ASSERTIO I. Anima Christi à primo instanti suæ conceptionis habuit scientiã beatam, & perfectam Dei visionem.

Prob: 1. ex Scriptura Joann:3. *Quod scimus loquimur, & quod vidimus testamur.* Et infra: *Qui de cœlo venit super omnes est, & quod vidit, & audivit, hoc testatur.* *Prob: 2. ratione.* Christus à primò instanti suæ conceptionis, fuit Filius Dei naturalis; ergo ab illo instanti habuit perfectam Dei visionem.

Confirm: Nihil est negandum naturæ humanæ Christi, quod ejus gloriam & honorem extollit & commendat, nisi quod ratione, vel authoritate urgenti, ei negari debet; sed neutro modo visio beata à primo instanti conceptionis ei negari potest: ergo à primo illo instanti, habuit perfectam illam visionem.

Obijc: Luc:24. *Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam;* ergo Christus ante resurrectionem non fuit beatus, & clarificatus. ℞. negando consequentiam; nam nec locus ille, nec alia quæ ab hæreticis adducuntur, loquuntur de gloria animæ Christi, sed potiùs de gloria corporis in resurrectione, & ascensione ipsius; & de manifestatione & exaltatione sui nominis.

Nõ fuit purus viator.

Obijc: 2. Christus fuit viator; ergo non ha-

habuit visionem & fruitionem beatificam. ℞. dist: antec: purus viator, nego antec: viator simul & comprehensor, concedo antec: & nego consequentiam.

ASSERTIO II. Licet Scientia beata animæ Christi fuerit negativè summa, non tamen fuit comprehensio divinæ essentiæ.

Visio comprehensiva negatur Christo.

Probatur 1. pars. Gratia animæ Christi fuit negativè summa, ut vidimus assert: 13. praeced: colum: ergo & scientia à paritate.

Probatur etiam 2. pars. tum ex dictis assert: 10. columnæ 2. tum etiam authoritate D. August: in lib: de cognitione veræ vitæ cap: 31. & in quæstiunculis de Trinitate, ubi ait, *Videri potest Deus per dona gratiæ, ab Angelis, & animabus Sanctorum, plenam verò divinitatis naturam, nec Angelus, nec Sanctorum ullus perfectè videre poterit, & ideò incomprehensibilis dicitur Deus.*

ASSERTIO III. Intellectus creatus animæ Christi, non videt actu in Verbo, omnia quæ ipsum Verbum videt. *Prob:* tum ex dictis assert: 7. columnæ 3. tum etiam, quia si anima Christi videret omnia actu quæ videt Verbum, deberet esse infinita, sicut & visio Dei; sed hoc illi repugnat, quia perfectiones particulares Dei creaturis repugnant: ergo. Prob: maj: Infinitas visionis Verbi colligitur ex eo, quod nihil est possibile, actuale, præteritum, aut futurum, quod non cognoscat, ergo si intellectus animæ Christi, omnia illa cognosceret, deberet esse infinitæ perfectionis, sicut est intellectus divinus, in cognoscendo.

Obijc: Intellectus animæ Christi per crea-

tam & finitam visionem, videt Deum in se infinitè perfectum: ergo quamvis videret objecta illa omnia infinita, quæ videntur à Verbo, adhuc visio ejus esset finita. ℞. concedendo antec: & negando consequentiã, nam perfectio visionis non colligitur ex perfectione objecti præcisè, sed potiùs ex diversitate objectorum, & difficultate tendendi in illa; certum enim est, faciliùs esse hominem unũ distinctè cognoscere, quàm totam arenam, quæ est in littore maris, quamvis homo sit multò perfectior illâ. Itaq; licet intellectus creatus defactò finitâ visione, infinitum cognoscat Deum, non tamen infinita objecta categorematicè distincta, propter rationem jam assignatam, & consequenter non videt omnia, quæ videt ipse Deus.

Unde oritur major perfectio visionis.

Modus videndi omnia in Verbo.

ASSERTIO IV. Intellectus animæ Christi videt omnia in Verbo habitualiter, non verò actualiter. *Prob:* Dignificanda est perfectio animæ Christi, omni meliori modo quo potest fieri, sine repugnantia, sed non repugnàt, ut omnia videat in Verbo habitualiter, in hoc sensu, quatenùs nulla sit res quam vult videre, & de qua interrogaretur, quam non statim videret. ergo.

Confirm: De fide est, Christum omnia cognovisse, ut colligitur ex illo Joann: 6. *Nunc scimus, quia omnia scis;* & ad Coloss: 2. *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi:* ergo cùm actualiter illa non cognoscat, ut vidimus assert: præced: restat ut habitualiter illa cognoscat.

Objic: Quilibet Beatus potest hoc modo omnia videre in essentia divina; ergo non est ali-

aliquid singulare in anima Christi. ℟. dist: antec: de lege ordinaria, nego antec: de potentia absoluta, hoc est, si Deus vellet omnia illa repræsentare, concedo antec: & nego consequentiam. Deus enim speculum est voluntarium, repræsentans in sua essentia omnibus, ea tantùm quæ vult, & quando vult, sic non repræsentat alijs beatis, nisi determinata objecta, ultra quæ non potest ullus ordinatè velle plura videre. Animæ vero Christi repræsentat omnia taliter, ut ad quodcunq; vult se convertere in illo speculo, statim illud videat.

Obijc: Christus ignoravit determinatum tempus universalis ac ultimi judicij, ut colligitur ex illo Marci 13. *De die autem illa, vel hora; nemo scit, neq; Angeli in cælo, neq; Filius, sed Pater: ergo.* ℟. negando anteced: nam locus ille script: tantùm vult, quòd Filius non scivit de illo die, ut revelaret illam discipulis, aut etiam alijs; cum quo stare potest, quod in se notitiam illius habuerit: Pater verò dicitur scire illum diem, quia non solùm in se habuit notitiam illius, sed etiam revelavit illam Christo, seu Filio suo. *Cur nō vident Beati omnia habitualiter.*

ASSERTIO V. Præter scientiam beatam animæ Christi, in ea etiam admittimus scientiam infusam rerum in genere proprio. *Videt etiā res in genere proprio.*

Probant hoc aliqui, quia Christus Lucæ 2. anno 12. suæ ætatis, inventus fuit inter Doctores, audiens & interrogans eos de lege, non sine admiratione adstantium, sed in tali ætate hoc non potuisset præstare scientiâ acquisitâ, ergo debebat fieri per infusam.

Fortè hæc probatio parum convincit, nam

Doctrina pueri 7. tantùm annorum.

anno 1649. dum adhuc Romæ, in florentissimo quondam S. Isidori Collegio, Theologiæ ipse operam navarem, puerulus septennis, ex integra Philosophia & Theologia, publicas cum applausu propugnavit Theses, & tamen diligentiâ Magistri omnia didicit.

Probatur ergo ratione. Decuit naturam humanam Christi omnem habere perfectionem competentem naturæ creatæ rationali, sive in ordine ad utilitatem, sive ad ornatum; sed scientia infusa rerum, & etiam acquisita in proprio genere, est maximum ornamentum animæ rationalis, ergo non debet Christo negari.

Probatur ultima pars Conclusionis, tum ex Script: Hebræ: 5. ubi de Christo legitur, quod cùm esset Filius Dei, didicit ex his quæ passus est obedientiam, ergo habuit scientiam experimentalem. Tum etiam ratione, quia multa fuerunt objecta, quæ secundùm existentiam actualem, non erant ab initio existentia, aut præsentia animæ Christi, in proprio genere, ut est certum; ergo non potuit in proprio genere intuitivè illa cognoscere, & consequenter, sicut successu temporis inceperunt esse existentia & præsentia ipsi, ita & ille incepit habere cognitionem intuitivam earundem.

Objic: Christus clarissimè vidit, & perfectè cognovit omnia in Verbo, ergo frustra poneretur cognitio eorundem in genere proprio. ℟. concedendo antec: & negando consequentiam, nam non est inconveniens, ut perfectam, & minùs perfectam ejusdem rei

cogni-

cognitionem, in diverso genere cognoscendi, & ex diversis motivis, quis habeat.

Obyc: contra ultimam partem. Si successu temporis acquisivisset notitiam rerum in genere proprio, quas antea in illo genere non cognovit, ignorantia istarum rerum fuisset antecedenter in illo, sed hoc repugnat perfectioni ipsius. ℞. dist: maj: fuisset in ipso antecedenter ignorantia, quæ esset privatio omnis scientiæ, talis rei in omni genere cognitionis, nego consequentiam: ignorantia, quæ esset privatio omnis scientiæ experimentalis, & intuitivæ cognitionis talis rei, in genere proprio, concedo maj: & dist: similiter min: nego consequentiam.

ASSERTIO VI. Christus meruit nobis per actus portionis inferioris, superioris, & etiam beatificos. Ut probetur hæc conclusio, adverte, in potentijs rationalibus, duplicem assignari à Theologis portionem, unam superiorem, inferiorem aliam; portio superior in intellectu, est ipsemet intellectus, in quantum contemplatur ipsum Deum, seu incommutabilem ejus veritatem. Inferior verò portio, est ipse intellectus, in quantum contemplatur inferiora hæc: similiter voluntas, prout respicit, & diligit æterna, per actus charitatis, dicitur portio superior, & prout fertur & diligit caduca hæc, & temporalia bona, dicitur portio inferior. His notatis

Per varios actus meruit nobis Christus.

Probatur 1. pars Conclusionis. Multa acciderunt Christo contraria affectioni commodi, ut sitis, fames, passio, &c, quæ tamen per actus portionis inferioris, propter Deum

gau-

gaudenter acceptavit, eiq; in satisfactionem pro peccatis nostris obtulit, ergo per actus portionis inferioris nobis meruit.

Prob: 2. & 3. pars Quia actus illi habuerunt omnia requisita ad rationem meriti; ergo meruit Christus nobis per illos etiã actus.

Obijc: contra hanc partem. Actus beatifici in Christo fuerunt simpliciter necessarij; ergo per illos actus nil meruit sibi, aut nobis. ℞. negando antec: quod ab Adversarijs non probatur.

Obijc: contra 1. & 2. partem. Christus secundùm utramq; portionem fuit in termino; ergo non potuit secundùm ullam portionem ex illis mereri. Prob: antec: loquendo de inferiori, de qua potest esse difficultas, illud est simpliciter in termino, quod nullum potest habere actum inordinatum circa finem ultimum; sed voluntas humana Christi, secundùm portionem inferiorem, non potuit habere talem actum inordinatum, quia fuit impeccabilis. ergo. ℞. negando antec: ejúsq; probationis maj: quia ut aliquid dicatur esse simpliciter in termino, non sufficit, quod non valeat elicere actum inordinatum, vel peccaminosum circa finem ultimum, aut aliquid tendens in ipsum; sed ulterius requiritur, ut sit perfectè & adæquatè conjunctum Fini, non solùm secundùm affectionem justitiæ, sed etiam commodi, quo modo portio inferior animæ Christi in via, non fuit conjuncta Deo, quia passa est multa incommoda in hac vita, quæ non potuisset pati, si fuisset ultimatè in termino.

ASSER-

ASSERTIO VII. Christus Dominus incepit mereri in primo instanti suæ conceptionis. *Prob:* Christus pro illo instanti habuit omnia requisita ad meritum, gratiam nimirum, potentiam liberam, non impeditam, & objectum præsens per intellectum: ergo meruit. Prob: consequentia, pro quocunq; instanti voluntas non impedita, est disposita ad agendum, potest exire in actum secundum, nisi impediatur; ergo cùm voluntas Christi in primo instanti conceptionis ejus, habuit omnia requisita ad hoc, ut possit exire in actum secundum meritorium, pro illo instanti potuit mereri, & consequenter de facto meruit.

Incepit mereri in primo instanti rationis.

Obijc: Esse præsupponitur ad operari; ergo & Christus ad suum meritum. *Confirm:* Christus pro primo instanti non habuit usum rationis, quia organa ejus non erant disposita, ergo non meruit. ℟. dist: antec: Prioritate naturæ, concedo antec: temporis, nego antec: & consequentiam. Ad Confirm: ℟. meritò Durandum notari Carbone à multis, propter illud argumentum: unde nego antecedens.

Ex hac conclusione infertur, Christum toto tempore vitæ suæ, sine interruptione meruisse, quia nunquam cessavit ab actibus bonis, & meritorijs. ergo.

ASSERTIO VIII. Christus Dominus meruit sibi gloriam corporis, & nominis exaltationem; non verò visionem, aut fruitionem beatificam.

Meruit sibi Christus aliqua, sed non visionem, aut fruitionẽ.

Prob: 1. pars ex script: Lucæ 22. *Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriã suam.*

Ad Hebræ: 2. *Vidimus Jesum propter passionem mortis, gloriâ & honore coronatum.* Ad Philip: 2. *Factus est obediens, &c.* Ex quibus locis clarè ostenditur, Christum sibi meruisse gloriam corporis, & nominis exaltationem.

Probatur 2. pars. Primus actus, quem defactò habuit voluntas Christi, in primo instanti conceptionis, fuit actus fruitionis beatificæ, & primus actus intellectûs, visio beatifica, ut anteà diximus, sed idem actus non potest esse simul meritum & præmium suiipsius: ergo Christus defactò non meruit visionem suam, aut fruitionem beatificam, nec consequenter lumen gloriæ, aut gratiam habitualem, ad illa prærequisita in potentijs.

Obijc: contra hanc partem. De potentia absoluta potuit Christus mereri fruitionem suã, ut docet Doctor in 3. d.18. q. unica, n. 12. ergo defactò dicendum est, quòd illa meruerit. Prob: consequentia, gloriosiùs est habere præmium ex merito, quando potest sic haberi, quàm sine merito, sed potuit haberi fruitio Christi ex merito ejusdem. ergo. ℟. concedendo antec: & negando consequentiam. Ad ejus probationem ℟. dist: maj: Gloriosius est, si acquisitio talis præmij non præsupponat aliquam imperfectionem in præmiando, concedo maj: si præsupponat, nego maj: & concessa min: nego consequentiam. acquisitio enim præmij intuitu meritorum, præsupponit carentiam aliquam istius præmij, & consequenter quòd acquirens præmium, transiret à statu imperfecto ad perfectum, quod longè imperfectius est, quam si aliquis nunquam caruisset tali præmio.

A S-

ASSERTIO IX. Omnis gratia homini lapso collata, sive sit fides, vel alia gratia, ad justificationem disponens, sive ipsa justificationis gratia; Item remissio omnis peccati, tam actualis, quàm originalis, ac tandem ipsa gloria æterna, sunt ex meritis Christi prævisis, vel actu exhibitis. Hæc est communis inter Catholicos.

Ex meritis Christi est omnis gratia nobis collata.

Prob: ex Script: varijs in locis: *Benedixit nos omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo*. Joann: 1. *De plenitudine ejus nos omnes accepimus*, (utiq; quidquid accepimus.) Idem habetur in varijs alijs, tam Scripturæ, ac Conciliorum, quàm SS. PP. locis, ergo. Ratio etiam est, quia nobis illa omnia mereri, cedit in laudem & gloriam Christi, ergo hoc est asserendum.

ASSERTIO X. Probabile est Christū meruisse Angelis, & primo etiam homini omnem gratiam, & gloriam, ipsis à Deo concessam. *Prob:* ex Scriptura ad Ephes: 1. *Proposuit omnia instaurare in Christo, quæ in cœlis, & terra sunt*. Joann: 14. *Nemo venit ad Patrē, nisi per me*. Ex quibus locis multi ex sanctis Patribus veritatem nostræ Conclusionis colligunt. Unde Cyrillus Alexandr: lib: 5. in Esai. Proph: cap: 54. ait: *Per ipsum enim* (id est Christum) *omnis fructificatio spiritualis, tam in sanctis Angelis, quàm in nobis insita est*, &c. ergo. *Probatur ratione*. Dignitas Christi multum extollitur, per hoc, quòd dicatur, quòd non solùm hominibus, sed etiam Angelis meruerit gratiam, & gloriam. ergò cum in hoc nulla sit inconvenientia, est asserendum.

Meruit Angelis & hominibus, etiam primam gratiam.

Obijc: Gratia quæ in applicatione Sacramentorũ confertur, non est ex meritis Christi, ut docet August: qui in divinam gratiam refert, quòd uni baptismus, & non alteri, conferatur, ergo non omnis gratia collata est nobis ex meritis Christi. ℟. negando antec: & ad probationem ex Augustino dico, illum non velle excludere consortium meritorum Christi, sed tantùm velle dicere, quod divinæ gratiæ principaliter attribui debeat, quòd uni conferatur baptismus, & non alteri.

EPISTYLIUM PROBLEMATICUM COLUMNÆ XXVIII.

An plaga lateris Christi fuerit meritoria, & operativa salutis nostræ, pro illo instanti, in quo fuit inflicta?



COLVMNA XXIX.

De satisfactione, potentia, & defectibus animæ Christi.

Satisfactio Christi nõ fuit de toto rigore justitiæ.

ASSERTIO I. Satisfecit Christus sufficienter pro toto genere humano; sed non de toto rigore justitiæ. *Prima pars* est de fide, & patet ex Scriptura 1. Joann: 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris tantùm, sed & pro totius mundi.* ergo

Prob:

Probatur 2. pars. Satisfactio Christi non habuit omnia requisita ad rigorem justitiæ, ergo non fuit de rigore justitiæ. Prob: antec: Solutio fuit ex bonis creditoris, nempe ipsius Dei, cui omnes actiones bonæ, naturæ humanæ Christi, debebantur varijs alijs titulis; sed hoc est contra rationem rigorosæ justitiæ, ergo.

Confirm: Justitia rigorosa, & gratia opponuntur; sed omnia opera Christi fundabantur formaliter in gratia habituali, & fundamentaliter in gratia unionis, & utramq; gratiam gratis à Deo Christus ut homo accepit, ergo opera satisfactoria ipsius non erant de toto rigore justitiæ.

Obijc: Scriptura & PP. passim docent in satisfactione Christi servatam fuisse justitiam: ergo fuit de toto rigore justitiæ. ℞. disting: justitiam rigorosam excludentem misericordiam, & gratiam Redemptoris, nego antec: justitiam non rigorosam fundatam in tali gratia, & fideli promissione Creditoris, concedo antec: & nego consequentiam.

ASSERTIO II. Licet opera Christi negativè summi valoris fuerint intrinsecè, non tamen infiniti valoris. *1. Pars patet* ex dictis assert: 13. colum: 27. ubi gratiam Christi negativè tantùm summam fuisse, ostendi: ergo & opera ejus erunt similiter negativè summa, nam ex intensione gratiæ, opera sumunt condignitatem suam, & valorem. *Opera Christi infiniti valoris nõ sunt.*

Probatur 2. pars. Visio beata animæ Christi, non fuit infinitæ perfectionis, ut ostendi assert: 3. colum: 28. ergo nec alia Christi ope-

ra erunt infiniti valoris intrinseci à paritate. *Confirm:* Principia elicitiva meritorum in Christo, fuerunt limitatæ, & finitæ virtutis; ergo meritum ab eis elicitum, non potest esse infiniti valoris intrinseci: consequentia patet, quia nulla causa totalis producit effectum se perfectiorem. Prob: etiam antec: Principia elicitiva meritorum in Christo, sunt intellectus, voluntas, & gratia, sed istæ sunt finitæ & limitatæ virtutis, non solùm in entitatibus suis, sed etiam in virtute activa: ergo.

Obijc:1. Si meritum Christi esset finitum intrinsecè, posset exhauriri, sed hoc est falsum; ergo. Prob: maj: Meritum finitum non videtur posse satisfacere pro infinitis peccatis: ergo dato casu, quòd darentur infinita peccata, thesaurus meritorum Christi posset exhauriri. ℟. negando maj: ad cujus probationem (admisso casu) nego thesaurum meritorum Christi posse exhauriri, & ratio est, quia merita & satisfactio Christi, non applicantur ad deletionem peccatorum divisibiliter, & per partes, ut supponere videtur argumentum, sed indivisibiliter, & per modum causæ meritoriæ, ita ut totum meritum ad omnia & singula peccata cōparetur, sicut lumen Solis ad omnes stellas, & non ad tot, quin ad plures, & infinitas stellas producibiles, possit se extendere sine ullo dispendio suæ lucis.

Obijc:2. Valor satisfactionis crescit ex dignitate personæ satisfacientis; sed persona Christi fuit infinita. ergo. ℟. dist: maj: Personæ satisfacientis, proportione quàdam servatâ, ita scilicet, ut intrinsecè & denominativè sit altioris ordinis, quàm satisfactio personæ inferio-

ferioris, concedo maj: personæ satisfacientis, omnimodâ proportione servatâ, ita scilicet, ut intrinsecè & infinitè crescat valor operis secundùm dignitatem infinitam personæ, nego maj: & concessa min: nego consequentiam.

ASSERTIO III. Purus homo donis gratiæ dotatus, de potentia absoluta, potuit satisfacere pro peccatis generis humani. *Purus homo potest satisfacere pro peccatis.*

Prob: Potuit Deus creare aliquem hominem innocentem, non descendentem ab Adamo, eíq; conferre plenitudinem gratiæ, auxilio cujus possit actus elicere de condigno meritorios, quibus Deus placaretur; sed talis tunc satisfaceret pro peccatis generis humani; ergo divinitùs pura creatura dari potest, quæ satisfaceret pro peccatis generis humani. Prob: maj: quia in hoc nulla est implicantia; Prob: etiam min: Deus se solo, sine ulla satisfactione ex parte causæ secundæ, posset salvare genus humanum; ergo & mediante satisfactione talis creaturæ.

Obyc: Peccatum generis humani fuit infinitæ malitiæ; sed nulla pura creatura potest satisfacere pro infinita malitia. ergo. Prob: maj: Offensa crescit ex dignitate personæ offensæ, ergo. ℞. negando maj: (loquendo de malitia intrinseca actûs peccaminosi) & distinguendo ejus probationem, ex dignitate offensæ objectivè & extrinsecè, concedo maj: intrinsecè & formaliter nego; authoritates SS. PP. nec non Scripturæ, quæ videntur dicere, quòd nullus purus homo poterat satisfacere pro peccatis generis humani, intelligendæ sunt de potentia ordinaria.

Mediator Dei & hominum. ASSERTIO IV. Solus Christus secundùm naturam humanam in Verbo subsistentem, fuit verè, & est mediator Dei & hominum. *Prob*: ex Script: ad Hebr: 8. *Christus novi testamenti mediator est*. Et alibi: *Mediator Dei & hominum Christus JESUS*. Prob: ratione, Mediator perfectus debet participare aliquid ab extremis inter quæ mediat; sed solus Christus, respectivè ad Deum & homines, habet illam conditionem, quia solus de utraq; natura participat. ergo.

Christi oratio fuit vera. *Quæres*. Utrum Christus in via, verè & propriè oraverit? ℞. affirmativè, & patet, quia Verba Scripturæ debent intelligi rigorosè in sensu literali, ubi nec ratio, nec urgens authoritas suadet contrarium; sed in Scriptura Lucæ 6. Matth: 14. & 26. aperrè dicitur quòd oraverit; ergo hoc debet intelligi de oratione propriè dicta.

Est causa moralis tantū miraculorū. ASSERTIO V. Miracula Christi non physicè, sed moraliter tantùm, & impetratoriè procedebant ab ejus humanitate. *Prob*: tum auth: SS. PP. qui ubiq; refundunt miracula Christi in ejus divinitatem, tanquam in solam causam efficientem (vide illos citatos apud Suarem hic) ergo ab humanitate tantùm moraliter procedebant. Tum etiam ratione. Christus multa miracula edidit, in quibus nulla potuit intervenire actio physica humanitatis; ergo idem dicendum est de reliquis miraculis, ab ipso patratis; antecedens patet, in servo Centurionis, & filio Reguli, quos absens curaverat. consequentia etiam patet à paritate.

Adver-

Adversarij varia SS. PP. & Scripturæ loca, ut est illud Lucæ 6. *Virtus ex illo exibat, & sanabat omnes*, adducunt, contra nostram Conclusionem. Ad quæ ℞. illa non plus probare, quàm quòd humanitas Christi moraliter miracula illa patraverat.

ASSERTIO VI. Christus Dominus quatenus homo, nullum habuit jus, aut specialem titulum in universum orbem, aut in ullam ejus partem. *Probatur:* tum ex Scipt: Joann: 18. ubi Christus ipse conclusionem tenet his verbis: *Regnum meum non est de hoc mundo* Idem etiam colligitur Matth: 8. *Filius hominis non habet ubi reclinet caput suum.* Psal: 39. *Ego autem mendicus sum, & pauper.* ergo. Tum etiam ex Poëtarum Flore, Sedulio Hiberno, in Hymno Epiphaniæ Domini, *Hostis,* inquit, *Herodes impie, Christum venire quid times, &c.* Tum deniq; ratione, quia Regnum Judæorum, neq; jure electionis, neque etiam successionis debebatur Christo; ergo nullum regnum; consequentia est evidens. Prob: antec: de jure electionis, quia nunquam fuit electus, ergo. Prob: etiam de jure successionis; tum quia jus regni Judæorum, per successionem debebatur descendentibus tantùm ex familia David per Salamonem; sed B. Virgo descendit ex illo, non per Salamonem, sed per Nathan; ergo.

Christus non fuit rex temporalis.

ASSERTIO VII. Christus Dominus secundùm naturam humanam fuit rex spiritualis, & sacerdos, habens potestatem super omnia regna mundi, & reges. *Probatur,* tum ex script: Esai: 33. *Dominus Rex noster, &c.*

Fuit Rex spiritualis.

Psal: 2. *Ego autē constitutus sum Rex ab eo, &c.* Apoc: 19. *Rex Regum, & Dominus dominantium;* ergo cùm Rex temporalis non fuerit, loca illa intelligi debent de Regno spirituali; tum etiam, quia condidit leges spirituales, Reges omnes, & Regna concernentes; ergo. Prob: antec: Math: ult: *Euntes docete omnes gentes, docentes eos servare quæcunq; mandavi vobis. ergo.*

Fuit Sacerdos. Quòd verò fuerit Sacerdos, probatur ex Script: Hebr: 7. *Eò quòd maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium.*

Confirm: ratione. Christus fuit mediator Dei & hominum, offerens Deo Patri preces & hostias (juxta illud Joann: 17. *Ego pro eis sacrificabo me ipsum*) pro salute generis humani, sed talia facere est proprium officium Sacerdotis. ergo. Loca omnia Scripturæ, quæ adducuntur ab Almachano ad probandum, quòd Christus fuerit rex temporalis, intelligi debent de regno, ac potestate spirituali.

Impeccabilitas Christi ab unione malè colligitur. ASSERTIO VIII. Vnio hypostatica ex præcisa sua ratione, non reddit naturam humanam Christi absolutè impeccabilem, unde de factò per gratiam habitualem, aliáq; dona supernaturalia consequentia ad unionem, redditur formaliter impeccabilis.

Probatur 1. pars. Natura humana Christi ex se est peccabilis; ergo non redditur impeccabilis præcisè per unionem hypostaticā: antec: est certum, probatur ergo consequentia: potuit Deus ad unionem Verbi Divini non solùm assumere naturam intrinsecè peccabilem, sed etiam naturam actualiter pecca-

to

to infectam, ut probavimus assert: 8. columnâ 25. ergo unio hypostatica ex præcisa sua ratione, non habet reddere naturam humanam Christi impeccabilem.

Prob: 2. pars. Tum quia non potest ostendi alia causa Christi impeccabilitatis defactò, tum etiam, quia ab illo anima Christi habet esse impeccabilis, à quo habet formaliter sanctificari, sed hoc habet à gratia habituali, ut probavi anteà agendo de gratia, & merito Christi: ergo.

Adversarij Catalogum SS. PP. adducunt contra nostram Conclusionem, qui videntur negare Christo ratione unionis hypostaticæ, etiam potentiam ad peccandum. ℞. tamen illas authoritates tantùm probare, Christum non posse peccare, imò & defactò impeccabilem esse, de potentia ordinaria, & hoc ratione Unionis hypostaticæ, quæ defactò secum trahit summam gratiam, & gloriam, per quæ respiciendo potentiam ordinariam, natura Christi formaliter & proximè est impeccabilis, quod non est contra nos. *Respondetur Patribus.*

ASSERTIO X. Natura humana Christi, nullâ ratione est ubiq; realiter. *Prob:* Matth: 28. *JESUM quem quæritis non est hic.* Joann: 11. *Gaudeo propter vos, ut credatis, quia non eram ibi.* *Prob: etiam ratione.* Esse realiter ubiq;, est attributum essentiæ divinæ, conveniens illi ratione immensitatis, ergo non potest competere naturæ Christi humanæ. *Ubiquitas naturæ humanæ*

Obijc: Natura humana Christi est unita Verbo, ergo est ubiq; præsens ubi est Ver-

 bum.

bum. ℞. negando consequentiam, quia caput est unitum animæ verè & realiter, & tamen non est in pede, in quo est anima. ergo.

Dolor & tristitia in Christo fuerunt.

ASSERTIO XI. In Christo fuit verus dolor, vera tristitia, & admiratio. *Prob: 1. pars.* Pars sensitiva fuit perfectissima in Christo, adeóq; sensus tactus perfectissimus in ratione perceptivi, ergo poterat percipere objectum quodcunq;, tam conveniens, quàm disconveniens, quando ipsi sufficienter applicabatur; sed parti sensitivæ Christi fuerunt applicata objecta maximè disconvenientia, & nociva durante passione ejus: ergo in illa parte habuit dolorem.

Prob: etiam de tristitia Matth: 26. *Tristis est anima mea usq; ad mortem. Probatur etiam ratione.* Christo proposita fuerunt objecta, nata causare tristitiam, magis quàm dolorem, & mortem. ergo.

Admiratio in Christo admittitur.

3. Pars patet, Matth: 8. *Audiens autem JESUS, miratus est.* Et 15. *O mulier, magna est Fides tua.*

Objic: Christus habuit summum gaudium semper ex beatitudine essentiali, ergo non poterat habere tristitiam. ℞. concedendo antec: & dist: consequens, circa objectum gaudij concedo antec: circa aliud objectum nego antec: & consequentiam.

Natura simul cum defectibus universalibus, non verò par.

ASSERTIO XII. Christus assumpsit simul cum natura defectus universales; non verò particulares. *Prob:* Universales defectus naturæ sunt mors, fames, sitis, fatigatio, &c. sed de fide est, definitũ in Concilio Ephesino, quòd Christus passus est illos defectus, ergo

ergo assumpsit illos simul cum natura. Idem prob: tum ex Script: Esaiæ 53. *Verè languores nostros ipse tulit.* Tum Joann: 4. & Matth: 4. quibus in locis sitis & famis fit mentio; tum etiam, quia assumpsit corpus mortale, passibile, ut sic per omnia assimilaretur omnibus absq; peccato, ut loquitur Apost: ergo debet etiam assumere conditiones, & defectus talis corporis.

...ticularib. assumpta est.

Probatur 2. pars. Quia non decebat, ut Christus defectus particulares, puta deformitatem corporis, febres, &c. qui impedirent ipsum in suis operationibus, assumeret, ergo. Nec valet dicere, quòd *verè languores nostros ipse tulit*, &c. (ut loquitur Esaias) nam sensus est, quòd verè tulit, id est, abstulit languores, & infirmitates nostras, &c.

ASSERTIO XIII. Anima Christi secundùm realem & substantialem præsentiam descendit ad infernum, qui limbus Patrum, & sinus Abrahæ dicitur. Ad locum verò damnatorum non descendit, nisi secundùm virtutem. *Prob*: *1. pars*, quæ est definita in Toletano 4. cap: 1. & in Lateran: sub Innocent: III. cap: 1. Probatur, inquam, tum ex communi SS. PP. consensu; tum ex symbolo Apostolorum, ac Scriptura, psal: 107. *Contrivit portas æreas, & vectes ferreos confregit.* Tum etiam ratione: Anima Christi separata à corpore, debuit fuisse in aliquo loco præsentialiter, sed non fuit in cœlo; nec sub cœlo aptior erat, & convenientior locus, quàm limbus, in quo detinebantur animæ SS. Patrum. ergo. Ratio autem secundæ partis est, quia

Nō ad locum damnatorū, sed ad limbū Patrū anima Christi descendit.

quia non fuit necessariũ, ut ad locum illum in quo nullus est ordo, & à quo nulla est redemptio, aliter descenderet, quàm per virtutem; ergo.

Corpus Christi in resurrectione ornatum 4. dotibus corporis gloriosi.

ASSERTIO XIV. Corpus Christi in sua resurrectione fuit gloriosum, adeóq; ornatum quatuor dotibus corporis gloriosi, incorruptibilitate scilicet, agibilitate, subtilitate, & claritate.

Prob: Resurrectio Christi fuit exemplar & causa resurrectionis Sanctorum, ut docet Apost: sed sancti omnes in resurrectione habebunt corpora gloriosa, ornata quatuor jam dictis dotibus; ergo à fortiori Christus. *Prob:* min: ex eodem Apostolo loco jam citato versu 36. ubi pulchrè ostendit, qualiter Sanctorum corpora resurgent cum jam dictis quatuor corporis gloriosi dotibus.

EPISTYLIUM PROBLEMATICUM COLUMNÆ XXIX.

An Corpus Christi in sepulchro fuisset putrefactum, si centum annos resurrectio fuisset dilata?

CO-



COLVMNA XXX.

De Adoratione, & cultu Imaginum.

ASSERTIO I. Adoratio, eſt actus, quo quis ſe alteri ſubmittit, in ſignum excellentiæ, & ſuperioritatis. Eſt communis, quia convenit omni, & ſoli. ergo. Adoratio ſic deſcripta, alia eſt interna, externa alia. Interna eſt actus voluntatis, quo quis vult ſe alteri ſubmittere, ob excellentiam in eo cognitam: Externa verò eſt actus alicujus potentiæ externæ, quo quis actum internæ adorationis ſignificat, & proteſtatur, cujusmodi ſunt ſacrificia, genuflexiones, & hujusmodi. Adhuc adoratio dividitur in *duliam, hyperduliam, & latriam*. Dulia eſt cultus exhibitus creaturis, non habentibus excellentiam aliquam ſingularem. Hyperdulia eſt cultus exhibitus creaturis, habentibus talem eminentiam, ut eſt illa, quæ debetur D. Virgini, ex eo, quòd ſit Chriſti mater. Latria verò eſt cultus, ſeu reverentia, quæ ſoli Deo debetur in illo ſenſu, quo Scriptura loquitur, Devt: 6. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſerbies.* Ad Tim: 1. *Soli DEO honor & gloria.* His notatis ſit

Quid ſit adoratio, & quotuplex.

Quid ſit Dulia.

Quid Hyperdulia.

Quid ſit Latria.

ASSERTIO II. Humanitas Chriſti conjuncta Verbo divino adoranda eſt eodem cultu

Humanitas Chriſti adoranda,

adoratio- *ne Latriæ.* cultu latriæ, quo ipſum Verbum. *Prob:* tum ex Concil: Alexand: in epiſt: ad Neſtor: in quo reprehenditur hic loquendi Neſtorij modus: *Propter eum qui induit, veneremur eum qui indutus eſt*, quaſi diceret hæreticus, propter divinitatem præciſè, veneror humanitatem Chriſti. Unde ſubjungit Concilium: *Unius intelligitur Chriſtus unigenitus Dei filius, qui unâ adoratione cum propria carne adoratur.* Tum ex Trid: ſeſſ: 14. cap: 5. definiente Sacramentum Euchariſtiæ, ſeu ſpecies Evchariſticas, eſſe adorandas cultu latriæ ob præſentiam Deitatis; ſed multò perfectiori modo Deitas eſt præſens humanitati Chriſti, quàm illis ſpeciebus Euchariſticis: ergo à fortiori debet adorari cultu latriæ. Tum etiam ex Patribus, quos fuſè citant moderni omnes, & præſertim Lorca hic d. 88.

Prob: 2. ratione. Ut aliquod totum adoretur per ſe, ſufficit ut una ex eis partibus, ſit ratio motiva adorationis; ſed in Chriſto eſt una pars, natura ſcilicet divina, cui per ſe debetur cultus latriæ: ergo totus Chriſtus ſecundùm omnes ſuas partes, vi illius motivi eſt adorandus cultu latriæ: Prob: maj: ut homo dicatur bonus, vel ſanctus, ſufficit ut una pars ejus, ſcilicet anima, ſit talis, ergo ut totum hoc quod dicitur Chriſtus, adoretur cultu latriæ, ſufficit ut una pars ejus ſit motiva ratio talis adorationis.

Obyc: Adoratio Latriæ ſoli Deo debetur; ſed humanitas Chriſti unita, non eſt Deus. ergo. ℟. diſt: maj: Soli Deo, vel id quod unitur Deo in unitate ſuppoſiti; tranſeat maj: ſoli

ſoli Deo, excludendo illud, quod ipſi unitur, nego maj: diſtingu: etiam min: humanitas in abſtracto concedo min: in concreto, nego min: & conſequentiam.

ASSERTIO III. Natura humana Chriſti ſecundùm ſe conſiderata, cum omnibus donis & gratijs ſibi conceſſis, ſeclusâ Unione hypoſtaticâ, majori cultu adorari non debet, quàm cultu hyperduliæ.

Humanitas ſecundùm ſe cōſiderata, adorari debet cultu Hyperduliæ.

Prob: In natura ſic conſiderata, non invenitur ratio motiva cultûs latriæ: ergo ſub tali conſideratione, non debet adorari majori cultu, quàm hyperduliæ. Prob: antec: Tota ratio adorationis Latriæ in Chriſto homine, defactò, eſt unio naturæ humanæ cum ſuppoſito divino, ergo abſtrahendo ab illa unione, tali cultu adorari non poteſt.

Nec Patres, aut Concilia, quæ contra nos citat fusè Vaſquez, aliud probant, quàm quòd humanitas unita Verbo, ſub illa conſideratione, alio cultu adorari non pôteſt, quàm cultu Latriæ, quod non eſt contra nos.

Exponuntur Patres & Concilia.

ASSERTIO IV. Sancti omnes adorandi ſunt adoratione Duliæ, & B. Virgo cultu hyperduliæ. 2. Pars ſuppoſita veritate primæ, non habet difficultatem, quia ſicut B. Virgo omnes alias puras creaturas, in donis gratiæ & gloriæ longè ſuperat, & antecellit; ita illi debetur major præ ceteris veneratio & cultus, ſed cultus major non datur, poſt Latriæ cultum, quàm hyperduliæ. ergo.

B. Virgini Hyperduliæ, & Sāctis omnibus Duliæ tantùm Cultus debetur.

Probatur ergo 1. pars. Tum ex Concil:Rom: ſub Felice I. & ex ſexta Synodo generali, ac tandem ex Trident: Seſſ: 25. in quibus definita eſt.

ta est. Tum etiam ex Script: Numerorum 21. 3. Regum 18. 1. Regum 18. 4. Regum 2. Josue 2. & ad Rom: 2. quibus in locis expresse dicitur, quòd sancti & boni sint adorandi, & colendi; tum etiam ex SS. PP. quos fusissimè apud Bellarminum hic citatos invenies. Tum deniq; ratione: Honor civilis debetur, secundùm Philosophos, civili virtuti, sapientiæ, potentiæ & nobilitati; ergo honor plus quàm civilis debetur supernaturali virtuti sapientiæ, & nobilitati: nam dignum est, ut à nobis in terra honoretur, quem Deus in cœlis honorare dignatur.

Frivolas hæreticorum objectiones, solutas vide apud Bellarminum loco citato, intereà sit

Invocatio Sanctorũ licita. ASSERTIO V. Sancti cum Christo regnantes, invocandi sunt. Est de fide, quoad utramq; partem. *Prob: 1. pars.* A quo quis beneficia licitè potest accipere, ab eo licitè potest beneficia petere, sed scriptura passim docet Sanctos cum Christo regnantes, multa beneficia mortalibus contulisse; ergo licitè possumus ab eis talia beneficia postulare. Maj: est certa. Prob: min: Angelus confortavit Danielem; Daniel 1. Item Zachariæ 1. Angelus orat Deum pro liberatione populi. Genesis 48. *Angelus qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis.* ergo.

Confirm: tum quia in hac vita utiliter & licitè sine ullo Christi præjudicio unus rogat alterum, quatenus pro ipso oret, sic filij Israël rogaverunt Samuelem, Paulus Rom: 15. Romanos rogat his verbis: *Obsecro vos, ut adjuvetis me in orationibus, pro me ad DEUM.*

tum

tum etiam infinitis penè miraculis, quibus ſancti ſæpiſſimè demonſtrârunt ſe audire preces viventium, ſéq; velle eos adjuvare, à quibus invocantur, quæ non niſi ab induratis, vel protervis negantur hæreticis.

Obijc: Sancti in cœlo ſunt in termino merendi, ergo nobis ſuis meritis nihil poſſunt impetrare, & conſequenter fruſtra invocantur. *Confirm:* Sancti non agnoſcunt preces viventium, ergo fruſtra invocantur. Prob: antec: 3. Regum 8. *Tu noſti ſolus corda Filiorum hominum.* ℞. negando conſequentiam, quia merita in via à ſanctis accumulata, intuitu quorum nimis honorati amici facti ſunt Dei, abundè ſufficiunt, ut impetrent nobis à Deo, quod in fide petimus. Ad Confirm: ℞. negando antec: nam ſancti cum Chriſto regnantes clarè vident in eſſentia divina, quando Deus vult, quid circa nos hic agatur, & hoc ſufficit, ut cognoſcant ſe à nobis invocari, & ut cum veritate dicatur, quòd ſolus Deus cognoſcat ſecreta cordium, quia nimirum ab alijs non cognoſcuntur in cœlo, niſi quando expedit, & Deus vult. *Reſpondetur hæreticis.*

ASSERTIO VI. Imagines Chriſti & Sanctorum ſunt venerandæ, eorúmq; reliquiæ cultu duliæ adorandæ. Eſt de fide, quoad utramq; partem, definita in varijs Concil: & noviſſimè in Trid: ſeſſ: 25. ubi hæc habetur cautela, nimirum, ut *imagines ſic venerentur, ut in eis nulla collocetur fiducia, nec ab eis aliquid petatur, nec credatur ipſis ineſſe ulla divinitas, ſed ſolùm honorentur propter eos, quos nobis repræſentant.* *Imagines & Reliqu: Sanctorũ colendæ ſunt.*

Probatio ex Scriptura. *Probatur 1. pars.* Tam quia in script: Exodi 25. habetur, quod Deus ipse præceperit, ut fierent imagines duorum Cherubin. Numerorum 21. ut fieret serpens æneus mandavit; tum etiam ex perpetua traditione Ecclesiæ, ac approbatis historijs de effigie Christi, ab ipsomet tam Veronicæ, quàm Edessæ Regi Abagaro, missa; tum deniq; ratione, quia ex imaginibus variæ desumuntur utilitates; ergo usus earum est utilis. Prob: antec: Per imagines plebs indocta instruitur, juxta illud D. Gregorij, *quod legentibus est scriptura, hoc indoctis præstat pictura.* 2. Visis imaginibus, revocatur nobis in memoriã, mors & vita Sanctorum. 3. Sunt signa benevolentiæ, & amoris hominum erga Sanctos. Lege Bellarminum hic, aliósq; Controversistas, apud quos hæreticorum objectiones solutas invenies.

Probatur 2. pars. Tum ex Concilijs jam citatis; tum ex perpetua Ecclesiæ traditione, ac continuis miraculis, quæ contigerunt, ac contingunt: tum etiam ex Script: quæ Exodi 13. dicit Moysen cum magno honore ossa Joseph secum accepisse; sicut & ipse Joseph Gen: 50. ossa Jacob cum honore transtulit ex Ægypto. Item act: 8. *Curaverunt Stephanum viri timorati, &c.* 4. Regum 13. Ossa Elisæi suscitarunt mortuum. Act: 19. Sudaria Pauli deferebantur ad infirmos. Et Matth: 14. Fimbria vestis Christi infirmos sanabat. ergo. Tum deniq;, quia corpora Sanctorum, erant templa Sanctarum animarum cum Christo jam in cœlis regnantium. ergo sunt digna honore.


Obijc:

Obijc: contra 1. partem Exodi 20. *Non facies tibi sculptile, neq; omnem similitudinem.* ℞. Scripturam ibi non prohibuisse usum imaginum (aliàs Deus Exodi 25. non curasset fieri duo Cherubim) sed potiùs idola gentium, & Deos manibus fabricatos, quibus adoratio latriæ impenderetur.

Obijc: contra 2. partem illud Lucæ 11. *Væ vobis* (loquitur de Scribis & Pharisæis) *qui ædificatis monumenta Prophetarum, &c.* sed si liceret reverentiam exhibere reliquijs, non deberent proptereà reprehendi. ergo. ℞. 1. Christum Pharisæos reprehendisse, quia non ex vero zelo & affectu erga prophetas, sed potiùs ex hypocrysi, & simulato affectu ædificârunt sepulchra prophetarum. ℞. 2. Locutionem illam esse figuratam, quia una pars sententiæ reticeri solet, ad majorem energiam, & vim explicationis: nam Judæi ornando sepulchra majorum, testimonium ferebant contra se, qui in animo habuerunt occidere Christum & Apostolos: & sic dicitur, *Væ vobis Pharisæi, qui ædificatis sepulchra,* ubi addendum est, cùm imitemini eos, qui prophetas occiderunt.

EPYSTILIUM PROBLEMATICUM COLUMNÆ XXX.

An non decipiuntur Poloni, qui S. Adalberti Reliquias hic Pragæ existentes, Gneznæ in Polonia tanquam præsentes venerantur?



COLVMNA XXXI.

De Sacramentis in genere.

Definitio Sacramenti ut sic.

ASSERTIO I. Sacramentum rectè describitur signum sensibile, gratiam Dei, vel effectum ejus gratuitum, ex institutione divina efficaciter significans, ordinatum ad salutem hominis viatoris. *Prob:* Tum quia superflua non est, nec manca. Tum etiam ipsam explicando, Ly *signum* (id est ad placitum) est genus, in quo Sacramentum convenit cum reliquis signis sensibilibus; reliquæ particulæ sunt differentiæ illius ab his. Dicitur *sensibile*, quia Sacramenta defactò instituta, sensibilia sunt, & esse conveniebat, ut huic nostro mortali statui proportionata essent. Dicitur *Gratiã Dei*, ut denotetur signatum hujus signi, quod est gratia; additur *vel effectum ejus gratuitum*, propter Sacramentũ Eucharistiæ, quod in Ciborio custoditum, non est signum gratiæ sanctificantis, sed subsistentis, realis nimirum præsentiæ Christi Domini sub speciebus, quæ præsentia est gratuitus effectus Dei. Dicitur *efficaciter significans*, ad denotandum, quòd Sacramenta sint signa practica gratiæ, quia causant illud quod significant; additur *ex institutione divina*, tum quia Sacramenta omnia defactò à Deo instituta sunt, nec ab alio institui poterant, sine ipsius cooperatione singulari; tum etiam, ut à ratione Sacramenti excludatur martyrium, quod

Est signum ad placitum.

Signatum Sacramenti, est gratia tam habitualis, quàm subsistens.

Signum est practicum

quod quamvis causet gratiam, à Deo tamen, ut applicaretur ad illum effectum, institutum non est. Additur deniq; *, ordinatum ad salutem*, &c. ad denotandum, quod pro solis viatoribus Sacramenta sint instituta. *Solis viatoribus applicari potest.*

Hic obiter adverte, Sacramenta dici gratiam conferre, ex opere operato; & non ex opere operantis præcisè; quia etiam malè moraliter collata, puta, ob turpis lucri finē, conferunt gratiam ea recipienti, non obstante peccato conferentis; quod autem ex opere operantis confert gratiam, debet illud conferre per modum meriti, seu actionis meritoriæ, sicut datio v. g. eleemosynæ propter Deum, gratiam confert danti, si non sit obex ex parte ipsius. *Quid est gratiā conferre, ex opere operantis.*

ASSERTIO II. In statu innocentiæ nullum fuit, aut si perseveráffet, esset Sacramentum. Pro statu autem legis naturæ, & etiam scriptæ, fuerunt à Deo instituta Sacramenta. *In omni statu post lapsum fuerunt Sacramenta.*

Probatur 1. pars. Status ille nullam patiebatur aut pateretur infirmitatem corporis, aut animæ, ut diximus Columnâ 8. de Statu Innocentiæ, ergo Sacramenta pro illo statu nec ordinata sunt, nec si perseverasset, ordinarentur, & per hoc patet, quòd protoparentum matrimonium, veri Sacramenti rationem non habuerit.

Probatur 2. pars. Pro nullo unquam tempore, reliquit Deus cultores suos, sine remedio ad salutem necessario, sed omni tempore post lapsum fuit necessaria ad salutem deletio originalis: ergo pro quocunq; tempore post lapsum fuit à Deo ordinatum re- *In statu naturæ.*

medium efficax ad illud delendum; sed illud remedium fuit Sacramentum; ergo pro lege etiam naturæ fuit Sacramentum, nec valet dicere, quod non possimus assignare quale fuit illud, quia teste August: lib: 5. contra Julianum cap: 21. Scriptura ob ignotam nobis causam voluit id nos latere.

In statu veteris Legis. *Probatur 3. pars.* Circumcisioni in lege scripta, conveniebant omnia requisita ad verum & propriè dictum Sacramentum, ergo verum fuit, & propriè dictum Sacramentum.

Confirm: ex Aug: lib: 2. de nupt: & concupisc: *Ex quo, inquit, instituta est circumcisio in populo DEI, ad purgationem hujus peccati veteris, valebat magnis & parvis, sicut baptismus valere cœpit, ex quo institutus est*, sed baptismus valet ad conferendam gratiam ex opere operato; ergo etiam circumcisio.

Explicatur Florentinum. *Objic:* Concilium Florentinum in Decreto Fidei ad Armenos, distinguit Sacramenta novæ Legis, à Sacramentis veteris Legis, quia hæc non causabant gratiam, sed solùm per passionem Christi dandam significabant; illa verò continent & conferunt gratiam dignè suscipientibus; sed hoc esset falsum, si circumcisio ex opere operato conferret gratiã. ergo. ℞. 1. concedendo maj: & negando min: quia circumcisio non est Sacramentum veteris Legis præcisè, quia Abrahæ data fuit quadraginta circiter annis, antequam lex scripta per Moysen data est. ℞. 2. (admittendo gratis quod sit Sacramentum veteris Legis) Concilium aliud non velle, quàm quod Sacramenta veteris Legis non conferebant gratiã, nisi dependenter à meritis Christi futuris, no-

væ verò Legis Sacramenta conferunt gratiã dependenter à meritis Christi, jam in opere exhibitis.

ASSERTIO III. Sacramenta causant gratiam non physicè sed moraliter tantùm. *Causant tantũ moraliter gratiam.*

1. Pars est de fide, & patet ex definitione Sacramenti. *Probatur 2. pars.* Baptismus non producit physicè gratiam: ergo nullum Sacramentum à paritate. Prob: antec: causa physica alicujus effectus debet realiter existere, quando producitur ille effectus; sed baptismus non existit realiter, quando producitur gratia. ergo, maj: est certa. prob: mi: Baptismus consistit in ablutione, & verbis his: *Ego te baptizo, &c.* sed verba illa, quæ successivè proferuntur, nunquam simul existunt realiter, ergo baptismus non existit realiter quando producit gratiam, & consequenter non physicè, sed moraliter causat eam.

Confirm: Tum quia gratia (ut sæpè anteà diximus) est effectus creationis: ergo per Sacramenta physicè produci non potest: tum etiam, quia omnia, quæ Scriptura, Concilia & Patres, dicunt de causalitate Sacramentorum respectu gratiæ, salvantur, dicendo, quòd moraliter illam causant, qui modus loquendi proprijssimus est, & facilis. ergo.

Objic: Ex conclusione sequeretur, quòd Sacramenta non haberent majorem efficaciã ad causandam gratiam, quàm verba maleficorum habent ex pacto inito cum Dæmone, ad causandos mirabiles & insuetos effectus quos producunt, sed hoc est inconveniens, ergo. ℟. negando sequelam, quia Sacra-

menta habent infallibilem efficaciam à nulla causa impedibilem (si adsint requisita omnia) respectu gratiæ; talem autem non habent verba illa maleficorum, nam frequenter desiderato privantur effectu.

Character est qualitas realis. ASSERTIO IV. Baptismus, Confirmatio, & Ordo imprimunt characterem; qualitatem nimirum realem & spiritualem, subjectatam in anima. *Prima pars* est de fide, definita in varijs Concilijs, & ratio ejus est, quia cùm etiam secundùm hæreticos Sacramenta illa non possint reiterari, & alia quatuor possunt: ergo imprimunt characterem, & hæc non.

Prob: 2. pars. Nil aptius potest assignari pro ratione formali characteris, quàm dicendo, quòd sit qualitas. ergo.

Obijc: contra 1. partem. Nec ex Scriptura, aut Patribus possumus evidenter probare dari characterem, ergo non datur. R⁄. dist: antec: secludendo declarationem Ecclesiæ, concedo antec: includendo illam, nego antec: & consequentiam.

Author Sacramentorum. ASSERTIO V. Septem novæ Legis Sacramenta instituta sunt immediatè à Christo Domino. Est de fide, definita in Trid: sess: 7. can: 1. cujus authoritate, sicuti & hac Ambrosij lib: 4. de Sacram: cap: 4. *Author Sacramentorum quis est, nisi Dominus JESUS Christus.* Probatur.

Pura creatura instituere Sa- ASSERTIO VI. Non potest purus homo, de potentia absoluta, instituere propriè dictum Sacramentum. *Prob:* Instituere

tuere Sacramentum propriè loquendo, est alicui signo sensibili conferre efficacem significationem, & causationem gratiæ; sed solus Deus, in cujus potestate est creare gratiam, potest hoc conferre. ergo. *cramentū non potest.*

Objic: Ex ordinatione divina, non implicat puro homini instituere signa sensibilia, ad quorum applicationem conferetur gratia eo modo, quo defactò per Sacramenta confertur; sed talis esset principalis institutor Sacramentorum. ergo. ℟. concedendo maj: & negando min: nam sicut talis instituens signa, non posset illis dare efficaciam in ordine ad gratiam producendam, sic nec institutor Sacramenti propriè loquendo dici posset.

Hinc infertur, quòd Christus quà Deus, est author & causa principalis Sacramentorum; quà verò homo, causa tantùm immediatè determinans illa signa sensibilia, quæ defactò sunt Sacramenta, & meritoria merens, quòd Deus illis signis mediantibus concurrat ad conferendam gratiam efficaciter & infallibiliter suscipienti illa.

ASSERTIO VII. Neque infidelitas, neque improbitas ministri invalidat Sacramentum, modò adhibitis debitis alijs essentialibus, habeat intentionem faciendi, quod facit Ecclesia. Est de fide definita in Florentino, & Trid: sess: 7. cap: 12. ubi damnat illos, qui dicunt ministrum in statu peccati mortalis, administrantem Sacramentum, nil efficere. *Prob:* Tum ex perpetua Ecclesiæ traditione, tum etiam, quia ministri non suâ, sed divinâ authoritate operantur, ut patet ex *Improbitas ministri non invalidat Sacramētum.*

illo Ioannis 1. *Hic est qui baptizat.* & Corint: 3. *Neq; qui plantat est aliquid, &c.* ergo.

Requiritur intentio. Quòd verò debeat habere intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, probatur, tum ex Trident: jam citato, his verbis: *Si quis dixerit in ministris, dum Sacramentum conferunt, non requiri intentionem, saltem faciendi, quod facit Ecclesia, anathema sit.* Tum etiam, quia aliàs qui joco, vel recreationis gratiâ ablueret aliquem, proferendo verba baptismi, sicut in comœdijs solet fieri, verè baptizaret, quod nemo dicet. Nec valet dicere, quòd sic baptizavit Athanasius aliquem, dum adhuc puer esset; quia etiam tunc jocando, intentionem habuit faciendi, quod facit Ecclesia, vel nihil fecit.

Obijc: Si requireretur intentio ministri nullus posset esse certus, an sit verè baptizatus, sed hoc est inconveniens, ergo. ℞. dist: maj: certus moraliter, nego maj: physicè, concedo maj: & distincta similiter min: nego consequentiam,

Sufficit certitudo moralis.

Non sufficit intentio habitualis. ASSERTIO VIII. Ad validè conficiendum Sacramentum, non sufficit habitualis intentio, bene tamen actualis, & virtualis. *Probatur 1. pars,* Ut conficiatur Sacramentum, debet minister habere, humano modo, intentionem conficiendi illud, sed intentio habitualis non est talis; ergo. maj: est certa, quia præterita intentio, nec in se ipsa actualiter, nec in effectu aliquo ab illa proveniente, manens, non est intentio humano modo existens, sed tamen est intentio habitualis,

tualis, ergo intentio habitualis non existit humano modo.

Probatur 2. pars (de actuali non est difficultas) de intentione virtuali; quotiescunq; aliquis continuat applicationem mediorum, ad finem actualiter antea intentum, censetur rationabiliter & humano modo intendere finem, quamvis actu de illo non cogitet, sed habens intentionem virtualem hoc facit; ergo intentio virtualis est sufficiēs ad confectionem Sacramenti. *Sufficit intentio virtualis.*

Confirm: Si non sufficeret intentio virtualis, esset moraliter impossibile conficere bene Sacramenta, quoties essent necessaria; sed hoc est inconveniens. ergo. Prob: maj: stante fragilitate humanâ, est moraliter impossibile habere semper intentionem actualem; ergo si virtualis non sufficeret, esset moraliter impossibile conficere Sacramenta, quoties conficiuntur.

ASSERTIO IX. Sacramenta novæ Legis constant materiâ & formâ. *Prob:* tum ex Florentino in Decreto Eugenij, ubi dicit Sacramenta novæ Legis tribus perfici; rebus, scilicet, tanquam materiâ, verbis, tanquam formâ, & personâ ministri, habentis intentionem faciendi, quod facit Ecclesia: ergo, tum etiam ex dicendis de ipsis Sacramentis in specie. *Constat materiâ & formâ.*

Objic: Sacramentum pœnitentiæ non habet materiam, quia sola forma perficitur, ergo. ℞. dist: antec: Materiam ex qua, concedo

cedo antec: materiam circa quam, nego antec: & consequentiam. Illud enim Sacramentum, pro materia circa quam habet peccata pœnitentis.

Verba debent esse consecratoria. ASSERTIO X. Verba quæ requiruntur ad Sacramenta, non sunt concionatoria, sed consecratoria. *Prob:* Tum ex praxi Ecclesiæ sic dicentis; tum etiam ex dicendis de Sacramentis in specie, tum deniq; , quia quando dicimus, verba debere esse consecratoria, aliud non intelligimus, quàm quòd verba necessariò requirantur ad Sacramentum, ita, ut ijs accedentibus fiat Sacramentum, quod sine illis non fieret. ergo.


Materia & forma invariabilis. ASSERTIO XI. Sacramenta novæ Legis habent ex Christi institutione materiã & formam determinatam, ita necessariò requisitas, quòd nullâ ratione mutari possint, quoad substantiam. Est de fide, in Trident: sess: 21. cap: 2. ubi dicit, in Ecclesia semper potestatem fuisse in Sacramentorum administratione, ea statuere vel mutare, quæ expedire judicaverit, salvâ eorum substantiâ, ex quo loco, sicut & ex perpetua Ecclesiæ traditione, probatur conclusio.

Obijc: Matrimonium ante Tridentinum fuit validum sine præsentia Parochi, & jam non est, ubi est receptum Concilium; ergo Concilium mutavit substantiam illius Sacramenti. ℞. negando consequentiam, quia Concilium addidit præsentiam Parochi, per modum conditionis, sine qua non fieret validus

lidus contractus, quod bene potuit sine mutatione substantiæ matrimonij facere, ut posteà dicemus.

EPISTYLIUM PROBLEMATICUM COLUMNÆ XXXI.

An ad validè conficiendum Sacramentum ebriosi ministri intentio sufficiens sit?



COLVMNA XXXII.

De Sacramentis Baptismi, & Confirmationis.

ASSERTIO I. Verum, & propriè dictum Sacramentum novæ Legis, à Christo Domino institutum, est ablutio exterior corporis per aquam facta, sub certa verborum forma, nata sanctificare animam. *Definitio Baptismi, ejúsq; institutor.*

Prob: 1. pars. tum ex dictis colum: præced: de Sacramentis in genere, tum quia baptismus habet omnia requisita ad verum Sacramentum novæ Legis: tum deniq; ex Scriptura Joann: 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non intrabit in regnum cœlorum.* ergo.

Prob: 2. pars. Tum quia habet requisita ad bonam descriptionem, tum ipsam explicando, dicitur *ablutio exterior corporis*, ut distin-

ſtinguatur Baptiſmus à quacunq; interna ſpirituali ablutione, quâ mundaretur anima à peccatis. Dicitur *per aquam*, ut excludatur omnis ablutio per alium liquorem facta, additur *ſub certa verborum forma*, ad denotandam formæ neceſſitatem. Dicitur nata ſanctificare animam, ad denotandum effectum hujus Sacramenti, qui eſt collatio gratiæ, & peccati originalis remiſſio.

Quādo eſt inſtitutū. ASSERTIO II. Sacramentum hoc inſtitutum fuit à Chriſto ante paſſionem, ad ejus validitatem quamvis trina ordinariè requiratur, abſolutè ſufficeret una immerſio.

Prob: 1. pars. Tum quia diſcipuli ante paſſionem Chriſti baptiſabant, ut patet Joann: 3. ſed hoc non eſſet verum, niſi baptiſmus tunc fuiſſet inſtitutus: ergo: tum etiam, quia in lege nova Euchariſtiæ ſuſceptio præſupponit Baptiſmum, quæ janua eſt omnium Sacramentorum; ſed Chriſtus inſtituit Euchariſtiam ante mortem, eámq; diſcipulis dedit, ut eſt de fide Matth: 26. ergo ante paſſionem inſtituit baptiſmum.

Sufficit una immerſio. *Probatur 2. pars.* Tum quia Doctores communiter docent ſufficere, ut aſpergatur baptizandus, quo modo probabiliter loquendo, baptizata ſunt tria illa millia, de quibus fit mentio act: 2. tum etiam ex praxi multarum Eccleſiarum, quæ unà tantùm immerſione baptizare ſolent.

Materia remota & forma baptiſmi. ASSERTIO III. Materia remota hujus Sacramenti aqua eſt elementaris, proxima verò eſt ablutio. *Prob: 1. pars*, tum ex Lateran: in cap: *Firmiter*, & ex Trident: ſeſſ: 7. can: 2. quibus in locis definita eſt, tum

etiam

etiam ex illo actorum, *Ecce aqua hic, quis prohibet me baptizari?* Tum deniq; ex perpetua Ecclesiæ traditione.

Prob: etiam 2. pars. quia non potest ostendi, quænam esset materia proxima, nisi dicatur quòd sit ablutio: ergo.

Hinc infertur, nullam aliam materiam, quantumvis fluidam, posse esse materiam hujus Sacramenti, præter aquam naturalem, & elementarem, à qua non semper juscula pauperum, præsertim Franciscanorum, specie distingui judico; unde in tali validè posse quem baptizari, affirmo.

Infertur 2. ad rationem baptismi sufficere, ut una tantùm corporis pars abluatur; unde si ex utero matris, sola manus v. g. vel etiam solus digitus emineret, existimo, quòd sufficeret ablutio illius partis, ad valorem baptismi, quia anima, quæ verè spiritualiter abluitur, tam bene informat digitum, ac informat caput: ergo abluendo digitum, tam bene creatura baptisaretur, acsi ablueretur caput; tamen quia communior sententia oppositum tenet; & quod in administratione Sacramentorum tutior pars est semper eligenda, sic suaderem, ut postquam nasceretur creatura sic baptizata, denuo sub conditione baptizaretur. *Si tantùm emineret solus digitus, baptizari posset creatura.*

ASSERTIO IV. Forma hæc Baptismi, *Ego te baptizo in Nomine Dei Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, bona est. Hæc est de fide, & colligitur ex illo Matth: 28. *Euntes in universum mundum, baptizantes eos, &c.* Nec forma hæc Græcorũ: *Baptizetur servus Christi, In Nomine Patris, &c.* diversa est substantiali- *Latinorũ forma bona est.*

tialiter, ab hac nostra: & consequenter una est re ipsâ forma Baptismi Græcorum, & Latinorum.

Formam autem baptismi, sicut & cujusvis alterius Sacramenti, substantialiter variari posse sex modis in sequenti disticho notatis, docent Theologi communiter:

Nil formæ demas, nil ponas, nil variabis.
Trãsmutare cave, corrumpere verba, morari.

Harum variationum explicatio, obvia est apud Authores communiter, unde contra conclusionem.

Tempore Apostolorum non fuit in usu aut licita alia forma.

Obyc: Tempore Apostolorum, baptismus collatus in nomine Christi, validus fuit, ut habetur Act: 2. ergo forma Sacramenti Baptismi non fuit semper una. ℞. communiter concedendo antecedens, & consequentiã, quia, inquiunt, Apostoli ex singulari dispensatione usi sunt illâ formâ, quæ dispensatio jam cessavit. Tamen ℞. 2. negando antec: & ad locum Apostoli ℞. Petrum ibi fuisse locutum, modo, quo defacto nos ipsi, dum alteri aliquid mandamus, Christianè loquimur, ut cùm dicimus, celebret in Nomine Domini JESU, dormiat, pergat (ut sic loquamur suadet Apost: ad Coloss: 3. dum ait: *Omne quodcunq; facitis in Verbo aut opere, omnia in Nomine JESU facite*) & tamen non intendimus, ut celebrando, dormiendo, aut pergendo, utatur quis illis verbis, ergo malè infertur, quòd Petrus, quamvis dixerit ut baptizentur aliqui in Nomine JESU, voluerit baptizantes debere uti illis verbis tanquam formâ, imò contrarium potuit intendisse, ut nimi-

nimirum in Nomine Jesu baptizarentur, applicando tamen materiam, & formam à Christo Matth: 28. institutam.

ASSERTIO V. Baptismus fluminis distinguitur specie à Baptismo Joannis, nec non flaminis, & sanguinis.

Diversitas Baptismatum inter se.

Probatur 1. pars. Baptismus Christi confert gratiam ex opere operato, & est verum, & propriè dictum Sacramentum; sed Baptismus Joannis, non fuit Sacramentum, nec sic contulit gratiam, ut colligitur ex illo Matth: 3. *Ego vos baptizo in aqua, ille verò in igne & Spiritu sancto;* id est, per collationem gratiæ sanctificantis. Distinguitur etiam à Baptismo flaminis, qui est dolor perfectus de peccatis, & à Baptismo sanguinis, seu martyrio, quia hæc non conferunt gratiam, nec delent peccatum, sine voto baptismi fluminis: ergo.

ASSERTIO VI. Minister necessitatis hujus Sacramenti est quivis homo, rationis compos, potens debito modo applicare materiam, & formam, requisita ad Baptismum. Est de fide in Florent: & Trident: jam citatis, & patet ex perpetua praxi, ac traditione Ecclesiæ.

Minister necessitatis.

ASSERTIO VII. Ordinarius minister Baptismi est summus Pontifex in tota Ecclesia: quilibet Pontifex Sacerdotatus in tota sua Diœcesi: & quilibet Parochus in sua Parochia, absq; quorum licentia, nemini, extra casum necessitatis, licet baptizare.

Minister ordinarius.

1. *Pars* de Parocho, Episcopo, & Pontifice est definita in Florentino, & probatur ex per-

petua praxi Ecclesiæ. *Probatur 2. pars.* tum quia nulli licet usurpare jus alienum, ipso invito. ergo. Tum etiam, quia id habetur in cap: constat de Consecratione, & in Clement: uni : de Baptismo. ergo.

Fraciscani abstinere debēt præ alijs à ministratione Baptismi.

Ex hac Conclusione infertur, quòd quamvis nobis Fratribus Minoribus, non prohibeatur ex regula, ut non administremus hoc Sacramentum, tempore necessitatis (verba enim illa regulæ, *ne fiant compatres virorum vel mulierum,* intelligenda suut de Compatribus quoad elevationem, ut in generali capitulo Mechlinensi 1499. declaratum est) tamen præ alijs Religiosis existimo nos maximè obligari ad nunquam baptizandum, extra extremum necessitatis casum, aut nisi intercederet expressa & voluntaria Parochi licentia, quia certum est, quòd inter Patrinos baptizans sit principalis.

Parvuli omnes baptizandi.

ASSERTIO IX. Parvuli omnes baptizari debent, & possunt. Est de fide definita in Trident: sess: 7. can: 13. *Prob:* Parvuli sunt capaces vitæ æternæ, & redemptionis per Christum, juxta illud Evangelistæ: *Sinite parvulos venire ad me:* ergo.

Necessitas Baptismi.

ASSERTIO X. Baptismus post Evangelij promulgationem semper fuit necessarius, non solùm originali peccato infectis, sed etiam immaculatæ Virgini conceptæ; & in utero sanctificatis. *Prob:* Præceptum illud Baptismi universale est, nullum excipiens, ergo nec sanctificati in utero, aut immaculatè concepta ab illo eximentur.

Objic:

Obijc: Beatissima Virgo fuit gratiâ plena: ergo nil ipsi profuit Baptismus. ℞. negando consequentiam, nam permittendo se baptizazari exercuit actũ virtutis, &externè professa est legem Evangelicam, & reddita est publicè capax aliorum Sacramentorum.

Parvuli expositi, sicut & monstra, baptizandi sunt sub conditione, hoc modo: *Si es capax, ego te, &c.* *Parvuli expositi quomodo baptizandi.*

ASSERTIO XI. Ad validè baptizandum parvulum quemcunq; , nec parentum, nec dominorum consensus requiritur, & sic Infidelium filij ipsis invitis, non solùm validè, sed etiam licitè baptizantur, quando id fieri posset, sine periculo æqualis, aut majoris mali. *Consensus parentum nõ requiritur in baptismo parvulorum.*

Probatur 1. pars. Parvuli omnes ex se sunt capaces baptismi; nec ratione aut authoritate constat, quòd consensus parentum, tanquam conditio saltem, requiri debet ad hoc, ut validè baptizentur. ergo.

Probatur 2. pars. Tum exemplo Mathat: 1. Mach: 2. qui jussit parvulos omnes in bello captos circumcidi, quod haud dubiè sciebat fieri invitis parentibus. Tum etiam, quia nil obstat, quò minùs possint baptizari parvuli tales, sine consensu parentum. ergo.

Dixi, *nisi inde magis malum sequeretur,* quia si sequeretur, puta si ob baptismum parvulorum infidelium parentes vellent Christianos sibi subjectos injustè persequi, aut ad infidelitatem cogere, tunc non esset licitum illos parvulos baptizare, quia non sunt facienda bona, ut inde eveniant mala. *Aliquãdo non est licitũ parvulos infideliũ baptizare.*

Necessitas medij baptismi. ASSERTIO XII. Sacramentum baptismi necessarium est necessitate medij in re, vel in voto, omnibus tam parvulis, quàm adultis. Est de fide definita in Concil: Milevit: Carthag: & Trident: sess: 7. can: 5. *Prob.* Illud dicitur necessarium necessitate medij, sine quo, regulariter loquendo, nullo modo finis consequi potest; sed Sacramentum baptismi est taliter necessarium. Ergo maj: est certa, prob: min: Joann: 3. *Nisi quis baptizatus fuerit, &c.* Dixi *in re, vel in voto*, quia quando baptismus fluminis re ipsâ haberi non potest, sufficit vel flaminis, vel sanguinis, cum voto Sacramenti.

Effectus baptismi. ASSERTIO XIII. Conferre gratiam sanctificantem, delere peccatum tam originale quàm actuale si adsit, & characterem imprimere, sunt effectus Sacramenti Baptismi. Est de fide.

Probatur 1. pars. Tum ex Concilio Viennensi in Clement: tum etiam ex Trident: sess: 5. de peccato originali, & sess: 6. ubi docet omnia peccata deleri per justificationem, sed per baptismum confertur justificatio in peccato existentibus, ergo. Tum deniq; ex dictis assert: 1. columnæ præced: *Ultima etiam pars patet* ex dictis Columnæ præced:

Quæ necessitas cæremoniarum Baptismi. ASSERTIO XIV. Cæremoniæ, quibus ordinariè utimur in baptizandis originali peccato infectis, de essentia baptismi non sunt, omitti tamen sine peccato nequeunt, si commodè adhiberi possunt. Hæc est certa.

1. Pars patet ex praxi Ecclesiæ, quæ in necessitate docet parvulos omissis illis cæremo-

nijs

nijs esse baptizandos. *Prob: etiam 2. pars.* Ex ejusdem Ecclesiæ praxi, quæ monet circa infantes, in necessitate gravi, omissis cæremonijs baptizatos, superato periculo, ut fiant debitæ cæremoniæ; quæ in his continentur versibus, quorum explicationem in Agenda quærat.

Sal, Oleum, Chrisma, cereus chrismatè, saliva, *Cæremoniæ Baptismi,*
Flatus, virtutem, baptismatis ista figurant.
Hæc cum patrinis, non mutant, sed tamen ornant.

ASSERTIO XV. Ubi receptum est Tridentinum, Patrini de fonte levantes baptizandum, non debent esse nisi unus, vel una, vel ad summum unus, vel una simul. Hæc habetur in Trident sess: 24. cap:2. ex quo colligitur, quòd, si alij ultra numerum assignatum tetigerunt baptizandum, nullam contrahent affinitatem, quia cognatio illa spiritualis non contrahitur, nisi inter Patrinum & baptizatum, ejúsq; parentes: ac inter baptizantem baptizatum, ejúsq; parentes. *Quot debeant esse Patrini.*

ASSERTIO XVI. Confirmatio, verum & propriè dictum novæ Legis Sacramentum, bene describitur, Sacramentum unctionis Chrismatis consecrati, quo debitus minister, frontem baptizati inungit, sub certa forma verborum. *Definitio Sacramenti Confirmationis.*

Prob: 1. pars. Tum ex Florentino in Decreto Eugenij, & Trident: sess: 7. can: 1. de Confirmatione, ubi expressè definitur; tum etiam, quia Scriptura Act: 8. docet, Petrum & Joannem, per impositionem manuum contulisse gratiam Samaritanis; sed secundùm

sanctos PP. impositio illa fuit Sacramentum confirmationis: ergo. Tum etiam auth: D. August: l. 2. contra Epist: Petiliani cap: 104. *Sacramentum*, inquit, *Chrismatis in genere signorum visibilium, Sacramentum est, sicut Baptismus.* ergo.

Probatur etiam 2. pars, quia habet conditiones bonæ descriptionis.

Materia & forma Confirmationis.

ASSERTIO XVII. Materia remota Confirmationis est Chrisma, substantia scilicet ex oleo olivarum & balsamo confecta; proxima, unctio; Forma verò: *Signo te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis, in Nomine Patris, & Filij, & Spiritûs sancti. Amen.*

Prob: 1. pars, tum ex Concil: jam citatis, tum ex perpetua Ecclesiæ traditione, tum etiam, quia non potest ostendi alia convenientior materia Sacramenti, confortantis animam in militia spirituali, quàm oleum & balsamum, quibus corpora nostra confortantur.

2. & 3. Pars de fide sunt, & extra controversam certæ.

Obijc: Apostoli contulerunt hoc Sacramentum per manuū impositionem sine Chrismate: ergo Chrisma non est ejus materia.

℞. negando antec: quia quamvis Scriptura Chrismatis mentionem non facit, credendum tamen est materiam illam fuisse à Christo institutam, & ab Apostolis adhibitam.

à quo chrisma debeat benedici.

ASSERTIO XVIII. Chrisma benedici debet ab Episcopo, qui solus ordinarius est minister hujus Sacramenti; extraordinarius autem de licentia Papæ potest esse simplex

plex Sacerdos. *1. Pars patet* ex decreto Eugenij, dicentis Chrisma bene dictum ab Episcopo, esse materiam hujus Sacramemcnti.

2. Pars est definita in Trident: jam citato, & patet ex Scriptura Actor: 8. ubi narratur, quòd cùm Philippus in Samaria baptizâsset multos, Apostoli missi sunt, ut eis manus imponerent, seu (ut loquitur August:)ut illos confirmarent. ergo.

Prob: 3. pars. Sanctus Gregorius Papa, ut ipsemet scribit lib: 3. moralium, epist: 26. dedit licentiam Presbyteris Sardiniæ conferendi hoc Sacramentum. Adrianus etiam VI. nostris Patribus in Indijs commorantibus, dedit authoritatem confirmandi (authentica ejus concessio habetur hodie in nostro Hispalensi Conventu) sed hoc non facerent, si Sacerdotes privati non possent esse ministri hujus Sacramenti. ergo. *Minister delegatus.*

ASSERTIO XIX. Sacramentum hoc admodum utile est, non tamen necessarium ad salutem, secluso contemptu, necessitate præcepti, aut medij. *Nulla est Necessitas hujus Sacramenti.*

Probatur 1. pars. Sacramentum hoc confert gratiam sanctificantem, & alias gratias actuales, quibus homo confortatur ad pugnandum pro fide; imprimit etiam characterem, ut est de fide, & abunde constat ex dictis de Sacramentis in genere; sed isti effectus sunt ad modum utiles: ergo. *Utilissimũ tamen est.*

Probatur 2. pars. Quia nullum potest ostendi præceptum divinum, naturale, aut Ecclesiasticum, obligans Christianos ad hoc Sacramentum, secluso contemptu, ergo. Dixi *secluso contemptu,* quia certum est, quòd mor-

taliter peccaret, qui, non solùm ex contemptu, nollet hoc Sacramentum suscipere, sed etiam qui ex negligentia omitteret illius susceptionem, quando commodè possit.

EPISTYLIUM PROBLEMATICUM COLUMNÆ XXXII.

An Sacerdotes Franciscani, in partibus ubi desunt Episcopi, possint hodie gaudere privilegio Adriani VI. circa administrationem Confirmationis?



COLVMNA XXXIII.

De Essentia, materia & Forma Sacramenti Eucharistiæ.

Eucharistiæ præ cæterũ eminentia.

ASSERTIO I. Eucharistia verum novi testamenti Sacramentũ præstantissimũ est omnium Sacramentorum. *1. Pars patet* ex Carthaginensi 3. c. 27. Florent: in Decreto unionis, & Trident: sess: 7. can: 1. his verbis: *Si quis dixerit Sacramenta novæ Legis non fuisse omnia à Christo Domino instituta, &c. anathema sit.* Patet etiam ratione, quia Eucharistiæ convenit tota ratio Sacramenti.

2. Pars patet etiam, tum ex Trident: jam citato, can: 3. ubi anathematizat eos, qui dicunt omnia Sacramenta esse æqualis dignitatis, & sess: 13. ubi hoc Sacramentum vocat san-

sanctissimum: sacrosanctum & divinum, in quo Deus divitias divini sui erga homines amoris effudit: ergo. tum etiam, quia effectus hujus Sacramenti, nempe corpus Christi est præstantissimus, & causa effectuum aliorum omnium Sacramentorum: ergo.

ASSERTIO II. Essentia tota hujus Sacramenti in esse permanentis consistit in solis speciebus consecratis, significantibus corpus & sanguinem Christi. *Prob:* Impugnando adversariorum sententias: & in primis, quòd corpus Christi non sit pars aut tota essentia hujus Sacramenti. *Probat:* Tum quia Sacramentum debet esse res sensibilis, sed corpus Christi in hoc Sacramento non est sensibile, ergo non est Sacramentum, aut pars illius: tum etiam, quia corpus Christi est effectus hujus Sacramenti, ergo non est ipsum Sacramentum; tum deniq; quia de fide est, ex Trident: sess: 13. Corpus Christi contineri in hoc Sacramento; ergo non est ipsum Sacramentum. *Essentia Eucharistiæ in quo consistat.* *Non in corpore Christi.*

Quod etiam consecratio non sit, probatur: Causa non est de essentia effectûs, sed consecratio est causa hujus Sacramenti, ergo maj: est certa. min: prob: ex Florent: sæpè citato, ubi dicitur, formam hujus Sacramenti esse verba Christi, quibus Sacramentum hoc conficitur; sed quod conficit aliquid, est illius causa. ergo. *Non in cōsecratione.*

Confirm: Quod ex natura sua transit, & in quadam successione cōsistit, non est de essentia rei permanentis (res enim non potest permanere sine sua essentia) sed Sacramentum

hoc est quid permanens (manet enim in altari, & à fidelibus verè sumitur transeunte formâ) & forma consecrativa est quid transiens, ergo forma illa non est de essentia hujus Sacramenti in esse permanentis.

Dices Rem transeuntem, moraliter tamen manentem, posse esse de essentia rei permanentis, sed forma consecrationis censetur moraliter manere, manente Sacramento. ergo. Contra Sacramentum Eucharistiæ potest per mensem (ne dicam tres) manere postquam transivit forma, sed quod sic manet, non potest moraliter censeri continere, rem taliter transeuntem. ergo.

Jam positivè probatur Conclusio. Speciebus consecratis convenit tota ratio Sacramenti Eucharistiæ, ergo in illis essentialiter consistit.

Obijc: Consecratione fit hoc Sacramentũ, sed species non fiunt consecratione, sed potiùs Corpus Christi: ergo non in speciebus, sed in corpore Christi consistit hoc Sacramentum. ℞. concedendo maj: & dist: min: Species secundùm se, & nudè sumptè, concedo min: species consecratæ, nego min: & consequentiam.

Obijc: 2. Non posset hoc Sacramentum adorari cultu latriæ, nisi includeret saltem corpus Christi, sed debet sic adorari. ergo. ℞. dist: maj: nisi includat ipsum tanquam partem essentialem, nego maj: tanquam partem essentialem, vel tanquam aliquid sub speciebus contentum, concedo maj: & min: & nego consequentiam.

Obijc:

Objic: 3. Forma est de essentia hujus Sacramenti; sed verba consecrationis sunt forma; ergo. R. dist: maj: in fieri concedo maj: in esse permanentis, nego maj: & distinctâ similiter min: nego consequentiam.

Forma in fieri, est de essētia Eucharistiæ.

ASSERTIO III. Eucharistia rectè describitur species consecratæ panis & vini, natæ causare gratiam sanctificantem in debitè illas suscipiente. *Probat:* tum ex dictis, tum quia habet requisita omnia.

Definitio Sacramēti Eucharistiæ.

ASSERTIO IV. Unitas specifica hujus Sacramenti, non physica, sed moralis est, & integralis, coalescens ex partialibus Sacramentis distinctis inter se numero, & specie, & ordinatis ad aliquod unum totale significandum.

Qualis sit Unitas hujus Sacramenti.

Quòd sit unum specie *probatur*, tum quia Trident: sess: 7. de Sacramentis in genere can: 1. anathematizat eos, qui dicunt plura, vel pauciora dari Sacramenta novæ Legis quam septem, inter quæ Eucharistiam enumerat: ergo Sacramentum Eucharistiæ unum est. Tum etiam, quia diversitas specifica specierum panis, à speciebus consecratis vini, non impedit unitatem specificam hujus Sacramenti. ergo, prob: antec: quamvis ossa, caro, & nervi sint inter se realiter & specie distincta, adhuc tamen constituunt unum specie corpus humanum; ergo quamvis species cōsecratæ panis & vini, sint inter se partialia Sacramenta specie diversa, adhuc possunt constituere unum specie Sacramentum totale, quod dicitur Eucharistia. *Probatur* jam Conclusio de unitate physica, species consecra-

hoc est quid permanens (manet enim in altari, & à fidelibus verè sumitur transeunte formâ) & forma consecrativa est quid transiens, ergo forma illa non est de essentia hujus Sacramenti in esse permanentis.

Dices Rem transeuntem, moraliter tamen manentem, posse esse de essentia rei permanentis, sed forma consecrationis censetur moraliter manere, manente Sacramento. ergo. Contra Sacramentum Eucharistiæ potest per mensem (ne dicam tres) manere postquam transivit forma, sed quod sic manet, non potest moraliter censeri continere, rem taliter transeuntem. ergo.

Jam positivè probatur Conclusio. Speciebus consecratis convenit tota ratio Sacramenti Eucharistiæ, ergo in illis essentialiter consistit.

Obijc: Consecratione fit hoc Sacramentũ, sed species non fiunt consecratione, sed potiùs Corpus Christi: ergo non in speciebus, sed in corpore Christi consistit hoc Sacramentum. ℞. concedendo maj: & dist: min: Species secundùm se, & nudè sumptè, concedo min: species consecratæ, nego min: & consequentiam.

Obijc: 2. Non posset hoc Sacramentum adorari cultu latriæ, nisi includeret saltem corpus Christi, sed debet sic adorari. ergo. ℞. dist: maj: nisi includat ipsum tanquam partem essentialem, nego maj: tanquam partem essentialem, vel tanquam aliquid sub speciebus contentum, concedo maj: & min: & nego consequentiam.

Obijc:

Obyc: 3. Forma est de essentia hujus Sacramenti; sed verba consecrationis sunt forma; ergo. R. dist: maj: in fieri concedo maj: in esse permanentis, nego maj: & distinctâ similiter min: nego consequentiam. *Forma in fieri, est de essētia Eucharistiæ.*

ASSERTIO III. Eucharistia rectè describitur species consecratæ panis & vini, natæ causare gratiam sanctificantem in debitè illas suscipiente. *Probat:* tum ex dictis, tum quia habet requisita omnia. *Definitio Sacramēti Eucharistiæ.*

ASSERTIO IV. Unitas specifica hujus Sacramenti, non physica, sed moralis est, & integralis, coalescens ex partialibus Sacramentis distinctis inter se numero, & specie, & ordinatis ad aliquod unum totale significandum. *Qualis sit Vnitas hujus Sacramenti.*

Quòd sit unum specie *probatur*, tum quia Trident: sess:7. de Sacramentis in genere can: 1. anathematizat eos, qui dicunt plura, vel pauciora dari Sacramenta novæ Legis quam septem, inter quæ Eucharistiam enumerat: ergo Sacramentum Eucharistiæ unum est. Tum etiam, quia diversitas specifica specierum panis, à speciebus consecratis vini, non impedit unitatem specificam hujus Sacramenti. ergo, prob: antec: quamvis ossa, caro, & nervi sint inter se realiter & specie distincta, adhuc tamen constituunt unum specie corpus humanum; ergo quamvis species cōsecratæ panis & vini, sint inter se partialia Sacramenta specie diversa, adhuc possunt constituere unum specie Sacramentum totale, quod dicitur Eucharistia. *Probatur* jam Conclusio de unitate physica, species conse-

cra-

cratæ panis non uniuntur physicè speciebus consecratis vini, ergo non faciunt unum specie physicum cum speciebus vini.

Unitas specifica Eucharistiæ est tantùm moralis.

Probatur 3. pars. Unitas specifica hujus Sacramenti, non potest aliter explicari, nisi dicendo quòd sit moralis, & integralis, ut patet ex jam dictis: ergo debet hoc dici.

Quòd verò unitas hæc coalescat ex partialibus Sacramentis, numero & specie distinctis, probatur: Species consecratæ panis sunt signa sensibilia physica specie diversa, ex ordinatione divinâ significantia efficaciter effectus gratiæ subsistentis diversos: ergo sunt duo Sacramenta partialia diversæ rationis; consequentia est evidens, quia talibus signis convenit definitio Sacramenti, à nobis anteà assignata, colum: 30. assert: 1. Prob: antec: Sanguis Christi est diversæ rationis specificæ à corpore, sed species vini significant primariò sanguinem, & species panis non sed corpus; ergo.

Confirm: Materia corporis Christi, scilicet panis, & forma, nempe, *Hoc est corpus meum*, tam sunt diversæ rationis specificæ, à materiâ & formâ sanguinis, & è contra, quàm sunt à materia & forma aliorum Sacramentorum; sed ab illis in esse Sacramenti realiter & specie distinguuntur; ergo & inter se, loquendo de specie physica, non verò morali, ut anteà probavi.

Laici non sumũt integrum & totale specie Sacramentum.

Objic: contra ultimam partem. Si species panis non sint totale & integrum Sacramentum Eucharistiæ, sequitur, quòd Laici non sumant integrum Sacramentum: sed hoc dici non debet: ergo. ℞. maj: in omni rigore

verum

veram esse, abstinendum tamen est coram simplicioribus præsertim, ab illo loquendi modo, aliàs putarent, quòd non sumerent integrum corpus & sanguinem Christi, aut unum Sacramentum, quod tamen non est verum, quia species panis sunt perfectissimum Sacramentum, & sub illa continetur vivum & verum Christi corpus, simul cum sanguine & divinitate, & sic qui sumit illud, perfectum Sacramentum Eucharistiæ accipit, quamvis secundùm rigorem sermonis integrum Sacramentum, in sensu jam explicato, non sumat.

ASSERTIO V. Tot sunt Sacramenta corporis Christi partialia numero distincta, quot sunt hostiæ consecratæ discontinuæ. *Vera distinctio numerica inter plura partialia Sacramenta.*

Prob: Totum homogenium, v. g. amphora aquæ, quæ ante divisionem una erat numero aqua, si dividatur in plures partes, quævis ab altera numero distinguitur, ergo quāvis hostia ante divisionem sit unum numero Sacramentum corporis, tamen post divisionem erit diversum.

Confirm: De fide est, quemvis ex suscipientibus hostiam sacratam, sumere verum Sacramentum Eucharistiæ: ergo si duo sumant simul duas particulas, accipiunt duo numero Sacramenta; implicat enim, ut naturaliter duo simul easdem numero species sumant, aut ut eædem numero species sint simul in diversis locis.

ASSERTIO VI. Materia requisita ad conficiendum Sacramentum Corporis Christi, est panis ex farina & aqua naturali confectus, & ad conficiendum Sacramentum san- *Materia Corporis & Sanguinis quæ?*

ſanguinis, vinum de vite. Hæc eſt de fide ex Trident: ſeſſ: 13. & prob: tum ex facto Chriſti, qui uſus eſt pane, & vino, tum etiam ex praxi perpetua Eccleſiæ.

Corporis vera materia eſt panis triticeus.

ASSERTIO VII. Solus panis triticeus poteſt eſſe materia Sacramenti corporis, eſt de fide in Trident: jam citato, & etiam Florentino, quorum authoritate probatur.

Dices, Concilium tantum velle triticeum panem eſſe materiam ordinariam, & neceſſariam tantùm neceſſitate præcepti hujus Sacramenti, non verò neceſſitate Sacramenti. Contrà eodem modo loquitur Concilium de materia corporis, ſicut de materia ſanguinis; ergo vel vinum de vite non erit de neceſſitate Sacramenti neceſſarium, pro materia ſanguinis, quod nemo dicet; vel panis triticeus erit neceſſitate Sacramenti neceſſarius, pro materia corporis.

Chriſtus inſtituit vinum pro materia ſanguinis, abſtrahendo à rubro & albo.

Objic: Quamvis Chriſtus conſecravit in vino albo, non ſequitur inde, quòd vinum rubrum non ſit materia ſanguinis, ergo quamvis conſecravit panem triticeum, non ſequitur inde, quin panis hordeaceus poſſit conſecrari. ℞. concedendo antec: & negando cõſequentiam, quia Chriſtus pro materia ſanguinis inſtituit vinum de vite, abſtrahendo ab hoc, an eſſet album, vel rubrum, ut patet ex perpetua Eccleſiæ traditione; pro materia autem corporis, non inſtituit panem quomodocunq;, ſed ſolum triticeum.

Non ſufficit lora, nec ſuccus,

Hinc infertur, nec ſuccum ex agreſta, nec acetum, nec loram poſſe eſſe materiam conſecrationis ſanguinis, quia non ſunt vinum de

de vite. Idem dic de succo incluso in uva, non verò de musto aut de vino parùm acido. *in uva inclusus.*

ASSERTIO VIII. Tam azimus, quàm fermentatus est sufficiens materia Sacramenti corporis. *Prob:* de azimo (de fermentato non est difficultas, nam additio fermenti non tollit, quin panis sit verus panis usualis) Christus Dominus consecravit in azimo, ergo panis azimus est sufficiens materia. Prob: antec: Christus usus est illo pane, quo secundùm legem tunc debebant omnes Judæi uti; sed ille fuit azimus: ergo maj: est certa. Prob:min: consecravit Christus illâ nocte, quâ ille & Judæi omnes debebant comedere agnum Paschalem, hoc est lunâ decimâ quartâ 1. Mensis, qui à Judæis dicebatur *Nisan*, sed illo die, & sequentibus duobus, panis fermentatus erat prohibitus, ut habetur Exod: 12. v. 18. & 19. ergo min: est certa, prob: ergo maj: tum Matth: 26. *Primo die Azimorum, &c.* tum etiam sic: Christus comedit agnum paschalem, & consecravit panem primâ die Azimorum, sed illa fuit luna decima quarta primi mensis ad vesperam (dies illa apud Judæos non habuit primas Vesperas) ut patet ex Scriptura loco citato; ergo consecravit panem, qui illa luna fuit usualis, sed ille fuit azimus, ut patet ex jam dictis, ergo. *Et azimus & fermentatus sufficit pro materia corporis.*

Obyc: Christus abrogavit legalia, sed panis azimus est aliquid legale: ergo non est institutus pro materia hujus Sacramenti. ℞. concedendo maj: & dist: min: est legale in quantum à Christo institutus pro materia hujus Sacramenti nego min: est legale aliquid, in

in

in quantum Judæi illo utebantur, concedo min: & nego consequentiam.

Quæ necessitas aquæ infusæ in calicem.

ASSERTIO IX. Aqua ex præcepto tantùm Ecclesiæ miscenda vino ante consecrationem, probabiliter loquendo, nec in vinum, nec in sanguinem transit.

Aqua manet simul cum sanguine Christi in calice.

Probatur 1. pars. Tum ex Concilijs sæpè citatis, ac perpetua Ecclesiæ traditione, & ipsius Christi facto, qui, ut in Liturgijs D. Jacobi Apostoli & Marci Evangelistæ expresse habetur, in nocte cœnæ miscuit aquam vino, ad denotandum, quòd de ipsius sacratissimo latere exiret sanguis, qui per vinum denotatur, & aqua elementaris. Quòd autem mixtio illa ex solo Ecclesiæ præcepto facienda sit, probatur, tum ex Trident: sess: 22. cap: 7. ubi sic habet: *Sancta Synodus monet, præceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miscerent.* Tum etiam, quia de nullo præcepto divino in hoc puncto nobis constat; nam per hoc, quòd ipse vinũ miscuit aquâ, malè colligitur, quòd præceperit Discipulis, & alijs, ut idem facerent, sicut per hoc, quòd laverit priùs Discipulorũ pedes, quòd priùs comederit cœnam, & posteà sedentibus Discipulis, dederit eis Eucharistiam, malè colligeretur quod præceperit alijs, ut idem faciant in administratione hujus Sacramenti, ergo admixtio illa aquæ cum vino, ex puro puto Ecclesiæ præcepto facienda est, nec aliud intendit Julius Pontifex, aut Cyprianus, relati in cap: *Cùm omnes,* de Consecratione, d. 2.

Quid per aquam denotetur? Est præceptum Ecclesiæ tantùm de infusione aquæ.

Probatur ultima pars (quæ de probabilita-

te stando puræ rationi loquitur) Aqua non convertitur nec immediatè, nec mediatè in sanguinem: ergo nullo modo. Prob: antec: quoad primā partem: Aqua non est materia nec pars materiæ sanguinis, ergo non convertitur immediatè in sanguinē; Prob: anteced: secundùm Trident: sess: 13. Vinum de vite est materia hujus Sacramenti; sed aqua non est de vite. ergo. Probatur 2. pars antecedentis principalis, si gutta v. g. aquæ posset converti à vino cui imponeretur, in vinum, sequeretur, quòd ampulla vini, in vinum converteret unum vas aquæ; sed hoc nemo rationabiliter admittet, ergo neq; illud. Probatur sequela: Potest ampulla vini convertere in se duas guttas aquæ, ergo & quatuor, & sex, & consequenter paulatim integrū vas. Prob: consequentia, quò plus est de vino, eò majorem habet vim convertendi in se aquam; sed conversâ primâ guttâ aquæ in vinum, plus erit de vino, quàm antea fuit: ergo factâ conversione primæ guttæ aquæ, vinum habebit majores vires ad alias & alias guttas in se convertendas. *Aqua non habet à quo in vinum convertatur.*

Dices. Per conversionem aquæ in vinum, vires vini debilitari. Contra 1. Per conversionem lignorum in ignem, vires prioris ignis non debilitantur, sed augentur, quia factâ illâ conversione fit major ignis quàm anteà, sed factâ conversione aquæ in vinum, est plus de vino quàm anteà, ergo vires illius non debent debilitari. Contra 2. Aqua quæ in vinum convertitur, debet post conversionem esse ejusdem rationis cum vino convertente illam, ergo per additionem illius, præceden-

cedentis vini vires non debent debilitari, sed potiùs augeri, & consequenter factâ illa conversione, vinum habebit majores vires, ad alias & alias aquæ guttas convertendas.

Confirm: hoc 1. Humiditas & frigus, quæ sunt qualitates connaturales substantię aquæ, expelli non possunt, nisi per contrarias qualitates, nempè calorem, & siccitatem, sed manifestum est, quòd vinum non habeat, formaliter loquendo, calorem aut siccitatē, ergo non habet vires, quibus posset expellere qualitates conservativas aquæ; sed illis non expulsis, manet semper substantia aquæ; ergo in calice simul cum sanguine manet substantia aquæ.

Manente aquâ cum sanguine meliùs repræsentatur veritas & figura sanguinis.

Probatur secundò eadem pars. Si diceretur, quòd in consecrato Calice maneret aqua in sua substantia, meliùs repræsentaretur in hoc Sacramento veritas & figura sanguinis, & aquæ naturalis, quæ de latere Christi in Cruce fluxerunt; nec in hoc ullum esset periculum Idololatriæ, ut unicuiq; prudenti patet: ergo stando puræ rationi hoc est dicendum.

Dixi rationi, quia stando authoritati, probabiliùs est, quòd aqua priùs convertatur in vinum, & posteà in sanguinem.

Quomodo materia debeat esse determinata.

ASSERTIO X. Materia consecrationis debet esse determinata & certa; non tamen determinatæ magnitudinis, aut parvitatis, modò sit sensibilis.

Prob: 1. pars. Tum ex Rubricis Missalis, tum etiam, quia forma consecrationis, in qua proferuntur *Hoc*, & *Hic*, non esset vera, nisi materia esset certa, & determinata, & moraliter ad minimum præsens, hoc est, judicio

dicio prudentis, non notabiliter distans à proferente formam.

Probatur 2. pars. Quævis quantitas sensibilis panis est panis, & vini, est vinum; sed panis, est materia consecrabilis; ergo & quævis ejus sensibilis quantitas. Dixi *sensibilis*, quia Sacramenta sunt signa sensibilia, propterea sic instituta, ut possit quis cognoscere quando suscipiuntur; sed insensibilis pars panis non esset talis. ergo.

ASSERTIO XI. Determinata verborum forma ad hoc Sacramentum sufficiens & necessaria, est illa, in Canone Missalis Romani assignata. Est de fide, ex Trident: sess: 13. & Florent: in Decreto unionis. *Prob:* Tum quia Christus non est usus aliâ consecrandi formâ: tum etiam ex praxi omnium fideliũ adorantium Christum, statim ac verba illa proferuntur. ergo. *Forma vera consecrationis.*

ASSERTIO XII. Ut validè cõsecretur panis, sufficiunt hæc quatuor verba: *Hoc est Corpus meum;* & ut vinum, sufficiunt hæc, (vel æquivalentia) *Hic est sanguis meus*: ut verè licitè præmitti debent alia omnia in Canone posita, incipiendo à ly *Qui pridie.* *Quæ verba sufficiãt pro consecratione.*

Prob: 1. pars. Ad confectionem Sacramenti sufficit, ut Minister habens intentionem debitam, applicet materiæ formam essentialiter requisitam; sed illa quatuor verba sunt forma hic requisita ad consecrationem panis, ut definit Florent: & Trident: jam sæpiùs citatum. ergo.

Prob: 2. pars. Tum à paritate formæ consecrationis: tum etiam, quia ideo sola hæc

verba, *Hic est sanguis meus*, non sufficerent, vel quia Christus omnia alia, quæ in Canone subsequuntur, adjunxit: vel quia Ecclesia illa semper adjungit. sed neutrum horum est sufficiens ratio. ergo. Prob: 3. non primum, tum quia omnia illa verba, ut à nobis defactò proferuntur in Canone, non habentur apud ullum unum ex Evangelistis: tum etiam, quia quamvis ad formam corporis Christus adjunxit ly *quod pro vobis tradetur*; adhuc tamen, etiam secundùm Adversarios, particula illa non est de essentia formæ corporis: ergo quamvis subjunxisset post ly *sanguinis mei*, alia omnia quæ ordinariè à nobis proferuntur, inde non sequitur, quòd essent de essentia formæ sanguinis.

Non etiam secundum, quia Ecclesia adjungit ad illa verba semper ly *enim*; & tamen secundùm omnes non est de essentia formæ. ergo.

Præceptū Ecclesiæ circa formam Consecrationis

Probatur ultima pars. Ex præcepto saltem Ecclesiæ debent omnia verba in Canone posita proferri; ergo licitè nullum ex illis omitti potest.

Obijc: pro prima parte. Si Sacerdos proferat illa sola quatuor verba, non præmittendo alia in Canone posita, tunc non significaretur ibi esse Corpus Christi, sed Sacerdotis; ergo non sufficiunt illa.

℟. distinguendo antecedens, non significatur præcisè ex vi sermonis, sine intentione proferendi ea in persona Christi, concedo antecedens: si Sacerdos habeat intentionem proferendi ea in persona Christi, nego antecedens & consequentiam.

A S-

ASSERTIO XIII. Forma hujus Sacramenti profertur à Sacerdote recitativè & significativè simul. Ut intelligatur Conclusio, adverte tunc verba aliqua recitativè, seu materialiter tantùm proferri, quando unus alterius dicta nudè narrat, vel profert, non curando, quid per illa significatur, ut frequenter facit actor in comœdia, & qui linguã loquitur, quam non intelligit. Significativè verò, quando proferuntur verba cum intentione significandi per ea, quod ex institutione sua debent significare. Hinc facilè colligitur, quid sit verba recitativè & significativè simul proferre. Nunc probatur Conclusio, Sacerdos profert illa verba in persona Christi, & per ea intendit idem significare, quod Christus intendebat: ergo profert ea recitativè & significativè simul. ergo.

Forma hæc & recitativè & significativè proferatur.

Quid sit verba recitativè proferre.

Confirm: Si merè recitativè verba formæ proferrentur à Sacerdote, non significarent Corpus Christi esse hic & nunc sub his speciebus præsens, sed potiùs sub illis speciebus, quas in cœna discipulis dedit Christus; sed de fide est, verba consecrationis significare Corpus Christi esse hic & nunc præsens sub illis speciebus: ergo non merè recitativè proferuntur. Probatur major, qui nudè tantùm recitat verba ab alio prolata, vel quia nihil intelligit, vel si aliquid, non aliud, quàm quod ille alter ante per ea tali loco & tempore significabat, sed Christus significabat per verba in Cœna ab ipso prolata Corpus suum esse sub illis solis speciebus, quas ille tunc in cœna coram se habuit: ergo si verba illa

 merè

non sequitur tenendo nostrã conclusionem; ergo. Lege Doct: in 4. distinct: 8. q. 2. n. 17.

EPISTYLIUM PROBLEMATICUM COLUMNÆ XXXIII.

An forma Eucharistiæ de rigore sermonis, logicè loquendo, sit vera?



COLVMNA XXXIV.

De reali præsentia Corporis Christi, & transubstantiatione.

ASSERTIO I. Verè realiter & substantialiter sub speciebus consecratis Corpus & Sanguis Christi continentur. Est de fide, definita in varijs Concilijs, quorum authoritate, sicut & omnium ferè Sanctorũ Patrum (quos fusè citat Bellarminus lib: 1. de Eucharistia cap: 6. & sequentibus. *Realis præsẽtia Christi sub speciebus.*

Prob: 1. Conclusio. *Prob: etiam secundò.* Christus Matth: 26. & alibi sæpè dixit, illud quod dedit Discipulis esse ipsius Corpus, ergo cùm nec ratio, nec authoritas exigit, ut illa verba intelligantur impropriè, credendum est, quòd verè & propriè, juxta literalẽ Scripturæ sensum, ibi contineatur Corpus Christi. Confirmatur hoc, non est ulla ratio, cur verba illa Joannis 1. *Et Verbum caro*

connaturalem ad locum eſt in Euchariſtia, ſub qualibet ſpecie tam panis, quàm vini. Eſt de fide, definita in Concilio Conſtantinopolitano, ſeſſ: 13. Florent: in Decreto Unionis, & Trident: ſeſſ: 13. cap: 3. his verbis: *Hæc Fides ſemper in Eccleſia Dei fuit, ſtatim poſt conſecrationem verum Domini noſtri Corpus, verúmq; ejus ſanguinem ſub panis & vini ſpecie, unà cum ipſius anima & divinitate exiſtere; ſed corpus quidem ſub ſpecie panis, & ſanguinem ſub vini ſpecie, ex vi verborum, ipſum autem corpus ſub ſpecie vini, & ſanguinem ſub ſpecie panis animámq; ſub utraq;, vi naturalis illius connectionis & concomitantiæ, quâ partes Chriſti Domini, qui jam ex mortuis reſurrexit, non ampliùs moriturus, inter ſe copulantur: Divinitatem porrò propter admirabilem illam ejus cum corpore & anima hypoſtaticam unionem. Quapropter veriſſimum eſt tantundem ſub alterutra ſpecie, atq; ſub utraq; contineri.* ergo.

Probatur 2. ratione. Non poteſt eſſe materialiter corpus vivum & verum ſine anima, ſanguine, & accidentibus ſuis connaturalibus; nec ſanguis vivus, niſi conjunctus corpori; ſed ſub ſpeciebus panis ponitur vivum & verum Chriſti corpus (Chriſtus enim, ut ait Apoſtolus, non ampliùs moritur, mors illi ultrà non dominabitur.) ergo.

Chriſtus nō eſt præſens ſecundùm aliquos reſpectus.

Dixi in concluſione, non dicentibus reſpectum connaturalem, àd locum, quia talia accidentia, ut ſunt motio, actio, paſſio, &c. ſupponunt locum, & modum eſſendi in ipſo naturalem, & extenſum, qui modus non eſt com-

compatibilis cum ubi Sacramentali Corporis Christi in Eucharistia.

Obijc: Non ponitur humanitas Christi ubicunq; est divinitas, quamvis uniatur physicè divinitati: ergo non ponitur anima aut sanguis, ubicunq; ponitur Corpus Christi, quãvis cum illo habeant naturalem connexionẽ. ℟. negando consequentiam & paritatem, quia Divinitas ob suam illimitationem & immensitatem est ubiq; necessario, & sic non est inconveniens, ut sit in multis locis, ubi non est humanitas Christi, quæ finita est & limitata, secùs dicendum est de corpore vivo, & sanguine.

Cum corpore & sãguine Christi nõ manet substãtia.

ASSERTIO III. Sub speciebus Eucharisticis simul cum corpore & sanguine Christi non manet substantia panis & vini. Est expressè de fide definita in Lateranensi, sub Innocent: III. Florent: in Decreto Unionis, & Trident: sess: 13. Can: 2. his verbis: *Si quis dixerit in SS. Eucharistiæ Sacramento remanere substantiam panis & vini, unà cum corpore & sanguine Domini, anathema sit. Probatur conclusio* jam citatorum Conciliorum authoritate, quibus adde, quæ inferiùs de transubstantiatione dicemus.

ASSERTIO IV. Nulla intercedit unio formalis & vera inter species Eucharisticas, & corpus Christi. *Prob:* Non uniuntur hypostaticè, ut omnes concedunt, non etiam accidentaliter, quia conservantur sine omni subjecto, ut omnes docent, non intercedit etiam unio formæ substantialis ad materiam, quia corpus non habet rationem, aut sub-

subjecti, aut materiæ respectu specierum, aut è contra. ergo nullo modo uniuntur verè; & sic tenendum est, quòd Corpus Christi sit speciebus Eucharisticis tantùm præsens, per relationem veram & novam, extrinsecùs advenientem.

Obijc: Species erant unitæ pani & vino; sed Corpus Christi succedit substantiæ panis, ergo. ℞. distingu: minorem, succedit ita, quod contineatur sub speciebus, sub quibus continebatur panis, concedo min: succedit sic, ut in corpore subjectentur species, sicut in pane subjectatæ erant, nego min: & consequentiam.

ASSERTIO V. Operationes immanentes, quæ in cœlo Christo conveniunt, conveniunt etiam illi in Sacramento: actiones autem sensuum externorum exercere non valet, bene tamen intellectûs & voluntatis. *Quænam operationes Christo in hoc Sacramēto conveniant.*

Probatur 1. pars. Nullum absolutum desinit esse in aliquo, propter nudum & novum præsentiæ respectum, sed operationes immanētes, puta visio & fruitio beatifica, sunt qualitates absolutæ: ergo non desinunt esse in Christo, propter præsentiam ejus Sacramentalem.

Probatur 2. pars. Sensus externi Christi, secundùm statum, quem habet in Sacramento, non possunt moveri ab objecto sensibili: ergo Christo ut sic constituto, non potest cōpetere operatio sensûs externi.

Prob: 3. pars. Nihil impedit, ut Christus habeat, ut in Eucharistia existens, operationes intellectûs & voluntatis, ergo. Prob: antec: Potentiæ puræ spirituales, non possunt

in

in suis operationibus impediri per hoc, quod totum cujus sunt, inveniatur modo sibi non connaturali; sed intellectus & voluntas in Christo sunt potentiæ connaturales. ergo.

Obijc: contra 1. partem. Sensatio sensûs exigit præsentiam objecti; sed objecta cognita & visa in cœlo non sunt illi in Eucharistia præsentia. ergo. ℞. distinguendo maj: præsentiam objecti alicubi, concedo maj: in omni loco nego maj: & concessâ min: nego consequentiam.

In quo statu intellectus moveatur ad intellectionē ab objecto dependenter à phātasmatibꝰ

Obijc: contra ultimam partem. Intellectus non movetur ad intellectionem objecti sensibilis, nisi dependenter à phantasmatibus; sed phantasia Christi, ut in Eucharistia existit, nullam habet operationem, ergo nec intellectus. ℞. distingu: maj: Pro statu patriæ & beatitudinis, nego maj: pro statu viæ, concedo majorem & minorem, & nego consequentiam.

Quo motu moveatur corpꝰ Christi motis speciebus?

ASSERTIO VI. Corpus Christi in Eucharistia, non potest neq; per se, neq; per accidens, physicè moveri localiter, à movente species, bene tamen moraliter.

Prob: Non potest in Sacramento Corpus Christi moveri physicè ab ullo, nisi quatenus moveret physicè species, quibus corpus est præsens; vel quatenus corpus comitetur semper species, quocunq; moveantur; sed neutro modo dici potest, quòd physicè Corpus Christi moveatur à Sacerdote. ergo. Major est certa. prob: min: quoad 1. partem, exemplo Doct: per hoc, quòd Angelus sisteret se præsentem lapidi, movens lapidem, non propterea moveret Angelum, ut est certum, sed non

non est major unio physica inter corpus Christi & species, quàm in tali casu esset inter Angelum & lapidem: ergo movens species, non movet physicè corpus Christi.

Probatur etiam minor principalis quoad secundam partem. Si Angelus ille præsens lapidi determinaret, quod se vellet movere ad motum lapidis causatum ab alio; motus ille Angeli, moto lapide, non proveniret physicè à movente lapidem, sed potiùs ab ipsomet Angelo, & moraliter tantùm à movente lapidem, suppositâ determinatione Angeli; sed eodem modo allegatur Christus, ex decreto nimirum Dei, ad hoc, ut à voluntate divina moveatur physicè, quoties à Sacerdote moventur species; ergo non moventur physicè à movente species, sed potius à Deo, & moraliter tantùm à movente species, & per hoc patet probatio secundæ partis, & quomodo verum est, quòd Sacerdos elevet Corpus Christi in altari, deferat illud ad infirmos, &c.

ASSERTIO VII. Corpus Christi in sensu reduplicativo præsentiæ Sacramentalis, neq; de potentia absoluta videri potest ab oculo corporeo, bene tamen in sensu specificativo.

An corpus Christi ab oculo corporeo in Eucharistia possit videri.

Probatur 1. pars. Non potest potentia visiva etiam divinitùs ferri in aliquod objectū, quod est extra latitudinem objecti sui proprij; sed præsentia sacramentalis est extra latitudinem oculi corporei. ergo. Maj: est certa, prob: min: Objectum oculi est color vel lumen, vel sensibile commune, quale sunt numerus, motus, quies, figura & magnitu-

gnitudo; sed præsentia illa sacramentalis, sub nullo ex illis continetur. ergo.

Probatur 2. pars. Nihil impedit, quo minùs possit naturaliter videri corpus, habens sacramentalem præsentiam, non visâ præsentiâ, nisi quia non habet extensionem localẽ, seu præsentiam suam naturalem, sed non implicat, ut Deus in productione visionis, suppleat defectum utriusq;: ergo. Maj: est certa. probatur min: Potest Deus supplere concursum connaturaliter requisitum ex parte objecti ad visionem, ex parte gratiæ ad actum meritorium, & luminis gloriæ ad visionem beatificam; ergo & defectum extensionis localis requisitæ, ad ocularem visionem corporis Christi.

Obijc: contra 1. partem. Potest oculus corporeus videre præsentiam duarum rerum: ergo & præsentiam sacramentalem Corporis Christi divinitùs saltem. Prob: antecedens, potest discernere inter absentiam & præsentiam rerum duarum, ergo & videre præsentiam. ℞. negando antecedens, ejúsq; probationis antecedens, loquendo de præsentia formaliter sumpta; nam oculus vidit tantùm colores & lumen; & intellectus tunc est, qui discernit, an res sit præsens, vel absens.

In quo statu intellectus possit videre præsentiã corporis Christi.

ASSERTIO VIII. Intellectus creatus, pro hoc statu nequit naturaliter intuitivè videre præsentiam Corporis Christi in Eucharistia; bene tamen in statu separationis.

Probatur 1. pars. Pro hoc statu nihil potest intuitivè cognoscere, nisi dependenter à sensibus;

ſibus; ſed præſentia illa ſub nullo ſenſu externo cadere poteſt, ut jam dixi, ergo.

Probatur 2. pars. Præſentia ſacramentalis continetur ſub objecto adæquato motivo intellectûs creati, non dependentis à ſenſibus: ergo poteſt naturaliter à tali intellectu cognoſci, probatur antec: continetur ſub ente ut ſic, ergo.

ASSERTIO IX. Tranſubſtantiatio, tranſitio totius ſubſtantiæ in ſubſtantiam, poſſibilis eſt. *Prob: 1. pars* illam explicando: Ly *tranſitio*, id eſt converſio, eſt genus, in quo definitum convenit cum alijs mutationibus, ly *totalis* eſt differentia, definiti à corruptione naturali, in qua nunquam deſinit tota ſubſtantia rei. Additur ſubſtantiæ in ſubſtantiam, ad denotandum, quòd uterq; terminus hujus mutationis ſit ſubſtantia. *Probatur 2. pars.* Non implicat, ut deſinat eſſe ſubſtantia aliqua v. g. lignum, ſecundùm ſe, & omnes ſuas partes eſſentiales, manentibus duntaxat accidentibus; & ut alia ſubſtantia de novo incipiat eſſe ſecundùm ſe totam, & priori ſuccedat ſub ijsdem accidentibus; ſed talis eſſet tranſubſtantiatio. ergo.

Definitio Tranſubſtãtiationis.

ASSERTIO X. Tranſubſtantiatio formaliter loquendo dicit actionem veram & novam, quâ mediante panis convertitur in Corpus Chriſti. *Probatur.* Non poteſt haberi effectus novus & realis, niſi per actionẽ novam & realem, ſed præſentia Corporis Chriſti ad ſpecies Euchariſticas, & deſitio totalis ſubſtantiæ panis ſunt effectus novus & rea-

Quid formaliter dicat tranſubſtantiatio.

realis: ergo ponitur per actionem novam & realem.

Terminus à Quo, & ad Quem, Transsubstantiationis.

ASSERTIO XI. Terminus, à quo actionis transsubstantiativæ est substantia panis & vini; ad quem verò, de novo productus, est ipsa præsentia corporis ad species, ut habet concomitantem desitionem substantiæ panis.

Probatur prima pars. Terminus à quo cujuscunq; conversionis substantialis est ille, qui desinit esse, quando producitur terminus ad quem, ut per se patet; sed in conversione transsubstantiativa, substantia panis & vini est quæ desinit esse. ergo.

Probatur 2. pars. Per illam actionem nihil de novo producitur, præter illam præsentiā; ergo.

Terminus formalis Transsubstantiationis.

ASSERTIO XII. Absolutè loquendo, terminus formalis *Ad quem* hujus conversionis substantialis, præter illam substantiam, est terminus ejus formalis *ad quem*.

Confirm: Terminus formalis *ad quem* actionis conversivæ est illud, in quod aliud convertitur, ut patet in quacunq; conversione tam substantiali, quàm accidentali; sed substantia panis per hanc conversionem convertitur, in substantiam corporis Christi, ergo terminus *ad quem* illius, erit ipsum corpus Chtisti: Major est certa, & min: de fide, ex Trident: sess: 13. cap: 4. can: 2. ubi ait: *Mirabilem hanc conversionem, esse totius substantiæ panis & vini, in substantiam Corporis & Sanguinis Domini.*

Objic: Potest transsubstantiatio esse mutatio

tio substantialis, quamvis terminus *ad quem*, illius esset accidens, puta præsentia; ergo frustrà assignatur pro termino illius *ad quem*, substantia corporis. Prob: antec: Decapitatio est mutatio substantialis, quamvis terminus *ad quem* illius est pura negatio capitis, & similiter dic de omni corruptione substantiali. ergo. ℞. negando antec: & consequentiā suæ probationis, & disparitas est, quia transubstantiatio est mutatio substantialis positiva, & sic petit terminum substantialem positivum; decapitatio autem non est, sed potiùs negativa mutatio, & sic contentatur solâ negatione pro termino.

Per hanc Corpus Christi nō producitur, nec cōservatur.

ASSERTIO XIII. Per actionē transubstantiativā non producitur, nec conservatur ipsa snbstantia corporis Christi in Eucharistia. *Prob:* Implicat ut idem effectus dependeat à duabus actionibus totalibus, seu etiam, quarum una esset totalis, & altera partialis, ut fusè probavi in physica, sed si per transubstantiationem defacto vel conservaretur Corpus Christi, dependeret à duabus talibus actionibus; ergo. Probatur minor. Corpus Christi est jam productum & conservatum à 1663. annis, productione & conservatione adæquatâ independenter ab actione transubstantiativa; ergo si produceretur aut conservaretur per illam actionem, dependeret à duabus actionibus adæquatis, seu quarum una est adæquata.

Confirm: Sine ulla prorsus necessitate diceretur, quòd per actionem transubstantiativā produceretur aut cōservaretur Corpus Chri-

 sti:

ſti; ergo non debet hoc dici. Probatur antecedens. Ad tranſubſtantiationem non requiritur aliud, niſi ut Corpus Chriſti ſiſtatur præſens ſpeciebus, & quòd ratione illius præſentiæ deſtruatur ſubſtantia panis & vini, ſed totum hoc poteſt haberi, quamvis per actionem tranſubſtantiativam, nec produceretur, nec conſervaretur Corpus Chriſti. ergo.

Objic: Tranſubſtantiatio non rectè diceretur actio ſubſtantialis, niſi per illam produceretur ſubſtantia: ergo debet per illam produci: ſed non alia, niſi ſubſtantia Corporis Chriſti. ergo. *Confirm:* Corpus Chriſti eſt terminus formalis, *ad quem,* hujus converſionis: ergo per illam producitur. ℞. negando antecedens, nam ut dicatur ſubſtantialis, ſufficit, quòd virtute illius ſubſtantiæ Corporis Chriſti ſiſtatur præſens ſpeciebus, & deſtruatur ſubſtantia panis & vini, produceretúrq; etiam de novo ſubſtantia Corporis Chriſti, niſi anteà eſſet producta.

Quid ſufficiat ad hoc, ut Tranſubſtantiatio dicatur ſubſtantialis.

Ad *Confirmationem* ℞. diſtinguendo antecedens, terminus formalis de novo productus, nego antecedens, terminus formalis ſpecificativus illius actionis, & ſuccedens ſubſtantiæ panis, concedo antecedens, & nego conſequentiam.

Quid pro formali dicat trãſubſtantiatio.

ASSERTIO XIV. Tranſubſtantiatio eſt actio tantùm adductiva Corporis Chriſti ad ſpecies. *Probatur.* Tum quia non poteſt oſtendi, in quo alio conſiſteret: tum etiam, quia ſufficit, ut dicatur actio adductiva, hoc eſt, actio, quâ mediante verè & phyſicè ipſa præſentia nuda Corporis Chriſti ad ſpecies producitur: ergo eſt tantùm actio addu-

adductiva, quæ concomitantem habet deſitionem, imò & veram annihilationem panis, (tunc annihilatur ſubſtantia, quando nulla pars ſubſtantialis illius manet) in cujus locū ſuccedit ſubſtantia adducta.

ASSERTIO XV. Accidentia abſoluta panis & vini, poſt conſecrationem manent ſine ſubjecto ſaltem ultimato. *Accidētia Euchariſtica manent ſine ſubjecto.*

Probatur Authoritate Conciliorum Lateranſ: in cap: *Firmiter*, Florentin: in Decreto Eugenij, & Trident ſeſſ: 13. cap. 2. definientium, quod in Euchariſtia manant ſpecies panis, deſtructâ ſubſtantiâ utriusq;, ſed accidentia illa non ſubjectantur in corpore Chriſti, cui nec uniuntur, ut antea probavi aſſertione ſextâ hujus columnæ; nec poteſt oſtendi, in quali eſſent, tanquam in ſubjecto ultimato, ergo in nullo tali ſunt.

Dixi ultimato, quia ex ſuppoſitione, quòd detur quantitas realiter diſtincta à ſubſtantia, erit ſufficiens ſubjectum immediatum omnium qualitatum Euchariſticarum, ut probavi in phyſica; nõn tamen ultimatum, quia ipſamet quantitas exigit ſubjectari in ſubſtantia, tanquam in ſubjecto immediato ſuo, & mediato ſeu ultimato qualitatum. *Quantitas eſt ſubjectum accidentium immediatum ſed nō ultimatū.*

ASSERTIO XVI. Agens naturale, poteſt agere in ſpecies Euchariſticas illas deſtruendo; ſub illis tamen manet tam diu Corpus Chriſti, quamdiu maneret ſubſtantia panis connaturaliter loquendo, ſi adeſſet. *Corruptibilitas ſpecierū conſecratarū. Permanētia Corp: Chriſti ſub ſpeciebus quāta ſit.*

Prob: 1. pars, experientiâ hoſtiæ in ignem projectæ: ergo. *Probatur etiam 2. pars.* Tum ex praxi Eccleſiæ venerantis hoſtiam ex ſtoma-

ſtomacho ejectam, aut in ſordido loco projectam; tum etiam, quia nulla eſt ratio, cur naturaliter loquendo ſub accidentibus diutiùs maneret ſubſtantia panis incorrupta, quàm ſubſtantia Corporis Chriſti præſens; ſed manentibus accidentibus integris, connaturaliter loquendo, maneret ſemper ſubſtantia panis; ergo & ſubſtantia Corporis Chriſti illi ſuccedens.

EPISTYLIUM PROBLEMATICUM COLUMNÆ XXXIV.

An ſimul cum puerili forma in hoſtia apparente, maneat Corporis Chriſti vera ſubſtantia?



COLVMNA XXXV.

De neceſſitate præcepti, & miniſtro Euchariſtiæ.

Nulla eſt neceſſitas medij Euchariſtiæ.

ASSERTIO I. Euchariſtia non eſt neceſſaria neceſſitate medij, neque in re, neq; in voto, ad conſequendam vitam æternam. *Probatur.* Quod non eſt neceſſarium ad obtinendam primam gratiam juſtificantē, non poteſt eſſe neceſſarium neceſſitate medij ad ſalutem; ſed Euchariſtia non eſt neceſſaria, neq; in re, neq; in voto ad primam gratiam

tiam illam obtinendam : ergo. maj: est certa, nam habens primam gratiam justificantem, est Filius Dei, & hæres Regni cœlestis, ut est de fide. Prob: jam min: quoad primam partem : Per baptismum confertur baptizato prima gratia justificans, ut probavi assertione 13. Columnæ 31. Et similiter per pœnitentiam confertur prima gratia justificans post lapsum, & hoc ante sumptionem Eucharistiæ : ergo Eucharistia in re non est necessaria ad primam gratiam, nec consequenter ad salutem.

Prob: etiam 2. pars de voto, eatenus Eucharistia esset sic necessaria, quatenus votum ipsius afferret aliquem effectum necessarium ad salutem ; sed nullum affert ; ergo probatur min: Votum Eucharistiæ non potest esse magis utile ad salutem, quàm esset ipsa Eucharistia, si in re confertur ; sed Eucharistia re ipsâ suscepta, non affert ullum effectum necessarium ad salutem, ut patet ex mox dictis : ergo.

Obijc: Joann: 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, &c.* colligitur, quòd Baptismus sit necessarius necessitate medij : ergo ex his alijs Joann: 6. *Nisi manducaveritis carnem Filij hominis, non habebitis vitam in vobis*, colligi debet, quòd hoc Sacramentum sit necessarium necessitate medij, in re, vel in voto ad salutem. ℟. nega: anteced: nam ex illo loquendi modo Scripturæ tantùm colligitur, quòd baptismus sit necessarius necessitate medij vel præcepti ; quod verò sit necessarius necessitate medij, non ex illo loco præcisè colligimus, sed potiùs quia est medium

 neces-

necessarium ad primam gratiam. Deinde, certū est, Christum illis verbis Joann: 6. *Nisi manducaveritis, &c.* fuisse locutum solis adultis, qui soli propriè loquendo manducare possunt, & sic nihil facit ad propositum.

Præceptū divinū de sumenda Eucharistia ab adultis.

ASSERTIO II. Præcepto Divino cōprehendente, omnes & solos adultos rationis compotes, Eucharistia necessaria est ad salutem. *Probatur* ex illo Joann: 6. *Nisi manducaveritis carnem filij hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* 1. Corinth: 1. *Hoc facite in meam commemorationē.* Quæ verba adminimùm afferunt necessitatem præcepti divini.

Soli adulti ligantur hoc præcepto.

Quòd verò hoc præcepto soli adulti teneantur, probatur, tum quia soli illi capaces sunt præcepti, ejúsq; obligationis, qui habent suas liberas actiones; sed soli adulti habent hujusmodi actiones: ergo soli illi obligantur illo præcepto. & propter hoc Trident sess: 21. cap: 4. damnat eos, qui dicunt Eucharistiam esse parvulis ullo modo necessariam ad salutem.

Et quidem omnes.

Quòd etiam omnes adulti obligentur illo præcepto, probatur, quia non est potior ratio, cur unum comprehenderet adultum, & non alterum; ergo omnes comprehendit.

Objic: contra 1. partem. Non magis præcipitur in locis jam Scripturæ citatis, pro illa parte, sumptio corporis quàm sanguinis, sed sumptio sanguinis non est sub illo præcepto, ergo nulla. ℞. negando min: & consequentiam; nam qui corpus sumit Christi vivum, & sumere debet, etiam sanguinem in illo contentum.

Objic:

Objic: contra 2. partem. Infideles non sunt capaces hujus Sacramenti: ergo non obligantur ad illius sumptionem. ℞. distingu: antecedens, capaces proximè, id est, durante infidelitate, concedo antecedens, remotè, nego antecedens, & consequentiam. Infideles enim comprehenduntur sub præcepto divino, & sic tenentur deponere infidelitatem, & illud complere.

ASSERTIO III. Probabile est, quod non solùm in mortis articulo, sed etiam aliquoties in vita teneatur quis præcepto divino ad sumendam Eucharistiam. *Quoties obliget hoc præceptũ fideles ad sumendã Eucharistiam.*

Probatur 1. pars. Præceptum illud divinum obligat aliquando adultum: ergo in mortis articulo antecedens est certum, nam aliàs esset frustraneum. Probatur consequ: tunc syncerè debet obligare præceptum, quando ejus observantia est magis utilis ad consequẽdum finem, ob quem Sacramentum est institutum, sed finis ille, qui est corroboratio virium spiritualium, & perseverantia in gratia, nunquã est magis utilis & necessarius, quàm in articulo mortis. ergo.

Probatur jam 2. pars. Tum quia præceptũ affirmativum divinum non semel, sed etiam aliquoties in vita obligat (excipe præceptum de Sacramento baptismi, quod ex ratione sua particulari & specifica habet, ut non posset nisi tantùm semel in vita obligare) ut patet de amore Dei & fide actuali, sed hoc est præceptum affirmativum, ergo aliquoties in vita obligat.

ASSERTIO IV. Non solùm humano, sed etiam divino præcepto consecrans, *Præceptũ quale sit*

de consecranda utraq; specie simul. tenetur sub utraq; specie consecrare, & probabiliter loquendo communicare. *Probatur Conclusio* de præcepto humano, ex cap: Comperimus de consecratione, distinctione 2. ubi dicitur, quòd nemo possit sine gravi sacrilegio dividere hoc mysterium; sed hoc non esset verum, nisi esset præceptum Ecclesiæ de consecrando sub utraq; specie. ergo.

Probatur etiam de præcepto divino, Lucæ 22. *Hoc facite in meam commemorationem*, quibus verbis teste Trident: sess: 22. c. 1. præcipitur à Christo Apostolis, eorúmq; successoribus, consecratio sub utraq; specie.

Præceptũ juris humani circa hoc. *Probatur jam tertia pars*, & de jure humano patet ex cap: *Relatum*, de consecratione, distin: 2. ubi dicitur, quòd hi, qui sacrificantes non edunt, rei sunt Dominici Sacramenti; & ex Trident: sess: 13. cap: 8. De præcepto etiam Divino probatur illâ ratione fundatâ, in præcepto & facto Christi, quâ priorem partem probavi.

Obijc: Consecravit Christus in Emaus sub una specie: ergo & nos licitè possumus. ℞. negando consequentiam, quia Christus non tenebatur ad sua præcepta, sicut nos ad illa observanda tenemur.

Præceptũ Ecclesiæ circa annuã communionẽ. ASSERTIO V. Datur Præceptum Ecclesiasticum de communicando semel in anno; illo tamen non tenetur, qui omisit tempore Paschali communionem, ad communicandum, usq; ad proximum Pascha.

Probatur 1. pars ex Concilio Lateranensi in cap: *Omnis utriusq; sexûs*. Et ex Trident. sess. 13. can: 9. his verbis: *Si quis negaverit omnes & sin-*

& singulos Christi fideles utrimq; sexus, cùm ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis saltem in Paschate ad communicandum, juxta præceptum S. Matris Ecclesiæ, anathema sit.

Probatur jam 2. pars. Qui omisit ante mediam noctem Vesperas, aut omisit jejunare die præscripto ab Ecclesia, non tenetur vi præcepti ad orandum post mediam noctem, aut ad jejunandum die sequenti; ergo nec etiam tenebitur ille, qui omisit Communionem tempore Paschali, ad communicandum vi præcepti, ante sequens Pascha.

Christi nullũ extat præceptum de sumenda utraq; specie simul à Laico.

ASSERTIO VI. Nullum existit Christi præceptum, quo Laici obligantur sub utraq; specie ad communicandum. Est de fide definita, in varijs Concilijs, novissimè in Trident. sess. 21. cap. 1. *Prob:* Tum solvendo inferiùs objectiones adversariorum; tum etiam, quia communicantibus sub una tantum specie promisit Christus Joann. 6. vitam æternam; *Si quis manducaverit*, inquit, *ex hac pane, vivet in æternum:* ergo nullo præcepto divino obligantur non consecrantes, ad communicandum sub utraque specie. Tum deniq;, quia in primitiva Ecclesia fuit etiam usus communionis sub una tantùm specie, ut patet ex facto Christi in Emaus, ubi communicavit duos Discipulos (qui Lucæ 24. *cognoverunt eum in fractione panis*) sub una tantùm specie; ergo usus talis communionis est licitus.

Confirm: Quamvis spectato jure divino cõmunio sub utraq; specie licita est, eam tamen justè & licitè Ecclesia prohibuit ob sequentes

causas; Primò, ut obviaret hæreticis negantibus, totum Christum, secundùm corpus & animam, & sanguinem, sub una specie contineri, quapropter utriusq; speciei necessitatem inferebant. Secundò, ut occurreret Lutheranis, & alijs docentibus Communionem sub utraq; specie esse sub præcepto divino. Tertio, ut evitaret varias irreverentias, & incommoda multa, quæ contigerunt in communione Laicorum, dum fu sset licita, sub utraq; specie, frequenter enim sanguinis guttæ cadunt in terram, vestes, & barbas, præsertim aggrestium rusticorũ, & ægrotantium. Lege Becanum hic. Sed istæ sunt sufficientes causæ, ob quas Ecclesia prohiberet communionem sub utraq; specie. ergo.

Inconvenientiæ propter quas Ecclesia usum specierum sanguinis abrogavit.

Objcies. Habetur præceptum de communione sub utraq; specie, respectivè ad omnes, Joann: 6. *Nisi manducaveritis carnem filij hominis, &c.* & Lucæ 22. *Hoc facite in mei commemorationem.* ergo. ℞. negando anteced: nam in primo loco Christus loquitur solis discipulis, eorum in Sacerdotio successoribus; vel dic ly *&* ibi idem significare, quod ly *vel*, ut sensus sit: *Nisi manducaveritis carnem Filij hominis*, vel *biberitis ejus sanguinem*, quæ expositio magis placet, nam sæpè in Scriptura *&*, sumitur pro *vel*, ut patet Act: 3. *Argentum & aurum non est mihi*, id est, *vel* aurum. Levit: 15. *Patri matriq; qui maledixerit, sanguis ejus super eum*, id est, patri vel matri. Ad secundum locum, ℞. Christum ibi loqui solis Apostolis, eorúmq; successoribus, ut suprà dixi.

Quomodo intelligantur illa verba, Nisi manducaveritis.

ASSERTIO VII. Probabilius est, quòd qui sub una tantùm specie communicat tantùm recipiat gratiæ, quantùm ille, qui sub utraque communicat. *Sumptio unius speciei tantā gratiam causat, quantam utriusq.*

Prob: Non est potior ratio, cur majorem reciperet gratiam, qui sub utraq; specie communicaret, quàm qui duas hostias simul vel consequenter sumeret; sed secundùm omnes, qui plures hostias simul vel consequenter sumit, non accipit majorem gratiam, quàm qui unam sumit: ergo.

Confirm: Qui communicat sub una specie, æquè perfectè sumit Christum, & Sacramentum, ac qui sub utraq; specie communicat: ergo æqualem gratiā cum hoc accipiet. *Confirmatur 2.* Si opposita opinio esset vera, difficile esset persuadere hæreticis, & etiam Catholicis simplicioribus, quod Ecclesia posset privare Christianos illo fructu majori: ergo non est tenenda.

Objic: Tam sumptioni corporis, quàm sanguinis, promissa est gratia: & sumptio unius non impedit alterius effectum. ergo plus gratiæ confertur per sumptionem utriusq;, quàm unius solius. ℞. 1. hoc argumento æquè probari, quod duæ hostiæ simul sumptæ, causent majorem gratiam, quàm una ' ac probat, quod utriusq; speciei sumptio, plus gratiæ causet, quàm unius; sed primum non placet adversarijs, ergo nec secundum placere debet. ℞. 2. distinguendo antec: pro secunda parte, non impedit, quando simul sumitur, nego anteced: quando diversis temporibus, concedo antecedens, & nego consequentiam. Itaq; licet quævis ex speciebus ex se est pro-

ducti-

ductiva gratiæ totius, quam ambæ causant, quando simul sumuntur; tamen quando simul, seu per modum unius spiritualis convivij sic sumuntur, eandem gratiam in intentione producunt, quam produceret una sola, si sumeretur.

Quis possit consecrare & dispensare Eucharistiã.

ASSERTIO VIII. Soli Sacerdotes validè possunt consecrare Eucharistiam; illi verò, & Diaconi, urgente necessitate, illam populo dispensare possunt.

Probatur 1. *pars* est de fide, in Concilio Nicœno can: 14. Lateranens: sub Innocen: III. & Trident: sess: 22. c. 1. & 23. can: 1. quorum authoritate probatur primò conclusio. Probatur etiam secundo solis Apostolis, eorúmq; in Sacerdotio successoribus, præceptum & potestatem dedit Christus conficiendi hoc Sacramentum his verbis, Lucæ 22. *Hoc facite in meam commemorationem.* *ergo.*

Diaconus potest distribuere Eucharistiam.

Probatur 2. *pars* de Diacono (non est difficultas de Sacerdote) tum ex praxi primitivæ Ecclesiæ, quæ Diaconis hanc distribuendi potestatem dedit, ut colligitur ex Legendis S. Laurentij, & Concilio Carthaginensi 4. c. 38. ubi dicitur, quòd Diaconus præsente Presbytero, *Eucharistiam Corporis Christi*, si necessitas cogat, jussus dispensare populo potest. ergo.

Item Laicus, in casu dispensationis, & gravis necessitatis

Quod dixi de Diacono, accedente dispensatione, imò sine dispensatione, accedente gravi & extrema mortis necessitate affirmo de laicis, nimirum, quòd possint tam sibi, quàm alijs hoc Sacramentum ministrare, exemplo Martyris gloriosæ Mariæ Scotorum Reginæ (quam iniquissimè impia Elisabetha Anglo-

Anglorũ Regina morti tradidit) quæ se ipsam semper in carceribus communicabat.

ASSERTIO IX. Religiosi mendicantes, vi suorum privilegiorum, possunt ministrare Eucharistiam in proprijs Ecclesijs, quibuscunq; Christi fidelibus, quocunque anni tempore, excepto festo Paschæ Resurrectionis (per hoc intellige diem illam temporis Paschalis, quo suscipiens intendit satisfacere præcepto Ecclesiæ de communione Paschali) sine Parochorum licentia. *Prob:* Summi Pontifices, qui veri sunt Parochi & Pastores in universa Ecclesia, varijs Religiosis hoc privilegium concesserunt, sic nobis Franciscanis concessum est à Nicolao V. Julio II. Sixto IV. & Leone X. Vide Rodriquem tom: 1. q. 56. interea sit.

Privilegia Religiosorum circa dispensatione huius Sacramenti.

ASSERTIO X. Ut dignè quis suscipiat Eucharistiam, debet esse in statu gratiæ; & consequenter conscius peccati mortalis, sine prævia sacramentali pœnitentia, si adest copia Confessarij, ad Eucharistiam sumendam accedere non debet.

De ijs quæ requiruntur ex parte suscipientis eam dignè.

Probatur 1. pars. Tum ex Trident: sess: 13. can. 9. & ex Apost: 1. Corint: 11. *Probat autem se ipsum homò, & sic de pane illo edat*, tum etiam, quia aliter accedens, magnam irreverentiam exhibet Christo. ergo.

Probatur etiam 2. pars. Tum ex Trident: jam citato, *Ecclesiastica*, inquit, *consuetudo declarat probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius peccati mortalis, quantũvis sibi contritus videatur, absq; præmissâ sacramentali confessione, ad sacram Eucharistiam accedere debeat.* ergo.

Jejunium naturale ex præcepto Ecclesiæ necessarium.

ASSERTIO XI. Præcepto positivò Ecclesiastico suscipientes Eucharistiã debent esse jejuni, jejunio etiam naturali, nisi in casu necessitatis à jure vel Ecclesia concesso vel admisso.

Prob: Tum ex communi consensu DD. idẽ docentium, tum etiam ex Concilio Carthaginensi c. 20. & Constantiensi sess. 13. quorum authoritate probatur.

Dixi jejunio naturali, id est, quo ab intrinseco per modum cibi & potûs nihil in stomachum debet traijci, ut intelligatur, quòd non impediatur quis à sumptione licita hujus Sacramenti, per hoc, quòd deglutiat salivam, aut guttam aquæ, dum lavat v. g. manus.


Effectus hujus Sacramenti.

ASSERTIO XII. Sacramentum hoc debitè illud sumentibus confert gratiæ sanctificantis augmentum: remittit venialia, & præservat à mortalibus. Hæc est inter Catholicos communis, & patet ex dictis de Sacramentis in genere.

EPYSTILIUM PROBLEMATICUM COLUMNÆ XXXV.

An Papali potestate licitè possit Sacerdos sub una tantùm specie consecrare?

CO-



COLVMNA XXXVI.

De Sacrificio Missæ.

ASSERTIO I. Sacrificium propriè dictum bene describitur, quòd sit res aliqua per actionem externam Deo oblata, quâ, mediante aliquâ sui destructione, significatur supremum Dominium vel excellentia Dei, & subjectio sacrificantis ad ipsum. Est in terminis Pontij hic. *Prob:* quia convenit omni & soli. ergo. *Definitio Missæ Sacrificij.*

ASSERTIO II. Non omne opus bonum in honorem Dei præstitum, habet rationem sacrificij propriè dicti. *Prob:* Misericordia est opus bonum, in honorem Dei præstitum, sed non est sacrificium, ut colligitur ex illo Ossee 6. *Misericordiam volo & non sacrificium.* Idem dic de obedientia, quæ teste Script: 1. Reg: 15. *Melior est obedientia*; ergo. *An alia opera meritoria dici possint Sacrificia.*

Confirm: Ad rationem Sacrificij propriè dicti requiritur res aliqua quæ offertur, id est, hostia distincta ab actione offerentis: ut patet ex ejus descriptione, & ex illo Genes: 22. *Ecce ignis & ligna, ubi est victima holocausti:* ergo ad rationem sacrificij non sufficit sola actio bona, nisi intelligatur nomen sacrificij in larga significatione, prout frequenter in Script: sumitur.

ASSERTIO III. In Missa offertur Deo verum & proprium Sacrificium. Est de fide, ex Trident: sess: 22. cap: 1. *Prob:* Tum ex *In Missa offertur propriè sacrificium.*

ex Script: Malachiæ 2. *O vos Sacerdotes, qui despicitis nomen meum, & offertis super altare meum panem pollutum, &c. ab ortu enim Solis usq; ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur in nomine meo oblatio munda;* ubi teste Trident: jam citato Propheta loquitur de Eucharistia. Tum etiam ratione: Descriptio sacrificij ut sic à nobis assignati, convenit Eucharistiæ; ergo.

Obÿc: Sacrificium debet Deo offerri, non verò ab hominibus comedi; sed Eucharistia comeditur ab hominibus: ergo non est Sacrificium. ℟. negando maj: nam agnus Paschalis erat verum sacrificium, & tamen comedebatur ab Hebræis: ergo.

In quo cõsistat ratio formalis Sacrificij Missæ.

ASSERTIO IV. Ratio formalis constitutiva Sacrificij Missæ, non in sumptione specierum, sed in sola consecratione panis & vini consistit principaliter & primariò.

In sola cõsecratione consistit.

Probatur, tum quia Sacrificium est actio Sacerdotis, ut Sacerdotis, sed sumptio non est talis, nam quivis Christianus sumere potest Eacharistiam, tum etiam Authoritate SS. Patrum Irenæi, Nissæni, Ambrosij & Gregorij lib: 4. Decalog: c. 36. dicentium essentiã hujus Sacrificij consistere in sola consecratione; unde docent post ipsos cõmuniter Theologi feria sextâ in Parasceve non fieri sacrificium, quamvis fiat sumptio, quia illâ die non consecratur & offertur Corpus Christi. Tum deniq;, quia præcipuus actus Sacerdotis, per quem repræsentat personam Christi est consecratio, ergo in consecratione principaliter & primariò consistit Sacrificium.

Dixi

Dixi principaliter & primariò, quia secundariò & tanquam integrale complementum sumptio spectat ad hoc Sacrificium, imò sumptio dici potest completivè Sacrificium, & per hoc satisfit authoritatibus quibuscunque, quas adversarij contra nos adducere possunt. *Secundariò in sumptione.*

ASSERTIO V. In hoc sacrificio, quòd propitiatorium & satisfactorium est pro peccatis, & pœnis peccato debitis, Christus est principalis offerens & oblatum. *Quæ sit hostia hujus Sacrificij & effectus?*

Probatur hoc ultimum, quia Christus est qui dedit Sacerdotibus potestatem offerendi hoc Sacrificium suo nomine: ergo, quamvis quantum ad concursum physicum quâ homo est, nec ad consecrationem nec sumptionem concurrat, adhuc principale offerens dici potest. Est etiam res oblata, quia ipse est, qui consecratione sub speciebus ponitur.

Probatur jam 2. pars. tum ex Trident: sess: 22. c. 2. his verbis: *Docet sancta Synodus Sacrificium istud verè propitiatorium esse; pérq; ipsum fieri, ut si cum vero corde & recta fide, cum metu & reverentia, contriti ac pœnitentes, ad Deum accedamus, misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno.*

ASSERTIO VI. Collatio fructûs sacrificij dependet ab applicatione Sacerdotis; unde validè, non verò licitè, religiosus contradicente superioris mandato applicat fructum hujus sacrificij, cui voluerit, modò sit capax. *A cujus applicatione collatio fructûs sacrificij pẽdeat?*

Prob: 1. pars. Deus constituit celebrantem dispensatorem hujus Sacrificij: ergo ab ipsius

applicatione pendet collatio fructûs ejus.

Probatur etiam 2. pars. Quidquid dependet à potestate ordinis, non potest invalidari per voluntatem superioris (aliàs non posset Sacerdos, contradicente superiore validè consecrare) sed potestas applicandi sacrificium, ut convenit Sacerdoti, est potestas ordinis, & non jurisdictionis: ergo. Prob: min: ex ordinatione Sacerdotum, in qua dicitur: Accipite potestatem offerendi Sacrificium pro vivis & defunctis, ergo. Probatur secunda pars Conclusionis, talis facit contra obedientiam, quam Superiori vovit, & sic peccat mortaliter in re tam gravi, ejus mandato cōtradicendo. Pro intelligentia sequentis assertionis:

Quis valor & fructus sacrificij hujus?

Adverte valorem Sacrificij distingui ab ejus fructu per hoc, quòd valor sit virtus, quā habet ad causandum aliquem effectum; fructus verò est ipse effectus per hunc causatus. Jam sit

Effectus hujus Sacrificij est finitus.

ASSERTIO VII. Hoc Sacrificium non causat effectum intensivè, aut extensivè infinitum, & consequenter non ita prodest multis, pro quibus simul offertur, ac uni soli.

Intensivè.

Prob: Hoc Sacrificium non potest causare aliquem effectum, cujus nullus hominum est capax; sed nullus hominum est capax effectus intensivè infiniti: ergo. Prob: maj: Sacrificium non habet virtutem efficiendi, nisi in ordine ad suum effectum homini conferendum: ergo non potest causare effectum, qui ab homine recipi non potest. Prob: etiam min: Anima hominis, cui effectus Sacrificij applicatur, est finitæ & limitatæ virtutis &

capa-

capacitatis: ergo non capax alicujus effectûs intensivè infiniti.

Quod etiam non extensivè (per talem intelligunt effectum, qui non potest exhauriri per certum numerum hominum, sed ita singulis ex infinitis hominibus prodest acsi uni applicaretur.) Prob: quia aliàs, qui à diversis acciperet plura stipendia, promissis, posset omnibus satisfacere, applicando illis tantùm unum sacrum, sed hoc est contra praxim Ecclesiæ, intentionem offerentium stipendium, & sacræ Congregationis decisionem. ergo. Prob: maj: ex ratione contractûs non tenetur Sacerdos nisi fructum sacrificij ex opere operato singulis in tantùm applicare, in quantum singuli possunt illum recipere, si seorsim pro illis applicaretur, hoc autem fit in proposito. ergo. *Et extensivè.*

Obyc: Ex conclusione sequeretur, quòd quò plures audirent Sacrum, eò minùs quivis ex illis de fructu ejus participaret; sed hoc est falsum, aliàs deberet aliquis fugere Sacrum, quod à multis simul audiretur. ℞. negando maj: quia quamvis offeratur Sacrificium etiam pro singulis qui illud audiunt, non tamen principaliter, & sic non frustrantur ullo augmento sacrificij illis debito.

ASSERTIO VIII. Regulariter loquendo non licet celebrare extra locum divino cultui dedicatum, per consecrationem, vel benedictionem. *Probatur* ex tot Conciliorum decretis, & præsertim Trident: sess. 22. in decreto, de observandis & evitandis in celebratione Missæ. *De loco, ubi debet peragi hoc Sacrificiũ regulariter.*

Dixi regulariter, quia Episcopi non obstã-

te decreto Trident: celebrare possunt in locis non consecratis, ut habet c. ult: de privilegijs in 6.

Privilegia mendicātium circa hoc.

Religiosi etiam mendicantes, vi suorum privilegiorum, super portatile, extra loca sacra, sine licentia illa ordinarij celebrare possunt defactò, ut docet Rodriquez noster tom: I. q. 83. n.223. ubi ponit Privilegium Sixti IV. in gratiam nostrorum Patrum concessum, quo datur nobis licentia, non solùm in Oratorijs & locis quibus degimus, sed etiā in quocunq; alio loco congruenti & honesto, celebrandi liberè & licitè Missas super portatile; idem concessit posteà Alexander VI. addens, quòd etiam in Cameris sæcularium & plateis licitè celebrare possimus. Novissimè Gregorius XIII. eandem facultatem concessit Patribus Societatis, quâ alij mendicantes ob communicationem privilegiorum licitè uti possent.

Quæ ex præscripto Ecclesiæ requirantur ad licitè celebrandum.


ASSERTIO IX. Ad licitè celebrandum, non solùm requiritur, ut Ecclesia non sit interdicta, nec polluta; sed etiam requiritur, ut altare sit stratum duplici mappâ lineâ vel unâ saltem duplicatâ, Corporali purè lineo, & consecrato. Hæc est communis, & non habet difficultatem, nisi ut notet quinq; sequentes modos, quibus Ecclesia potest pollui. Polluitur ergo primò per homicidium voluntarium & peccaminosum, secundò per infusionem peccaminosam sanguinis in notabili quantitate (dixi peccaminosam, quia si quis involuntariè se nimirum defendendo, aliquē lædat, vel lædatur ab amente; vel si pueri rixando tundant se ad sanguinis effusionē in

in Ecclesia, per hoc non polluitur.) Tertiò, per pollutionem mortaliter peccaminosam, (talis non esset actus conjugalis conjugum, qui in Ecclesia longo tempore detinerentur.) Quartò per sepulturam excommunicati. Quintò per sepulturam Pagani vel infidelis, è quorum grege computantur non baptizati, nisi in utero simul cum matre sepeliantur.

De alijs requisitis ad celebrandum, sicut & de præcepto obligante ad audiendam Missam diebus festivis, & Dominicis, non est ulla difficultas. Unde sit.

EPISTYLIUM PROBLEMATICUM COLUMNÆ XXXVI.

An satisfacit præcepto de audiendo Sacro, qui illi adstat animo tantùm peccandi?



COLVMNA XXXVII.

De natura, objecto & specie perfectissima Virtutis pœnitentiæ.

ASSERTIO I. Virtus pœnitentiæ, de qua hîc, bene describitur, actus quo detestatur & doletur de peccato Theologico cōmisso, determinatúrq; voluntas sufficienter ad non peccandum de cætero, & ad applicanda omnia necessaria, ut reconcilietur DEO. *Definitio Virtutis pœnitētiæ.*

Prob: Convenit omni & soli, constat genere & differentia; ergo est bona.

Obijc: Actus, quo aliquis justus, v.g. B. Virgo, detestaretur peccatum, esset actus pœnitentiæ; & tamen nostra illi descriptio nõ conveniret: ergo non est bona. Prob: antec: pro secunda parte. Non determinaretur per ipsũ voluntas ad aliquid faciendum, ut reconcilietur Deo, nam nunquã fuit inimica Dei, ergo. ℞. distingu: antec: pro prima parte, pœnitentia de qua hic agimus, nego antec: alicujus alterius, transeat antec: & nego consequentiam; nos enim hic agimus de pœnitentia, supponente culpam, & disponente ad justificationem, præcisè tali.

Obijc: 2. Attritio non determinat voluntatem ad conciliandum se Deo extra Sacramentum, & tamen est actus pœnitentiæ de qua hic, ergo. ℞. distingu: antec: pro prima parte, non determinat efficaciter semper, cõcedo antec: sufficienter, nego antecedens, & consequentiam.

An Pœnitentia sit Virtus propriè dicta?

ASSERTIO II. Pœnitentia Virtus est propriè dicta, & quidem distinctâ à Charitate. *Probatur 1. pars.* Ille habitus est virtus proprie dicta, qui inclinat & disponit ad actus honestos & meritorios; sed talis est habitus pœnitentiæ; ergo. maj: est certa, & patet ex dictis assert: 1. colum: 12. de Virtutibus moralibus. Probatur etiam min: Pœnitentia inclinat ad odiendum peccatum, dolendũ de illo, & satisfaciendum Deo pro illo, idq; ob bonum & honestum finem, nimirum, ut homo reconcilietur Deo; sed illi sunt actus honesti, & moraliter boni ac meritorij, ut per se patet: ergo. *Confirm:* Patres & Trident: sess: 14. cap: 4. docent pœnitentiam esse nec-

ces-

cessariam post baptismum; sed non esset sic necessaria, nisi esset virtus, & actus illius meritorius, ergo.

Prob: 2. pars. Potest haberi pœnitentia sine actu & habitu charitatis: ergo est distincta à charitate. Prob: anteced: Potest quis in peccato mortali existens, elicere actum pœnitentiæ, puta attritionem; sed talis non haberet nec actum, nec habitum charitatis, ut patet ex dictis sæpè anteà, ergo pœnitentia distinguitur à charitate. Prob: maj: quia aliàs non posset aliquis habere attritionem de peccato, etiam extra Sacramentum, sine eo quod justificaretur, quod nemo dicet. *Est virtus distincta à charitate.*

Obijc: contra 1. partem. Aristoteles 2. Ethi: 6. docet verecundiam non esse virtutem, quia supponit turpe factum, de quo quis erubescit; sed pœnitentia præsupponit tale factum, nimirum peccatum: ergo non est virtus. ℞. (omissis diversis & intricatis aliorum solutionibus) Aristotelem crassè hic errâsse, sicut & in multis alijs erravit, præsertim quando docuit, omnes virtutes esse connexas, illúmq; solum virtuosum dicendum, qui omni vitio careret, & omnes virtutes haberet.

Obijc: 2. contra eandem. Omnis actus virtuosus, debet habere objectum bonum & honestum; sed objectum pœnitentiæ, peccatum scilicet, non est tale, ergo pœnitentia non est actus virtuosus. ℞. disting: maj: Omnis actus virtuosus prosecutionis, & amoris, concedo maj: fugæ & odij honesti, nego maj: & distinctâ similiter min: nego consequentiam.

ASSERTIO III. Pœnitentia non est eadem cum virtute religionis, nec una determina- *Pœnitẽtia est distincta à Relig:*

Est virtus specialis in aliquo sensu.

minata species virtutis, ut sic; bene tamen virtus specialis est, intelligendo per talem, eam quæ habet objectum formale distinctum ab objecto omnium aliarum virtutum.

Probatur prima pars. Religio respicit ultimatè cultum Deo à creaturis debitum, ratione Excellentiæ in ipso repertæ; sed hoc non respicit pœnitentia: ergo.

Probatur 2. pars. Sub pœnitentia, de qua hic, continentur multi actus specie diversi, ut contritionis & attritionis, qui frequenter ex diversis motivis eliciuntur; imò ipsius attritionis actus, non idem motivum semper habent; sed sub specie infima virtutis non possunt contineri actus specie diversi: ergo.

Probatur ultima pars. Pœnitentia habet objectum formale diversum ab objectis aliarum virtutum, ut statim videbimus: ergo in illo sensu ipsa erit virtus specialis distincta ab alijs virtutibus.

Objectum formale pœnitentiæ.

ASSERTIO IV. Objectum formale virtutis pœnitentiæ, à nobis descriptæ, est honestas, quæ relucet in eo, quòd aliquis detestetur & doleat de peccato commisso, ex eo, quòd nollet Deum sibi habere offensum.

Prob: Quicunq; utiliter pœnitet de suis peccatis, id facit ex hoc jam assignato motivo: ergo motivum illud, seu honestas, quæ relucet, &c. erit objectum formale pœnitentiæ. Probatur anteced: Non potest aliquis meritoriè pœnitere de suis peccatis, sine eo, quòd nollet sibi DEUM offensum, nec ostendi potest ulla alia virtus, quæ hoc habet pro motivo, nisi fortè pax, quæ etiam pœnitentia rectè dicitur.

Objic.

Obyc: Per charitatem potest aliquis detestari, & dolere de peccato, propter motivum in conclusione assignatum: ergo illud non rectè assignatur pro objecto formali pœnitentiæ. ℞. distingu: anteced: detestari & dolere, formaliter, nego antecedens, eminenter, transeat antecedens, & nego consequentiam.

Dices. Actus Contritionis seu pœnitentiæ perfectæ, quo dolet quis de peccato propter Deum summè dilectum, est actus Charitatis, & tamen elicitur ex motivo jam dicto formaliter: ergo. ℞. distingu: antecedens, ex illo motivo solo, nego antecedens, ex illo & alio, nempe propter Deum summè dilectum, concedo antecedens, & nego consequentiam.

Obyc: 2. Doct: in 4. distinct: 14. q. 2. nu: 6. ubi dicit, Pœnitentiam esse speciem justitiæ vindicativæ, eò quòd per illam satisfacimus Deo. ergo formale objectum illius non distinguitur ab objecto justitiæ. ℞. explicando Doct: & distinguendo anteced: est species justitiæ vindicativæ, seu ipsa justitia imperativè, concedo antec: elicitivè & formaliter, nego antecedens, & consequentiam. Nos enim loquimur de pœnitentia formali. *Explicatur genuina mens Scoti.*

ASSERTIO V. Si sumatur pœnitentia latiùs quàm prout ad justificationem disponit, objectum materiale ejus, erunt omnia illa, quæ deservire possunt ad non offendendum Deum, & ad reconciliandam offensam positam: Si verò strictiùs, pro eo scilicet, quod deservit ad justificationem, objectum materiale prosecutionis illius erunt omnia illa, quæ tanquam media deservire possunt, in *Objectum materiale pœnitentiæ.*

in ordine, ad reconciliandum hominem cum DEO.

Prob: 1. pars. Objectum formale pœnitentiæ eſt honeſtas relucens in eo, quòd Deus nõ habeatur offenſus: ergo objectum materiale ejus erunt omnia, quæ deſerviunt ad non offendendum illum, vel ad reconciliandum jam offenſum. Prob: conſequ: Objectum materiale actus & habitus cujuscunq;, eſt omne illud, in quod tenditur ratione objecti formalis habitus illius vel actus.

Prob: 2. pars. Quia objectum formale pœnitentiæ ſic ſumptæ eſt honeſtas, quæ relucet in hoc, quòd Deus placetur; ergo objectum materiale proſecutionis illius erunt omnia illa, quæ tanquam media deſervire poſſunt in ordine ad reconciliandum hominẽ cum Deo.

Cùm autem auxilia, inſpirationes Divinæ, ad eliciendos actus virtutum neceſſariæ, gratiæ item habituales, actus etiam & habitus aliarum virtutum, maximè deſerviunt ad Deum non offendendum, vel ad placandum illum jam offenſum, ſequitur, quòd ſint objectum materiale proſecutionis pœnitentiæ.

Objectum materiale fugæ pœnitentiæ. ASSERTIO VI. Objectum materiale fugæ pœnitentiæ, eſt omne peccatum Theologicum actuale & habituale, tam mortale, quàm habituale. *Prob:* Objectum materiale fugæ cujuscunq; virtutis ſunt actus oppoſiti honeſtati, ad quam inclinat; ſed actus oppoſiti honeſtati virtutis pœnitentiæ, ſunt omnia peccata in concluſione aſſignata: ergo. Major patet inductione aliarum virtutum, nam temperantia fugit gulam, juſtitia furtum, &c. ergo & pœnitentia peccatum.

Mi-

Minor etiam patet, quia nihil opponitùr Deo non offenso, aut pacificato, quàm offensa Dei.

ASSERTIO VII. Contritio perfecta est actus pœnitentiæ, quo quis dolet ex charitate supernaturali de peccato cõmisso, propter Deum summè dilectum. *Definitio contritionis.*

Probatur. Quia convenit omni & soli; ly *actus* est genus, in quo contritio actualis convenit cum attritione, & ly *propter Deum*, &c. est differentia illius, ab hac.

Obijc: Potest dari contritio, quæ non est propter Deum summè dilectum ex charitate Dei; ergo contritio perfecta malè describitur à nobis. Probatur anteced: Potest haberi actus pœnitentiæ, habens annexam justificationem, qui non fit propter Deum; sed nullus est talis actus, nisi contritio perfecta: ergo. Prob: maj: ex Script: Ezechielis 18. *Si impius præcepta custodierit, & pœniteniam egerit, iniquitatum ejus non recordabor.* Et 33. *Cùm averterit se peccator ab injustitia sua, & ab omnibus iniquitatibus suis, &c.* 2. Regum 13. ubi legitur David solùm dixisse *peccavisse*, & statim Dominus transtulit peccatum ejus; sed hæc verba, & promissa Dei, liberaliora videntur, quàm ut ad solam contritionem ex motivo charitatis conceptam allegari debeant. ergò contritio non debet esse propter Deum, &c. ℟. negando antecedens, cum antecedenti suæ probationis, nam omnia illa loca intelligenda sunt de pœnitentia, propter Deum ex charitate summè dilectum elicita, aliàs attritio justificaret extra Sacramentum, quia per attritionem possit quis averti

ab

bet habere dolorem & detestationem peccati, super omnia mala possibilia.

ASSERTIO IX. Ad contritionem perfectam non requiritur, ut sit summus dolor & detestatio peccati intensivè, bene tamen appretiativè. *1. Pars* quæ est expressa mens Doct: in 4. distin: 30. q. 2. *probatur*, totum, quod ex Script: Concilijs & Patribus de contritione adducitur, salvari potest sine summo dolore, & detestatione peccati intensivè summa, ergo ad talem dolorem aut detestationem peccati non sunt fideles coarctandi. Prob: antecedens ex illis locis, aliud de contritione non habetur, quàm quòd ad illam requiratur Amor Dei super omnia; dolor & detestatio peccati super omnia; sed ista possunt haberi sine dolore aut detestatione summa intensivè: ergo. Prob: min: Dolor & detestatio peccati ad contritionem requisita, possunt esse summa alijs modis, puta appretiativè. unde *Sufficit dolor appretiativus.*

Probatur 2. pars conclusionis. Contritio debet esse dolor & detestatio peccati super omnia aliquo modo, sed non alio quàm isto; ergo. Probatur min: tum ex dictis in probanda prima parte, tum quia modus ille facillimus est.

Objic: Non potest quis dolere de peccato etiam appretiativè, plus quàm de pœna æterna inferni: ergo talis dolor non requiritur. Probatur antecedens, quia nemo rationabiliter potiùs vellet pœnam inferni sustinere, quàm mortaliter peccare; ergo. ℞. negando anteced: & distinguendo probationis ejus antecedens, si pœna æterna inferni consideretur,

retur, ut non habens annexum peccatum, nego antecedens; si ut habens annexum peccatum, concedo anteced: & nego consequ:

Contritio debet esse de omnibus peccatis.

ASSERTIO X. Contritio debet esse de omnibus peccatis mortalibus commissis, non tamen explicitè.

Probatur 1. pars. Per contritionem perfectam disponitur quis sufficienter ad justificationem; sed hoc non esset verum, nisi esset de omnibus mortalibus commissis: ergo. Probatur min: Non est sufficienter dispositus ad justificationem, qui affectum aliquem haberet erga aliquod peccatum mortale; sed qui non haberet contritionem de omnibus mortalibus commissis, haberet affectum alicujus mortalis peccati, ut per se patet. ergo.

Prob. 2. pars. Ad contritionem non requiritur, nisi ut quis doleat de peccato, modo quo requiritur, ut justificetur extra Sacramentum; sed sic potest quis dolere de ipsis sine eo, quod explicitè doleat de quolibet in particulari: ergo dolor ille explicitus non requiritur.

Quomodo contritio versetur circa singula peccata.

ASSERTIO XI. Contritio ita versatur circa peccata propria ut magis illa, quantumvis venialia sint, detestatur quis, quàm mortalia aliena; & inter ipsa propria, magis graviora, quàm minùs gravia.

Prob: 1. pars. Potiùs deberet quis permittere occisionem innocentis, quàm mentiri venialiter, ergo magis debet detestari peccatum proprium veniale, quàm mortale proximi. Probatur antecedens, tum ex communi illo axiomate: non sunt facienda mala, ut inde eveniant bona. Tum etiam, quia Deus non

non præcipit impedire peccatum proximi, quando id facere non possim sine meo proprio peccato, etiam veniali: ergo peccatum proprium etiam veniale, magis detestari quis debet, quàm mortale alienum.

Probatur 2. pars. Peccatum ideò est detestabile, quia est malum; ergo quo fuerit gravius malum in suo ordine, eò erit detestabilius per actum contritionis. Hinc infertur, mortale actuale proprium, magis esse detestabile per contritionem quàm originale; & propter eandem rationem, originale quàm veniale.


ASSERTIO XII. Contritio perfecta, etiam extra Sacramentum, habet annexam justificationem. *Prob:* Contritio semper habet amorem Dei super omnia annexum; sed talis amor non habetur sine justificatione. ergo nec contritio. Minor patet ex Script: 4. *Omnis qui diligit me, ex Deo natus est.* Proverb: 8. *Ego diligentes me diligo.* Unde Bernardus Epist: 117. *Nemo,* inquit, *se amari diffidat, si jam amat, nec etiam redamare pigebit DEUM, qui nos amavit necdum amantes.* *Contritio justificat.*

Probatur 2. ex Trident: sess: 14. c. 4. *Hanc,* inquit, *contritionem, etsi quandoq; charitate perfectam esse contingat, hominémq; DEO reconciliare.* ergo reconciliat hominem sine Sacramento.

EPISTYLIUM PROBLEMATICUM COLUMNÆ XXXVII.

An ad contritionem perfectam sufficiat duratio instantanea?

CO-



COLVMNA XXXVIII.

De Attritione, necessitate & efficacia Pœnitentiæ.

Attritionis descriptio.

ASSERTIO I. Attritio bene describitur actus pœnitentiæ de peccato non super omnia, nec semper habens annexam justificationem. *Probatur.* Quia convenit omni & soli: ergo ly actus pœnitentiæ est genus, in quo attritio cum contritione convenit; reliquæ particulæ sunt differentia.

Objectum ejus formale.

ASSERTIO II. Objectum formale attritionis est omne illud, quod hominem meritoriè inducere potest ad detestandum & dolendum de peccatis. Hæc non est contra Trident: sess: 14. cap: 4. nam quamvis ibi duo tantùm motiva attritionis assignet, timorem scilicet gehennæ, & turpitudinem peccati; non intendit tamen ibi Concilium assignare objectum formale adæquatum attritionis, quod inde patet, quia non loquitur absolutè; sed tantùm dicit, attritionem ex illis communiter concipi.

Probatur Conclusio. Ad attritionem non requiritur, nisi motivum sufficiens ad actum pœnitentiæ. Atqui hoc motivum assignatum in conclusione est tale; ergo rectè assignatur pro objecto formali attritionis.

ASSERTIO III. Potest elici actus attritionis ex motivo charitatis; attritus tamen nequit in tantum intendere suos actus, ut ex attrito fieret contritus. *Ex quo motivo elici possit attritio.*

Probatur 1. pars. Motivum Charitatis est sufficiens ad eliciendum actum doloris de peccatis super omnia appretiativè: ergo erit etiam sufficiens motivum ad eliciendum dolorem, infra summum de peccatis appretiativè, sed dolor ille esset actus attritionis. ergo.

Probatur 2. pars. Actus vitalis semel elicitus, nunquam potest magis intendi, nam non intenditur hujusmodi actus per additionem gradûs ad actum remissum jam elicitum, sed potiùs per destructionem prioris actûs remissi, & productionem intensioris actûs, ut est per se clarum, ergo attritus non potest intendere suum actum, ita ut ex attrito fiat contritus. Per hoc tamen non nego, quin habens attritionem possit elicere circa idem objectum actum contritionis, & in hoc sensu ex attrito fieri contritus.

ASSERTIO IV. Mediante solâ attritione, quamvis justificatur quis in Sacramento pœnitentiæ, ad illam tamen non requiritur dolor de peccatis imperatus à charitate, aut amor Dei super omnia. Hæc non contra Scotum, sed Scotistas est. *Qualis dolor ad attritionē in Sacramēto requiratur.*

Prob: 1. pars, tum ex Trident: sess: 14. c. 4. ubi ait: *Contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, conceptam ex metu gehennæ & turpitudine peccati, si voluntatem peccandi excludat, disponere hominem ad obtinendam veniam*

peccatorum, ergo. Tum etiā, quia omnia, quæ Script: PP. & Conc: requirunt ad justificationē peccatoris in Sacramento, habentur per attritionem, etiam conceptam ex metu gehennæ: ergo attritio talis sufficit, ut quis justificetur in Sacramento sine omni contritione.

Probatur jam secunda pars. Trident: jam citatum, absolutè docet illam attritionem, quæ ex turpitudine peccati, vel metu pœnarum gehennæ concipitur, si voluntatem peccandi excludat, hominem ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ disponere; sed illa locutio non esset simpliciter vera, si ad attritionem sufficientem cum Sacramento ad justificationem, requireretur semper imperium charitatis, ut per se patet, ergo non requiritur tale imperium.

Confirm: Sacramentum pœnitentiæ est Privilegium Christi Domini concessum Christianis, ut facilior esset via salutis in lege nova, quàm veteri: ergo debet posse justificare mediante aliquo dolore aut attritione, quæ se solâ sine Sacramento non justificat; sed si attritio quæ cum Sacramento justificat, deberet esse imperata ab amore Dei super omnia, hoc non esset verum: ergo non debet sic esse imperata. Probatur subsumptum, illa attritio, quæ esset imperata à charitate, aut amore Dei super omnia, justificaret sine Sacramento, nam amor Dei super omnia, semper habet annexam justificationem. ergo.

Authoritates, quas fusè Scotistæ ex Script: & Patribus adducunt contra hanc assertionem, aliud non probant, quàm quod nullū opus per modum meriti de condigno valeat sine

sine charitate; cum quo bene stat, quod valeret per modum meriti de congruo opus elicitum sine illo motivo; & consequenter, quòd attritio sic valeret; tamen pro illis

Obijc: Trident: sess: 6. c. 6. ubi inter alias dispositiones ad justificationem requisitas, ponit dilectionem Dei; ergo cùm attritio disponit ad justificationem, debet saltem imperari à dilectione seu charitate Dei. ℟. negando consequentiam, nam Concilium ibi ponit dispositiones, quæ communiter haberi solent, ut peccator justificetur, non autem quæ necessariò haberi debent, quia certum est, quòd possit disponere se sufficienter ad justificationem, etiam in instanti fortè, nisi processu actuum, quos fieri præscribit Trident:

ASSERTIO V. Peccatori adulto rationis compoti, pœnitentia aliqua, hoc est, in re, vel in voto, virtualis, eminentialis, aut formalis, necessaria est, ad salutem necessitate medij. *Necessitas pœnitētiæ in adultis.*

Prob: ex Trident: sess: 14. c. 4. *Fit autem quovis tempore ad impetrādam peccatorum veniā hic contritionis motus necessarius;* sed hoc non esset verum, nisi pœnitentia in aliquo sensu in conclusione expresso necessaria esset ad salutem: ergo. *Confirm:* hoc ex Script: Lucæ 13. *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis.*

Dices, ex his locis bene colligi, quòd pœnitentia sit necessaria ad salutem aliquo modo, non tamen quòd sit necessaria necessitate medij. *Contrà,* tam ex Script: quàm ex Trident: colligitur, quòd pœnitentia sit simpli-

citer necessaria. ergo necessitate medij. Prob: consequentia, quidquid est simpliciter necessarium, ita ut eo omisso, etiam sine sua culpa aliquis non consequatur salutem, est necessarium necessitate medij; sed sic est pœnitentia necessaria: ergo. Probatur minor, quia si quis in instanti post suum peccatũ moreretur, perderet salutem, & tamen non peccaret negligendo pœnitentiam, ut communiter omnes docent: ergo.

Sufficit aliquando in voto.

Dixi in Conclusione, in *re, vel in voto*, quia nihil impedit, quo minùs aliquis mediante heroico actu charitatis, quo martyrium gloriosè pateretur, justificaretur sine omni dolore de peccatis suis, sive quia non occurrit memoria peccatorum, sive quia non habuit tempus; sive quia non est bene instructus; an, aut qualem dolorem habere debeat de suis peccatis; defectum enim doloris in similibus casibus suppleret votum Sacramenti, virtualiter inclusum in actu tam heroico.

Præceptũ juris divini & naturæ circa pœnitentiam.

ASSERTIO VI. Datur præceptum Juris Divini positivi, & etiam naturæ, de aliqua pœnitentia.

Probatur 1. pars, tum authoritatibus Scripturæ & Tridentini in confirmationem præcedentis assertionis adductis, quibus, adde illud Eccles: 2. *Si pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus Domini.* ergo.

Probatur 2. pars. Jus naturale præcipit applicare media necessaria ad finem, quem quis sibi tenetur eodem jure acquirere; sed pœnitentia est tale medium respectu beatitudinis, quam quis tenetur sibi ex jure naturæ acquirere. ergo.

Con-

Confirm: Tenetur quilibet compos rationis jure naturæ diligere Deum ſuper omnia: ergo etiam tenetur dolere de ejus offenſa, & vitare illam, & conſequenter agere pœnitentiam.

ASSERTIO VII. Non tenetur quis ad pœnitendum ſæpiùs de eodem peccato, aut ſtatim poſt peccatum commiſſum. *An obligetur quis ad iterandam pœnitentiam de eodem peccato.*

Prob: *1. pars.* Tum quia non poteſt convinci ex ullo capite talis obligatio: ergo nulla datur.

Probatur etiam 2. pars. Si daretur talis obligatio, ſequeretur, quòd ille, qui ſtatim nón eliceret actum pœnitentiæ de ſuo peccato, ſingulis momentis peccata nova committeret; ſed hoc eſt nimis durum. ergo. Probatur ſequela, ſi præceptum pœnitentiæ ſingulis momentis obligaret, qui non obſervaret præceptum, ſingulis momentis peccaret: ergo ſi præceptum pœnitentiæ obligat ſtatim poſt peccatum commiſſum, qui negligit illam, ſingulis momentis peccabit.

Confirm: Non tenetur quis ſtatim poſt peccatum ad contritionem, quæ eſt pœnitentia reconcilians hominem cum Deo: ergo ad nullam. Conſequentia eſt evidens, quia non eſt ratio, cur ad illam potiùs, quàm ad hanc. Probatur antecedens, tum quia obligatio illa eſſet valdè rigida, tum etiam, quia inde ſequeretur peccatorem cum attritione non poſſe licitè accedere Sacramentum, quia ſecundùm adverſarios poſt peccatum ſtatim teneretur ad contritionem; ſed hoc eſt falſum. ergo.

Obijc: contra hanc partem. Non pœnitendo ſtatim de peccato continuatur peccatum; ſed continuando peccatum peccatur de novo: ergo non pœnitendo ſtatim peccatur de novo. ℞. diſtinguendo maj: continuatur peccatum poſitivè & actualiter, nego maj: negativè & habitualiter, concedo maj: & diſtinguo ſimiliter min: continuando per actum poſitivè & actualiter, concedo min: negativè & virtualiter, nego min: & conſequentiam.

Obijc: 2. Tenetur quis ſe liberare à periculo imminente mortis temporalis, ſtatim ac in illud incidit: ergo à fortiori à periculo mortis ſpiritualis animæ; ſed ſtatim ac quis mortaliter peccat, imminet ipſi periculum mortis animæ. ergo. Reſpondet Lugo negando antecedens, quia, inquit, quamvis tenetur quis ſe non mutilare, non peccat tamen, non impediendo malum ſemel illatum. ℞. tamen concedendo anteced: & negando conſequent: & diſparitas eſt, quia homo non poſſet ſe liberare à morte temporali, niſi ſtatim ſe liberet, ut ſuppono: mortem autem animæ, moraliter loquendo, evadere quis poteſt, & frequenter evadit, quamvis differat peccatum tollere pro primo, ſecundo & etiam tertio inſtanti, poſtquàm illud committit.

Quoties & quando obliget pœnitentiæ præceptū. ASSERTIO VIII. Præceptum pœnitentiæ obligat non ſolùm in mortis articulo, & quoties imminet periculum grande vitæ; ſed etiam probabiliter loquendo extra mortis periculum aliquoties in vita.

Probatur 1. pars. Tunc vel nunquam pœnitentia formalis obligat, quando eſt ſumma

ejus

ejus necessitas, sed in mortis articulo, & in morali etiam vitæ periculo est summa necessitas pœnitentiæ: ergo præceptum ejus tunc obligat.

Probatur 2. pars. tum ex Script: *Vigilate, quia nescitis quâ horâ fur veniret:* ubi suadet, ut ad recipiendum judicem simus parati; sed qui totâ vitâ usq; ad mortis periculum pœnitentiam negligit, hoc non facit: ergo. Tum ex August: serm: 50. de temp: *Pœnitentia,* inquit, *quæ ab infirmo petitur, infirma est, quæ autem à moriente, timeo, ne etiam ipsa moriatur.* Tum deniq; exemplo proborum omniũ, qui damnant dilationem pœnitentiæ, unde in adagio est, quòd *qui malè vivit, malè finit.*

ASSERTIO XI. Nullum est de facto tam grave peccatum, aut numerus peccatorum tam magnus, qui per pœnitentiam deleri non possit, si re ipsa habeatur vera. *Efficacia pœnitentiæ.*

Probatur ex Script: invitante homines ad pœnitentiam, & promittente eis universaliter veniam peccatorum, sine ulla exceptione. Et Ezech: 18. *Si peccator pœnitentiam egerit à viis suis pessimis, omnium iniquitatum ejus non recordabor ampliùs.* Item *quotiescunq; ingemuerit peccator in corde suo, &c.* Isaiæ 13. *Derelinquat impius viam suam, &c.* Joannis 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis,* &c. ubi Christus Apostolis, eorúmq; successoribus, plenam & universalem potestatẽ dedit ab omnibus peccatis absolvendi, sed non nisi mediatâ pœnitentiâ; ergo pœnitentia extendit se ad quamcunq; gravitatem & numerum peccatorum. *Delet peccata omnia.*

Prob:


Prob: 2. ratione. Contritio perfecta habet annexam justificationem, sicut & attritio cum Sacramento teste Trident: sess: 14. c. 4. Sed hoc non esset verum, si per pœnitentiam non possem delere peccata quantumvis gravia: ergo.

Obycies Matth: 12. Blasphemia in Spiritum Sanctum neq; in hoc, neq; in altero seculo remittitur: ergo dantur peccata, quæ per pœnitentiam deleri non possunt. ℞. negando consequentiam, quia Christus tantùm ibi insinuare voluit, quòd peccata in Spiritum Sanctum difficiliùs remittantur, quàm alia, eò quòd peccata illa magis directè opponantur charitati quàm alia, & in hoc sensu explicari possunt, alia loca quæ ab adversarijs ex Scriptura adducuntur.

EPYSTILIUM PROBLEMATICUM COLUMNÆ XXXVIII.

An pœnitentiæ præceptum, ad ullum ex decem decalogi referatur?

CO-



COLUMNA XXXIX.

De natura & necessitate Sacramenti pœnitentiæ, nec non Confessione Sacramentali.

ASSERTIO I. Sacramentum pœnitentiæ bene describitur signum sensibile, quo absolvitur baptizatus à peccatis, mediantibus verbis id efficaciter significantibus. Est re ipsa conformis definitioni, quam tradidit Doct: in 4. dist: 14. q. 4. his verbis: *Pœnitentia est absolutio hominis pœnitentis, facta certis verbis cum debita intentione prolatis à Sacerdote jurisdictionem habente, ex institutione divina efficaciter significantibus absolutionem animæ à peccatis.* Quæ descriptio exactè docet omnia necessaria ad pœnitentiam, eâ tamen utendum non videbatur, quia admodum longa est rei tam curtæ; & plura continet, quæ ad descriptionis necessitatem non faciunt. *Descriptio Sacramenti pœnitentiæ.*

Probatur ergo Conclusio. Convenit omni & soli: ergo. Ly *signum* est genus, in quo Sacramentum hoc convenit cum reliquis Sacramentis. Reliquæ particulæ sunt differentia illius ab his.

ASSERTIO II. Datur Sacramentum Pœnitentiæ, cujus essentialis ratio in recto in sola consistit absolutione. *Ratio formalis hujus Sacramenti.*

Probatur 1. pars Matth: 16. *Tibi dabo claves*

regni cœlorum, quodcunq; ligaveris super terram, &c. Joannis 20. *Quorum remiseritis peccata, &c.* Ex quibus locis Patres & Concilia colligunt dari pœnitentiæ Sacramentum. Prob: 2. Authorit: Florent: in decret: unionis, ac Trident sess: 14. c. 4. *Si quis,* inquit, *dixerit pœnitentiam non esse verè & propriè Sacramentum, à Christo Domino institutum, anathema sit.* Probatur ratione Doct: Instituere Sacramentum fuit Deo possibile, & congruit ejus institutio, nam cùm baptismus non sit iterabilis, congruū erat, ut institueretur aliquod Sacramentum, quo resurgerent, qui relapsi essent post baptismum: ergo est institutum.

Ut probetur 2. pars. Adverte me non velle dicere, quòd tota hujus Sacramenti essentia in absolutione consistat, nam certum est, præter absolutionem Sacramentum hoc essentialiter includere rationem genericam Sacramenti, ut sic, unde quod intendo, probare est, differentiam essentialem hujus Sacramenti, in sola consistere absolutione. Jam probatur 2. pars Conclusionis. Illud dicit pœnitentiæ Sacramentum in recto seu essentialiter, quod primariò contrahit rationem Sacramenti ut sic, ad esse hujus Sacramenti pœnitentiæ, ut distincti ab omnibus alijs Sacramentis; sed hoc facit sola absolutio: ergo illam solam dicit Sacramentum pœnitentiæ in recto. Maj: est certa, prob: min: Sacramentum hoc institutum est per modum judicij, quo Sacerdotes de reis sententiam ferunt, teste Trident: sess: 14. c. 2. sed actum quemcunq; ad esse actûs judicialis contrahit primariò sententia judicis: ergo & Sacra-

men-

mentum ut ſic, contrahet adeſſe Sacramenti Judicialis, abſolutio per quam ſententia Judicis exprimitur.

Confirm: Nihil poteſt eſſe ratio conſtitutiva Sacramenti, niſi quod eſt ſignum ſenſibile; ſed contritio non eſt tale, ergo non eſt ratio conſtitutiva hujus Sacramenti. Deindè ſine Confeſſione & ſatisfactione validè hoc Sacramentum conficitur, ergo nullus ex illis actibus eſt de eſſentia hujus Sacramenti. Antecedens patet quoad confeſſionem in caſu neceſſitatis, quo aliquis validè poſſit abſolvi ſine prævia confeſſione. Patet etiam quoad ſatisfactionem, quia illam non niſi peracto Sacramento exhibemus, ut patet ex praxi Eccleſiæ, quæ injunxit pœnitentiam confitentibus, perſolvendam poſt confeſſionem: ergo neq; confeſſio, nec ſatisfactio erunt de eſſentia hujus Sacramenti. Probatur conſequentia. Nulla res poteſt eſſe ſine ſua eſſentia: ergo.

Obijc: contra 1. partem varias hæreticorum explicationes, ſeu potiùs depravationes locorum Script: & maximè Joann: 20. quem ipſi explicare debere putant de prædicatione. ℞. explicationem illam malã eſſe, nam Chriſtus loquitur locò citato de poteſtate judiciaria, quam Judex audito reo, pronunciatã ſententiâ exercet, ut docet Auguſt: & alij Patres communiter.

Obijc: contra 2. partem. Ad validitatem hujus Sacramenti neceſſariò requiruntur abſolutio, juriſdictio, intentio Sacerdotis, peccata, contritio, confeſſio & ſatisfactio: ergo ejus ratio formalis malè ſtatuitur in ſola abſo-

absolutione, exclusis reliquis. ℞. negando consequentiam, tum ob rationes jam assignatas, tum etiam, quia frequenter multa requiruntur necessariò ad aliqua, quæ non sunt de eorum essentia; sic ad relationem requiruntur fundamentum & terminus, ad cõpositum per se, Unio, &c. Et ad judicium actor, reus, testis. Itaq; omnia jam assignata præter absolutionem requiruntur vel tanquam materia circa quam, seu objectum absolutionis sacramentalis, vel tanquam dispositio requisita ad validitatem Sacramenti.

Obyc: 2. contra eandem. Actus pœnitentis, contritio videlicet, confessio & satisfactio, sunt materiæ hujus Sacramenti, ut docet Trident: sess: 14. c. 4. his verbis: *Si quis negaverit ad integram & perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in pœnitente, quasi materiam Sacramenti pœnitentiæ, contritionē videlicet, Confessionem & satisfactionem, quæ tres pœnitentiæ partes dicuntur, anathema sit.* ergo sunt de essentia illius, sicut semper est materia de essentia compositi. ℞. primò Concilium non dicere, quòd sint materia, sed quòd sint *quasi materia*, quæ verba diversa sunt à sensu adversariorum. ℞. 2. explicando Concilium, dicit illa esse materiam circa quam, & partes talis materiæ, concedo, materiam ex qua, aut partes proximæ constituentes hoc Sacramentum, nego antecedens, & consequentiam; quamvis enim materia objectum sit, circa quam scientia versatur, non est tamen de illius essentia. ergo. Et si quæras, quænam est materia ex qua hujus Sacramenti? ℞. quòd nullam habeat, sicut etiam,

Quomodo Conc: Trident: supra hoc sit intelligendũ.

nec

nec formam, in sensu quo solet accipi pro altera parte compositi, resultantis ex materia & forma: sufficit enim, quòd habeat materiam, circa quam versatur absolutio, quæ propterea forma dicitur, quia circa illam versatur materiam.

ASSERTIO III. Hoc Sacramentum institutum est à Christo Domino, Joann: 20. quando dixit: *Quodcunq; solveritis super terram*, &c. *Institutio hujus Sacramenti.*

Probatur 1. pars. De institutione tum authoritate Trident: sess: 14. c. 1. *Si quis*, inquit, *dixerit pœnitentiæ Sacramentum à Christo Domino institutum non esse, anathema sit.* Tum etiam ex dictis de Sacramentis in genere, ut suprà.

Probatur etiam 2. pars. ex eodem Trident: citato c. ultimo ubi expressè docetur.

Objic: contra 1. partem. Confiteri est grave onus: ergo non credendum est fuisse institutum à Christo Domino. ℟. negando consequentiam, quia gravis culpa, ac grande malum, grave & ponderosum debet habere remedium.

Objic: contra 2. partem. Æquè ex illa authoritate Joannis colligitur obligatio confitendi venialia, ac mortalia; sed illa non necessariò tenetur quis confiteri, ergo nec hæc. ℟. ex illa authoritate præcisè non deduci, quòd hæc aut illa essent confitenda; sed ex illa & perpetua Ecclesiæ traditione, & explicatione fundata in eo, quòd venialia non faciant inimicum DEI, mortalia autem faciant.

AS-

Præceptũ Ecclesiæ circa hoc Sacramentum.

ASSERTIO IV. Fideles baptizati, præcepto tam Divino, quàm Ecclesiastico, tenentur ad hoc Sacramentum in mortis articulo, si in mortale peccatum sunt lapsi.

Probatur de præcepto divino ex dictis assertionis præcedentis. De Ecclesiastico res est extra controversiam, in Concilio Lateranensi præcepta.

Probatur etiam ultima pars, quia nunquã potiùs deberet obligare, quàm in mortis articulo: ergo.

Aliquãdo frequẽtiùs per accidens obligat.

ASSERTIO V. Præceptum hoc per accidens obligat, quoties est sumenda Eucharistia, amandus Deus super omnia, aut aliquod aliud faciendum est, quod in statu gratiæ à peccatore fieri debet. *Prob:* tum ex dictis Colum: 36. tum etiam, quia probatio illa, quam Paulus 1. Corinth: 11. præcipit his verbis: *Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat,* &c. quando est copia Confessarij, debet adhiberi pro hoc Sacramento: ergo.

Quomodo aliquis satisfaciat præcepto annuæ cõfessionis.

ASSERTIO VI. Præcepto de annua Confessione satisfacit, qui quocunque anni tempore confitetur. *Prob:* Ecclesia non præcipit nisi sacramentalem Confessionem semel in anno; ergo quocunq; anni tempore quis confitetur, satisfacit huic præcepto. Probatur antecedens ex cap: *Omnes utriusq; sexûs.*

Peccata occulta confitenda.

ASSERTIO VII. Ut hoc Sacramentum validè administretur, ordinariè loquendo necessarium est omnia peccata mortalia etiam occulta, uni Sacerdoti confiteri.

Prob:

Probatur ex Concilio Lateranensi, in quo præcipitur, ut omnis utriusq; sexûs, postquā ad discretionem pervenerit, omnia peccata sua fideliter confiteatur saltem semel in anno. Et ex Trident: sess: 14. cap: 5. & can: 7. *Si quis*, inquit, *dixerit, in Sacramento pœnitentiæ necessarium non esse jure divino, confiteri omnia & singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita & diligenti meditatione habeatur, etiam occulta, & circumstantias, quæ peccati speciem mutant, anathema sit.*

Prob: 2. Tum ex perpetua & constanti Ecclesiæ traditione, tum etiam ex varijs SS. Patrum authoritatibus, quas hic fusè moderni adducunt.

Obyc: Peccata publica ex se satis sunt manifesta: ergo saltem illa confiteri non debent. ℟. distinguendo antecedens, sacramentaliter nego antecedens, extra Sacramentum, concedo antecedens, & nego consequentiā.

Dixi in Conclusione, *uni Sacerdoti*, quia qui unam partem uni confiteretur, & alterā alteri, non sufficienter cōfiteretur, ut docent Authores communiter. At qui tantùm uni omnia mortalia confiteretur, & posteà venialia suo Confessario, cui nollet dicere graviora, sufficienter confiteretur.

ASSERTIO VIII. Non tenetur quis præcepto Divino, aut Ecclesiastico, ad Confessionem per interpretem faciendam, adeóq; nec ad publicam; potest tamen homo sic confiteri licitè.

Confessio per interpretem licita, sed non necessaria.

Prob: 1. pars. Tum ex Trident: sess. 14. c. 5. ubi expresfsè docetur. Tum etiam, quia non constat de ullo præcepto tali, Divino, aut Ecclesiastico. ergo.

Pro-

Probatur ultima pars. Confeſſioni publicæ, & etiam per interpretem, convenirent omnia requiſita ad hoc Sacramentum. ergo.

Obijc: contra ultimam partem. Una ex circumſtantijs requiſitis ad confeſſionem eſt, ut ſit ſecreta; ergo nec publicè, nec per interpretem confiteri licet. Antecedens patet ex his vulgaribus verſibus:

Sit ſimplex, humilis, Confeſſio, pura, fidelis,
Atq; frequens, nuda, diſcreta, lubens, verecunda.
Integra, ſecreta, lachrymabilis, accelerata,
Fortis & accuſans, quæ ſit parere parata.

℟. diſtinguendo antecedens, Confeſſionis præceptæ, concedo antecedens, Confeſſionis ad quam quis non obligatur, nego antecedens, & conſequentiam.

Obijc: 2. In articulo mortis, quando quis non eſt certus, quòd habeat contritionem, tenebitur confiteri per interpretem, ſi velit eſſe de ſua ſalute ſecurus: ergo datur præceptum de Confeſſione per interpretem ſubinde facienda. ℟. negando antec: nam in tali caſu ſufficeret illi nutu, vel ſigno Sacerdoti manifeſtare ſe peccâſſe, ad obtinendum hujus Sacramenti effectum.

Circumſtātiæ mutātes ſpeciem, non verò aggravantes, neceſſariò ſunt confitenda.

ASSERTIO IX. Non ſolùm ſpecies, ſed etiam circumſtantiæ mutantes ſpeciem peccatorum, in confeſſione neceſſariò confitendæ ſunt; secùs dicendum eſt de circumſtantijs, quæ non mutant ſpeciem, quamvis notabiliter aggrauent.

1. Pars de ſpeciebus patet ex Trident: jam ſuprà citato. *Probatur autem 2. pars*, ſine Con-

Confeſſione illarum circumſtantiarum, ſpecificus numerus peccatorum confiteri non poteſt; ſed debet ille numerus confiteri; ergo & circumſtantiæ.

Probatur ultima pars., tum quia Tridentinum loco citato tantùm loquitur de circumſtantijs ijs, quæ mutant ſpeciem: tum etiam, quia integra peccatorum confeſſio, quoad numerum & ſpeciem, fieri poteſt, ſine eo, quòd confiteantur circumſtantiæ, aggravantes intra eandem ſpeciem. ergo.

Obijc: contra hanc partem. Qui furatus eſt centum ducatos, tenetur in confeſſione ſummam illam explicare; & tamen circumſtantia illa quantitatis ſummæ, non mutat ſpeciem peccati furti; & idem dic de illo, qui uno ictu, ſeu exploſione unâ tormenti centum occidit homines; ergo circumſtantiæ aggravantes intra eandem ſpeciem ſunt neceſſariò confitendæ. ℞. cum Rodriquez noſtro, quem ſequitur Cardinalis de Lugo, negando antecedens, nam ſufficeret, illi pœnitenti, confiteri, ſe fuiſſe furatum quantitatẽ ſufficientem ad peccatum mortale, vel commiſiſſe homicidium mortaliter peccaminoſum: imò cum Pontio hic, diſp: 45. q. 7. nu: *Etiam in-*
53. exiſtimo contra Lugonem, etiamſi inter- *terrogatus,*
rogaretur pœnitens à Confeſſario, illum non *non tene-*
teneri ad circumſtantiam illam confitendam, *tur circũ-*
quia non obligatur, niſi ut numerum & ſpe- *ſtantiam*
ciem peccatorum mortalium confiteatur, & *confiteri.*
conſequenter, Confeſſario curiosè interroganti de alijs circumſtantijs aggravantibus tantùm, dicere poſſit ſe non teneri ad confitendam illam circumſtantiam. De Circum-

stantijs autem ipsis, de quibus hic fusè aliqui agunt, egi Columnâ 9. de Actibus humanis. & fusissimè agit Pontius disput: 45. summæ.

Absolvendus est, qui nullũ doloris signũ dare potest.

ASSERTIO X. Confessio facta sine voce, nutibus, aut alijs signis, valida est, & bona. Imò qui in Epilepsiam, aut aliam infirmitatem inciderit, ratione cujus impediretur in operatione sensuum externorum, modò anteà catholicè vixerit, sine ullo sacrilegij periculo, conditionatè absolvendus est, quamvis nullum daret doloris signum.

Probatur 1. pars. Talis confessio est accusatio dolorifica de peccatis: ergo valida est & bona.

Prob. 2. pars. Tum quia in tali conditionata absolutione, etiamsi privetur effectu, nullum est mali periculum, magis quàm in baptismo conditionato infantis expositi, re ipsâ aliàs baptizati; sed secundùm omnes, sic expositus conditionatè baptizari debet, nisi constet, quòd fuerit anteà baptizatus: ergo. Tum etiam, quia juvandus est proximus in ordine ad salutem æternam, omni modo possibili, & licito; sed talis conditionata absolutio est modus, quo frequenter proximus in ordine ad vitam æternam juvari potest: ergo. Prob: min: Potest contingere in tali casu, ut proximus sibi sit præsens, & absolutionem desideret, quamvis per signa aliqua externa, suum animum exprimere non posset, ut sibi ipsi contigisse fatetur noster Mercantius: ergo in tali casu est absolvendus.

Confirmatur. Præsumendum est, quòd qui Chri-

Christianè vixit, animum habuerit confitendi sua peccata: ergo quamvis incideret in dementiam, epilepsiam, aut aliam hujusmodi infirmitatem, adhuc tamen absolvendus est conditionatè, hoc modo: *Si es capax, ego te absolvo.*

Objic: pro P. Pontio. Qui incidit in Epilepsiam, vel amentiam, fuit in statu gratiæ, dum incidit, vel non fuit, si primum non indiget absolutione; si secundum, non constat ipsum habere dispositionem requisitam ad absolutionem: ergo non est danda illi absolutio. ℞. primò hoc argumentum, si aliquid valeret, probare quòd non liceret absolvere constitutum in statu gratiæ, quod nemo dicet; cùm sola peccata venialia, quæ cum justificatione compatibilia sunt, sufficiens materia sunt absolutionis. Deinde possit apoplecticus ille, esse in statu peccati mortalis, & de eo, ex motivo attritionis dolere, ac absolutionem desiderare, quamvis nullo externo signo, posset suum desiderium alteri explicare; sed in tali casu prodesset ipsi absolutio; ergo non gratis illi applicaretur. Unde ℞. 2. quòd & in uno & in altero statu constituto, possit absolutio prodesse, cujus contrariũ non probat argumentum. *Reÿcitur Pontius.*

ASSERTIO XI. Forma absolutionis essentialiter consistit in his solis verbis: *Absolvo te.* *Prob:* Nihil est necessarium ad formam hujus Sacramenti, nisi quod est necessarium ad ferendam sententiam de pœnitente; sed illa duo verba, *Absolvo te*, ad hoc sufficiunt; ergo. *Forma essentialis absolutionis.*

Objic: In forma baptiſmatis debet fieri expreſſa mentio Trinitatis : ergo & hic. ℟. negando conſequentiam, & diſparitas eſt, quia baptiſmus eſt janua & ſolennis profeſſio Fidei, uti & confirmatio eſt robur ad confitendam fidem publicè, & ſic, quamvis in illis fiat mentio Trinitatis, ſine cujus cognitione fides ſtare non poteſt; non tamen hic.

Sufficit ut dolor abſolutionē præcedat.

ASSERTIO XII. Non eſt neceſſariũ, ut dolor requiſitus ad validitatem hujus Sacramenti præcedat confeſſionem, ſed ſufficit, quod abſolutionem præcedat.

Prob: Quia nec ratione, nec authoritate oſtenditur, quòd dolor ille debeat præcedere Confeſſionem. ergo.

Objic: Confeſſio debet eſſe accuſatio; ſed ſi non præcedat dolor, non erit, ſed hiſtorica narratio : ergo. ℟. concedendo majorē, & diſtinguendo min: non eſſet accuſatio completa formaliter loquendo, tranſeat min: incompleta, complebilis tamen per ſubſequentem dolorem, & ſubjectionem ad claves, nego min: & conſequentiam.

Sacramentum hoc, non eſt valida, informe.

ASSERTIO XIII. Dolor ſufficiens ad validitatem Sacramenti pœnitentiæ, ſufficit etiam, ut habeat ſemper ſuum effectum, & conſequenter nunquam eſt validum, & informe. *Probatur.* Ad validitatem hujus Sacramenti, non ſufficit aliquis dolor, qui non eſt efficax deteſtatio peccati, conjuncta cum propoſito emendandi vitam, & ſatisfaciendi pro commiſſo delicto, prout requiritur in hoc foro; ſed talis dolor, & deteſtatio peccati, ſufficit ut Sacramentum conferat


effe-

effectum gratiæ; ergo stante tali dolore, Sacramentũ semper conferet illum effectum, & consequenter non erit validum & informe: stante enim dolore tali invalidum esse non potest; nec etiam informe, stante productione gratiæ.

Obijc. cum Suare. Si quis committeret duo peccata, unum v. g. furti, & alterum homicidij, & oblivisceretur postea peccati furti, dum confiteretur peccatum homicidij, de quo solo tunc doleret, ob malitiam particularem ipsius, ille validè confiteretur, & absolveretur, sed non consequeretur gratiam, quia habet obicem peccati furti, de quo non dolet, nec quidem virtualiter, ut suppono: ergo in tali casu Sacramentũ esset validum, & informe. ℞. negando majorem, nam ut quis validè absolvatur à peccato mortali, non satis est, ut doleat de illo sub ratione tantùm specifica, sed etiam dolere debet sub ratione generica, sub qua detestatur etiam virtualiter peccatum, inculpabiliter oblitum.

EPISTYLIUM PROBLEMATICUM COLUMNÆ XXXIX.

An pœnitens teneatur Confessario interroganti, an habuerit consuetudinem peccandi, fateri veritatem?



COLVMNA XL.

De Ministro hujus Sacramenti.

Requiritur potestas ordinis, & jurisdictionis.

ASSERTIO I. Sacerdos, hujus Sacramenti minister, non recipit vi ordinis completam facultatem absolvendi quoscunq; à peccatis; unde ultra potestatem ordinis, ut quis validè possit absolvere, requiritur potestas jurisdictionis.

1. *Pars* est definita in Trident: sess: 14. cap: 6. cujus authoritate probatur.

2. *etiam Pars probatur* authoritate Ecclesiæ in Florent: in quo dicitur, quòd minister debet esse Sacerdos, habens jurisdictionem ordinariam, vel delegatam; sed neutram habet vi ordinis, hoc est, vi suæ institutionis in Sacerdotem: ergo. Probatur minor. Si quivis haberet vi ordinis talem jurisdictionem, nemo haberet authoritatem delegatam; sed Florentinum docet authoritatem delegatam posse conferri alteri: ergo.

Confirm: Si vi ordinis quivis haberet proximam jurisdictionem respectu omnium, Ecclesia non posset invalidare ullius Sacerdotis jurisdictionem; sed hoc falsum esse expresè patet, ex capite *Omnes utriusq; : ergo.* Prob: sequela. Ideò Ecclesia non potest efficere, quin Sacerdos consecret, si cum debita intentione proferat formam supra materiam debitam, quia illa potestas confertur illi vi ordinis;

nis : ergo si potestatem absolvendi vi ordinis acciperet, non posset Ecclesia invalidare ipsius absolutionem.

Obijc: Quilibet Sacerdos in ordinatione accipit facultatem remittendi & retinendi peccata, ut patet ex illis verbis Joann: 20. quæ ab Episcopo proferuntur : *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis* : ergo vi ordinis accipit potestatem. ℟. distingu: antecedens, facultatem remotam, concedo antecedens, proximam, nego antecedens, & consequentiam.

Obijc: 2. In mortis articulo, quivis Sacerdos potest quemlibet alium absolvere, sine ulteriori ulla jurisdictione, præter illam, quā accepit in ordinatione; sed illa non magis determinatur ad omnes in tali articulo, quàm ad omnes absolutè : ergo. ℟. negando maj: nam illam jurisdictionem habet Sacerdos ab Ecclesia, quæ constituit ipsum judicem in tali articulo omnium, in absentia proprij Sacerdotis, aut alterius jurisdictionem delegatam habentis.

ASSERTIO II. Minister ordinarius hujus Sacramenti est, cui ex vi sui muneris, & officij, absq; privilegio & delegatione alterius, competit jurisdictio ordinaria in foro conscientiæ. Hæc est re ipsâ communis inter Doctores, quorum authoritate probatur.

Quis dicendus est ordinarius minister.

ASSERTIO III. Hujus Sacramenti tres sunt ministri ordinarij, Papa videlicet in universa Ecclesia; Episcopus in sua Diœcesi, & Parochus in sua Parochia. Hæc est com-

Ordinarij ministri, Papa, Episcopus, & Parochus.

communis. *Probatur*, Papæ ex vi ſuæ electionis in ſummum Pontificem, competit jurisdictio in univerſalem Eccleſiam, quia Supremus eſt ac ordinarius Paſtor gregis Chriſti, ejúsque generalis Vicarius, ut anteà jam probavi agendo de fide. Epiſcopo etiam vi ſuæ electionis, ac Parocho vi ſuæ legitimæ inſtitutionis, reſpectivè in Diœceſim, & Parochiam, competit ordinaria jurisdictio, quia veri paſtores ſunt commiſsi ſibi gregis, & conſequenter abſq; privilegio, vel delegatione alterius, audire poſſunt Confeſſiones ſibi ſubjectorum.

Hinc infertur, 1. Omnes illos, qui ex vi officij vel beneficij præfatorum ordinariorum locum obtinent, & quaſi ordinarij vocantur, in foro conſcientiæ reſpectivè ad ſibi ſubjectos, legitimam habere abſolvendi poteſtatem. Et hujusmodi ſunt, 1. Supremus Pœnitentiarius Romanus, Vicarij generales, & Legati à latere ſummi Pontificis. 2. Vicarij generales Epiſcoporum, & Pœnitentiarius Eccleſiæ Cathedralis, ubi pœnitentia eſt in officium erecta. 3. Vicarij Parochiales, ubi ſimiliter Vicarij tales in officium Parochorum ſunt aſſumpti; Ut videntur eſſe Vicarij Parochiales Sacri Ordinis Benedictinorum, Præmonſtratenſium, & Ciſtercienſium, ubi Monaſterio beneficium Parochiale eſt annexum.

Vicarij legitimè abſolvunt,

Superiores mendicãtium, reſpectu ſuorum ſub-

Infertur ſecundò, quòd Ordinariorum nomine & jure gaudent, qui in Ordinibus exẽptis ab Epiſcopali Jurisdictione, quaſi Epiſcopalem Jurisdictionem in ſuos ſubditos exercent, & ſimiliter dic de ijs, qui ad modum

Archi-

Archi-Presbyterorum, in religionibus exemptis, curam animarum, ex vi officij exercere debent. Generales Ordinum exemptorum, quasi Archi-Episcopalem, vel Episcopalem jurisdictionem habent, in universum Ordinem, vel Congregationem. Provinciales similiter, respectu suarum Provinciarum, & Custos respectu Custodiæ, quasi Vicariorum generalium jurisdictionem habent. Guardiani similiter, Priores, Rectores, Correctores, & alij sic instituti Superiores Monasteriorum, Conventuum & Collegiorum, quasi Parochialem, seu potiùs Archi-Presbyteralem, ratione suorum officiorum, jurisdictionem habent in sibi subjectos.

ditorum, ordinariā habent potestatem.

Infertur tertiò ex jam dictis, Generales Ordinum, per totam Religionem, & Provinciales per Provincias suas posse instituere Confessarios Religiosorum, sine prævia approbatione Ordinarij. Similiter dic de Abbatibus, Rectoribus, & Guardianis, respectivè ad suas personas; nam possunt confiteri subjectis sibi Sacerdotibus, quamvis nec ab Ordinario, nec à Generali, aut Provinciali, Confessarij sint approbati.

Generales, & Provinciales possunt instituere authoritate propriâ Confessarios fratrum.

ASSERTIO IV. Christiani omnes, qui confitentur Religiosis habentibus à Pontifice delegatam authoritatem, qualem habent Confessarij omnes approbati Religiosorum mendicantium, satisfaciunt præcepto Ecclesiæ, de annua Confessione.

Confitentes mendicantibus satisfaciunt præcepto annuæ Confessionis.

Prob: Præceptum Concilij Lateranensis de annua Confessione, non obligat, nisi ut quis semel tantùm in anno confiteatur proprio

Sacerdoti, aut alteri de ejus licentia; sed qui confitetur Religiosis jam dictis, confitetur habenti licentiam proprij Sacerdotis. ergo. Probatur min: Summus Pontifex est proprius Pastor & Sacerdos omnium Fidelium in hoc foro; sed à summo Pontifice licentiam habent Religiosi exempti, & ab Ordinario approbati, audiendi confessiones omnium fidelium: ergo.

Quid sit delegatus. *Quæres* 1. Quid sit Minister delegatus? ℟. quòd sit ille, qui non potest absolvere (loquor de delegato in hoc foro) ex officio suo, sed recipit authoritatem ab aliquo Ministro ordinario; puta à Papa respectivè ad totam Ecclesiam: ab Episcopo, vel Vicario ejus generali, respectivè ad totam Diœcesim, & à Parocho accedente consensu Ordinarij, respectivè ad suos sibi subditos.

An delegatus possit subdelegare? *Quæres* 2. Utrum delegatus posset subdelegare suam authoritatem alteri? ℟. hoc dependere à voluntate delegantis, & sic ex verbis quibus delegat, aut alijs circumstantijs, cognosci potest delegati potestas, in ordine ad hoc.

Non exspirat. *Quæres* 3. An jurisdictio delegata exspiret morte delegantis, sive mors illa sit civilis, sive naturalis? ℟. negativè, & hoc patet ex praxi Ecclesiæ, quæ permittit, ut aliquis utatur authoritate delegatâ, post mortem delegantis, quod non faceret, si non esset licitum.

Reservatio casuum licita. ASSERTIO V. In Ecclesia est potestas reservandi aliqua peccata, etiam in foro interiori, à quibus nulli nisi authoritatem habenti, licet absolvere. Est de fide definita

ta in Trident: sess: 14. Can: 11. cujus authoritate probatur.

Hinc malè colligitur, quòd Generales aut Provinciales Religiosorum, possunt sibi reservare quos volunt casus: nam quamvis Archi-Episcopalem, vel Episcopalem quasi authoritatem habent respectivè ad suos subditos; tamen Clemens VIII. ob varia & rationabilia motiva, prohibuit illis, ne reservent ulla peccata, nisi certa ab ipsomet in Bulla specificata, quæ ordinariè referuntur in constitutionibus Religionum.

Quæres, An qui reservet aliquod peccatum, potest ab illo absolvere, & alteri dare facultatem absolvendi ab illo? ℞. affirmativè, si est Sacerdos, & ratio est, quia reservans potest absolutè illam reservationem tollere: ergo & absolvere ab illo peccato, vel dare alijs facultatem ab eo absolvendi. Dixi, *si est Sacerdos*, Superiores Religiosorum, qui Ordinem Sacerdotalem non suscipiunt, reservare peccata possunt, absolvere tamen ab illis per se non possunt, bene tamen absolvendi licentiam alteri impertire valent, & reservationem tollere.

ASSERTIO VI. Confessarius tenetur habere Scientiam sufficientem, taliter ut sciat distinguere inter mortalia, & venialia, sicut & inter illa peccata, quæ communiter annexam habent censuram, vel reservationem. *Prob:* Judex in foro civili, tenetur tantam habere scientiam, ut possit delictorum gravitatem cognoscere; & scire, quænam delicta merentur hanc pœnam, & quænam

Scientia Confessario necessaria.

nam illam; sed Confessarius est Judex in foro Conscientiæ: ergo ad minimum debet habere scientiam in conclusione specificatam; & consequenter, mortaliter peccat ignarus, qui exponit se ad audiendas confessiones, ubi urgens non est necessitas. At qui bonâ fide ignaro confitetur, validè absolvitur, nisi ex parte ipsius ponatur obex, quia ignorantia Sacerdotis non facit, quin absolvendi habeat jurisdictionem.

Absolutio valida.

Obligatio Parochorum.

ASSERTIO VII. Parochi tenentur audire Confessiones subditorum, non solùm semel in anno, & in articulo mortis, sed etiã quoties rationabiliter rogantur, & sine gravi incommodo possunt.

Probatur. Tum quia propter hoc dantur ipsis beneficij fructus; tum etiam, quia sunt Patres spirituales Parochianorum; ergo sicut Pater corporalis, cui spiritualis assimilatur, tenetur filio, non solùm in extrema necessitate, sed etiam quoties necessarium est, pro viribus providere necessaria ad vivendũ, juxta suum statum; sic & Parochus debet providere subditis; qui filij spirituales illius sunt, non solùm in mortis articulo, sed etiã, quando ad magnum profectum spiritualem subditis, id est valdè conveniens.

Juvandi non verò turbandi sunt simplices.

ASSERTIO VIII. Rudiores à Confessario juvandi sunt, non tamen turbandi nimiâ curiositate interrogationum, præsertim in materia carnis.

Probatur 1. pars. Quia spectat ad officium Judicis spiritualis, bene examinare consci-

entiã

entiam pœnitentis, nescientis illā per se aperire, sed hoc fit interrogando ipsum genericè de peccatis, quæ ab ipsius conditionis personis, ordinariè committi solent: ergo. Min: est certa, probatur ergo maj: sine tali examine debitam de defectibus pœnitentis sententiam ferre non potest. ergo.

Probatur etiam 2. pars. quia talibus interrogationibus, innocentem aliàs pœnitentem possit instruere in malo, quod ei in mentem antea nunquam venit: ergo à nimia curiositate interrogationum, præsertim in materia carnis, abstinere debet.

ASSERTIO IX. Ut validè Confessarius absolvat, debet habere Jurisdictionem, ut verò licitè, debet esse in gratia. *Requiritur Jurisdictio, & status gratiæ in Ministro.*

Prob: 1. pars, ex Trident: sess: 14. c. 7. ubi ait, nullius momenti absolutionem esse debere, quam Sacerdos profert in eum, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet jurisdictionem.

Probatur 2. pars. Tum ex dictis de ministris aliorum Sacramentorum, tum etiam, quia minister cujuscunq; Sacramenti debet se conformare in quantum potest Christo, à quo potestatem habet; tum deniq;, quia sancta sanctè sunt tractanda; sed sic Sacramentum hoc sanctè non tractaretur à Ministro, si in mortali peccato licitè posset illud administrare: ergo non potest.

ASSERTIO X. Invalidè administrans hoc Sacramentum, puta ob defectum jurisdictionis, aut dispositionis ex parte pœniten- *Obligatio ignari Confessarij.*

tis,

tis, aut quia non obligavit illum ad restitutionem faciendam, sicut debebat; tenetur inducere pœnitentem ad repetendam Confessionem, si sine scandalo, infamia, fractione sigilli, & nocumento suo proprio, id facere posset; sin minùs, ad nihil tenetur.

Probatur 1. pars. Qui est causa cur aliquis non observet præceptum divinum, propter præcepti ignorantiam, quam causavit in ipso; debet tollere illam ignorantiam, si potest, sine gravi suo damno; sed invalidè administrans hoc Sacramentum, est causa, cur pœnitens non consequatur effectum præcepti divini de hoc Sacramento; seu cur præceptũ illud non observet, validè sua peccata confitendo, ergo tenetur illum admonere. Probatur min: nam sic absolutus putat se non obligari ad reiterandam denuò illam Confessionem, sed hoc provenit ex negligentia Confessarij. ergo.

Confirm: Si quis diceret alicui obligato ad audiendum Sacrum, quod non esset obligatus, & sic averteret illum, tenetur posteà ad contrarium illi significandum: ergo qui invalidè administrat Sacramentum hoc, tenetur posteà pœnitentem admonere de sua obligatione, in ordine ad reiterandam confessionem.

Probatur ultima pars: Nemo tenetur procurare spirituale bonum alterius, præsertim, quod alijs vijs licitis procurare possit, cum tanto incommodo: ergo ubi est periculum scandali, infamiæ, aut fractionis sigilli, non tenetur Confessarius pœnitenti aperire defectum commissum in ejus absolutione.

Obijci

Objic: Quamvis pœnitens non sit verè absolutus, tamen cum bona fide processit, primâ sequenti confessione (in qua virtualiter saltem de omnibus commissis tempore vitæ peccatis, dolebit) condonabuntur ipsi peccata omnia in priori confessione, non remissa: ergo non tenetur Confessarius invalidè absolvens, pœnitentem de invaliditate Sacramenti admonere. ℞. transeundo antecedens, & negando consequentiam, nam posset pœnitens esse in statu, in quo non teneretur posteà ullo modo confiteri; imò per accidens est, quòd confiteatur posteà, quia incertum est, quàm diu vivet; ergo quamvis si confiteretur, peccatorum præcedentium remissionem obtineret, adhuc tamen teneretur Confessarius ipsum admonere de defectu Sacramenti, nisi jam dictæ inconvenientiæ sequerentur.

Indisposito negari debet absolutio, talis censeri non debet, qui sequitur opinionem probabilem.

ASSERTIO XI. Si Confessario constaret pœnitentem non esse ritè dispositum, deberet ei negare absolutionem. Indispositus censeri non debet pœnitens, qui probabilem Confessarij opinionem, contra suam sequi non vult.

Prob: *1. pars.* Confessarius non exerceret ritè Officium Judicis, si indispositum absolveret: ergo non debet illum absolvere. Probatur antec: Officium Judicis est justam proferre sententiam, sed Confessarius in tali casu justam non proferret sententiam, absolvendo nimirum, absolutione indignum.


Hinc infertur, Confessarium antequam absolvat, debere probabiliter existimare pœnitentem sufficienter esse dispositum, tam re-

ſpectu temporis præteriti, ut nimirum quod ſatisfecit obligationi, quâ tenebatur ſub mortali; quàm etiam reſpectu præſentis, ut v. g. quòd ſufficienter doleat de peccatis commiſſis, quem dolorem Confeſſarius ex modo narrandi peccata, aut ex alijs ſignis externis, deprehendere poteſt; ijs autem deficientibus, pœnitenti ſe dicenti ex animo dolere, & promittenti in futurum vitæ emendationem, credere debet.

Probatur autem 2. pars. Qui ſequitur opinionem probabilem in foro conſcientiæ, diſpoſitus ad abſolutionem cenſeri debet, ſed pœnitens in caſu concluſionis, ſequeretur opinionem probabilem, ut ſuppono: ergo indiſpoſitus cenſeri non debet.

EPYSTILIUM PROBLEMATICUM COLUMNÆ XL.

An Religioſus extra Monaſteriũ exiſtens, cum omnimoda neceſſitate celebrandi, poſſit etiam à reſervato caſu abſolvi per Clericum ſacularem approbatum?



COLVMNA XLI.

De Sigillo, & Sacramentali Satisfactione.

ASSERTIO I. Sigillum Sacramentale, est obligatio singularis, quam habet Confessarius in omni casu, etiam quo totius Imperij salus periclitaretur, ad tacendum, etiam post mortem pœnitentis, dicta in Confessione (intellige in ordine ad absolutionem Sacramentalem:) omnia, quorum revelatio Sacramentum redderet onerosum, vel odiosum. Hæc non indiget probatione, unde sit. *Quid sit Sigillum?*

ASSERTIO II. Hæc obligatio supposità institutione hujus Sacramenti, juris est naturæ, Divini, & Ecclesiastici. *Juris est naturæ, Divini, & Ecclesiastici.*

Probatur 1. pars. Est juris naturæ, non infamare proximum in ullo casu, absq; rationabili causa, sed si quis revelaret peccata in confessione audita, infamaret proximum absq; rationabili causa; ergo est juris naturæ hoc non facere. Probatur min: Non potest excogitari rationabilior causa infamandi proximum, per apertionem Sigilli, quàm quando ex illa revelatione, posset caveri notabili malo Reipublicæ; sed illa non esset rationabilis causa, ob quam deberet infamari proximus, aperiendo sigillum. Maj: est certa, probatur min: Eatenus illa esset rationa-

bilis causa, quatenùs posset revelatione confessionis caveri illi malo; sed non posset: ergo. Probatur min: Si ad cavendum illi malo, liceret revelare confessionem, nemo confiteretur peccatum tale: ergo per facultatem revelandi in confessione dicta, nullatenus caveretur imminenti illi malo.

Confirm: Positivè impedire spirituale bonum proximi, est contra divinum & naturale præceptum; ut est evidens, sed per apertionem sigilli, suppositâ obligatione confitendi, impediretur spirituale bonum proximi, nam non confiteretur unquam sua peccata; ergo.

Pœna violantis sigillum. *Probatur ultima pars*, ex cap: *Sacerdos*, de pœnit: in 6. ubi violanti Sigillum confessionis, pro pœna imponitur depositio & peregrinatio ignominiosa & perpetua. Et ex cap: *Omnis utriusq. sexûs*, ubi determinatur illi pro pœna depositio, & inclusio perpetua in aliquo Monasterio.

Objicies. Si hæc obligatio esset juris naturæ, non posset Confessarius de licentia pœnitentis peccata revelare; sed hoc est falsum. ergo. ℞. negando maj: quia præceptum illud includit negationem consensûs pœnitentis, quâ ablatâ, cessat obligatio præcepti.

Objic: 2. Obligatio illa est positivi juris divini, secundùm Scotum in 4. d. 21. q. 2. n. 11. ergo non est juris naturæ. ℞. negando consequentiam, quia est utriusq; Juris, sicut & multa alia sunt præcepta.

Subjecta obligata. ASSERTIO II. Non solùm Confessarius, sed etiam interpres, internuncius, Consilia-

siliarius, & quicunq; alius, qui quovis modo ex Confessione aliquid audivit, tenetur Sigilló Confessionis. *Probatur Conclusio* de interprete (de Confessario certum est illum directè obligari) fieret injuria Sacramento, si interpreti liceret violare sigillum Confessionis. Ergo præcepto illo quo tenetur Confessarius obligatur etiam interpres. Probatur antecedens, retardarentur homines nè cum tanta fiducia ad hoc possint accedere Sacramentum, & sic redderetur confessio odiosa; sed hoc est injuriam facere Sacramento. ergo. *Probatur de interprete.*

Confirm: Interpres non solùm est instrumentum pœnitentis, sed etiam Sacerdotis: nam sicut alter per illum loquitur, ita etiam suo modo Sacerdos per ipsum audit, & sic participat secretum ejus: ergo obligatur illo sigillo quo Sacerdos.

Probatur etiam Conclusio de internuncio, & Consiliario, quem Confessarius ex consensu pœnitentis consulat (idem dic de Superiore, à quo petitur licentia ad absolvendum à reservatis) quia illi participant actum clavium, scilicet quoad clavim scientiæ, & supplent defectum ministri: ergo obligantur illo præcepto, quo Confessarius tenetur. *De internuncio & Consiliario.*

Probatur etiam de illo, cui Confessarius iniquè revelaret Confessionem, transferens aliquid in alium, quod non potest licitè de jure transferre, non dat illi alteri jus utendi, aut transferendi rem illam in tertiam; sed Confessarius revelans confessionem, non habet jus transferendi notitiam illam in alterum, ergo si defacto transferat, alius non habet *De eo, cui revelaretur confessio.*

jus transferendi. Probatur maj: non habens jus in rem aliquam, non poteſt transferre illud in alium: ergo.

De illo, qui caſualiter audiret.

Probatur etiam de illo, qui doloſè & furtivè audit confeſsionem, quia talis facit injuriam Sacramento, & perſonæ pœnitentis. ergo tenetur illam reſarcire quantùm poteſt, ſed nullo modo poteſt, niſi ſervando ſecretũ, quantum ſigillum poſtulat: ergo ad hoc obligatur. Probatur etiam, tum de illis, qui caſualiter & ex inadvertentia audiunt peccata, tum etiam de illis, coram quibns, in caſu neceſſitatis, aliquis eſt confeſſus, quia tenentũr ſervare proximum indemnem in fama, & nullam Sacramento facere injuriam; ſed neutrum præſtarent, ſi eis liceret uti ſcientiâ habitâ ex confeſsione. ergo.

Obijc: Si eſſet tam ſtricta obligatio, non ſolùm Confeſſarij, ſed etiam aliorum jam nominatorum, ad non revelanda peccata in confeſſione explicata, ſequeretur, quòd Confeſſarius quandoq; eſſet obligatus ad mentiendum, & etiam pejurandum; ſed hoc non eſt dicendum. ergo. Probatur ſequela major: Poteſt interrogari à Judice, an in Confeſsione audivit peccatum tale aliquod ab aliquo, qui ipſi reverà fuit confeſſus, tale peccatum, & tunc vel mentiri liceret ei, vel revelare confeſsionem. ℞. negando ſequelam, ad ejus probationem, dico quòd Confeſſarius in tali caſu licitè poſsit uti reſtrictione mentali, & ſic ſine mendacio reſpondere quòd non ſit confeſſus, addendo in mente, ut renunciarem tibi. Poſſet etiam animoſiùs

ſe

se gerere, dicendo se non velle loqui de ijs, quæ confesſionem tangunt.

ASSERTIO III Non licet Confeſſario negare ſchedulam auditæ Confeſſionis, ei, qui non eſt verè confeſſus propter defectum debitæ diſpoſitionis, ſi ad illum mittatur pœnitens, ut confiteatur cum obligatione, ut referat Schedulam.

Probatur negando tali perſonæ ſchedulam, proderet aliquomodo ſigillum, & malam pœnitenti diſpoſitionem; ſed hoc illi non licet: ergo nec negare ſchedulam.

Dixi, *ſi ad illum mittatur*, quia ſi non ſic mittatur, aut ex Superioris mandato ei confiteri tenetur pœnitens; meritò ei denegaret ſchedulam; tum quia per hoc nihil dicit, ſed tantùm non approbat teſtimonio poſitivo Confeſſionem eſſe validam: tum etiam, quia aliàs via aperiretur fraudibus, & multi improbi Parochos in Paſchate deciperent: tum deniq; quia ſcandaloſum eſſet, & iniquum, publicæ meretrici perſeveranti, aut etiam occulto ſic pallianti ſuum delictum, teſtimonium dare Confeſſionis. *Quando licet negare ſchedulam Confeſſionis,*

ASSERTIO IV. Sub Sigillo Confeſſionis cadunt peccata omnia, tam mortalia, quàm venialia, eorúmq; circumſtantiæ, ac objecta, in Confeſſione audita. *Quænam cadunt ſub ſigillo.*

Probatur. Quia nihil horum poteſt revelàri ſine gravi injuria, & nocumento ſaltem Sacramenti; ergo nihil illorum debet revelari. Probatur antec: Si liceret revelare vel minimum veniale, averterentur homines à Confeſsione venialium peccatorum; ſed hoc

esset Sacramento injuriosum & nocivum. ergo.

Usus notitiæ in confessione habitæ illicitus.

ASSERTIO V. Usus notitiæ comparatæ in Confessione, cum morali periculo revelationis directè, vel indirectè, nunquam est licitus, & consequenter non licet Confessario imponere pœnitenti pœnitentiam publicam in satisfactionem peccati commissi, si inde sequatur revelatio etiam indirecta, seu suspicio alicujus gravis criminis, talis pœnitentis.

Probatur. Omnis revelatio etiam indirecta, repugnat Sigillo Confessionis: ergo omnis talis est prohibita. Ex hoc infertur, non licere superioribus per statutum ordinare, ut pro tali, vel tali occulto peccato, Confessarius talem, vel talem publicam imponat pœnitentiam.

Statuta prohibita.

Usus subinde licitus

ASSERTIO VI. Licet uti notitiâ illâ Confessionis, quando ex illo usu nulla sequitur etiam indirecta revelatio, nec morale periculum ejus.

Prob: Actio illa nullo modo violat secretũ Sigilli, ergo non est illicita: Probatur consequentia, quia non potest ostendi, ex quo alio capite posset habere maliciam intrinsecam, nisi ex apertione Sigilli: ergo cùm per illum usum nullatenus violatur Sigillum, usus in se non erit illicitus. Hinc sequitur, 1. Post Confessionem licitè Confessarium orare posse pro pœnitente, petendo illi remissionem, vel emendam. 2. Consulere posse in re dubia virum doctum, sine periculo cognitionis personæ. 3. Ex Confessione unius, licet in Confessione alterius aliquam

inter-

interrogationem facere necessariam, vel utilem pœnitenti, tali tamen modo, ut alius non intelligat, unde confessor moveatur ad interrogandum. 4. Potest ipse Confessor diligentiùs custodire rem propriam, & etiam vitam, lege Navarrum c. 8. n. 17.

ASSERTIO VII. Ut usus Confessionis sit licitus, & honestus, debet etiam esse sine injusto gravamine pœnitentis, & ob aliquam gravem causam, seu utilitatem. *Conditiones requisitæ ad licitum usum.*

Prob: 1. pars. Quamvis actio illa non esset contra secretum Sigilli; tamen esset injuriosa Sacramento, quia sumeretur per illam ut instrumentum ad injustitiam exercendam; ergo non est licita, & consequenter non licet Superiori ex scientia Confessionis, exteriùs punire pœnitentem, aut privare illum beneficio, vel aliâ re, in qua habet jus acquisitum; Ratio secundæ partis est, quia hoc secretum est res valde sacra: ergo non licet illo uti ad actiones alias externas, nisi ob honestum finem, proportionatum tali medio.

ASSERTIO VIII. Potest Confessarius licitè uti scientiâ confessionis, etiam ad damnum aliquod pœnitentis, quando illud damnum est tale, quòd ipsemet pœnitens teneretur subire illud. *Usus licitus cum damno pœnitentis.*

Prob: Prælatus audiens Confessionem sui proprij Confessarij, ex qua intelligeret illum non esse Sacerdotem, potest licitè ampliùs non confiteri (quamvis alter adverteret, quòd uteretur Prælatus scientiâ Confessionis) sed per hoc pœnitens incurreret aliquod damnum, ex suppositione, quòd esset illi gra-

tum & honorificum, agere Prælati Confessarium: ergo non obstante illo detrimento, licitè Prælatus utitur scientiâ confessionis.

Confirm: Nihil vetat usum scientiæ confessionis, nisi revelatio peccati, vel retardatio à Confessione, aut decretum Clementis VIII. Sed nihil horum reddit usum scientiæ illius illicitum, in casu conclusionis: ergo. Non primum, quia ut suppono, nec indirectè revelatur peccatum. Non secundum, nam quamvis casuum reservatio Superioribus, reddit confessionem valdè difficilem subditis, sicut & assignatio unius in particulari Confessarij, cui soli licitum est confiteri, tamen nec reservatio illa illicita est, aut assignatio prohibita. ergo etiamsi hæc licentia utendi scientiâ confessionis redderet illam difficiliorem, non inde sequitur, quòd esset illicita. Et consequenter Prælatus sciens ex Confessione, Petrum peccaturum si exibit, potest licitè illum domi retinere, aut aliò, ubi peccandi periculum non est, mittere; sicut & abstinere à portione, quam ex Confessione scit esse infectam veneno.

Decretum Clementis VIII. Quod etiam Decretum Clementis VIII. (*Tam superiores pro tempore existentes, quàm Confessarij, qui posteà ad Superioratûs gradum fuerint promoti, caveant diligentissimè, ne eâ notitiâ, quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur, &c. atq; hæc per quoscunq; Regularium Superiores, quicunq; illi sint, observare mandamus*) non impediat, patet, quia debet intelligi respectivè ad regulares in casu revelationis directæ, aut indirectæ; & in casu damni,

mni, ad quod subeundum non teneretur pœnitens.

ASSERTIO IX. Extra Sacramentum, de licentia pœnitentis, licitè loquitur Confessor de auditis in Confessione, sive cũ ipsomet, sive quocunq; alio. *Prob:* Quod à pœnitente licitè fieri potest, cùm ejus licentia à Confessario licitè fit; sed extra Confessionem licitè potest pœnitens dicere omnia, quæ in Confessione dixit: ergo & de illius licentia licitè referuntur à Confessario.

Consensus pœnitentis sufficit.

ASSERTIO X. Homo justus per sua propria opera, absolutè & simpliciter dicendus est pro suis peccatis satisfacere; & apud Deum remissionem pœnæ temporalis, illis debitæ obtinere. Hæc est de fide in Trident: sess: 14. cap: 13. & 14. saltem quoad ultimam partem.

Opera justorum satisfactoria

Prob: 1. pars. Nos verè coram Deo, per nostra opera meremur vitam æternam; ut est de fide: ergo similiter per nostra opera satisfacimus. Prob: consequentia, tum quia non est majus hoc posterius, quàm illud prius, imò minus est. Tum etiam, quia Trident: sess: 6. Can: 14. & 26. eodem modo de utroque loquitur. Tum prætereà, quia eadem virtus gratiæ, aliæq; omnes conditiones ad meritum requisitæ, concurrunt ad satisfactionem: ergo sicut per meritum acquirimus jus ad præmium vitæ æternæ, ita per satisfactionem pœnam nobis debitam compensamus, & solvimus.

Confirm: Satisfactio nostra non magis repugnat dignitati Christi satisfacientis, quàm meritum dignitati Christi merentis (satisfa-

ctio enim nostra satisfactioni Christi innititur, quia propter ipsum acceptatur, & ut rationem justitiæ participet, in ejus satisfactione fundatur) sed non obstante dignitate Christi merentis, nos verè meremur præmiũ per propria merita, quæ Dei sunt dona, ergo & satisfacimus per propria opera. Et per hoc patet ad fundamentum Baijstarum.

Probatur jam 2. pars. Tum authorit: Trid: jam citati. Tum etiam ex Script: Matth: 3. *Facite fructus dignos pœnitentiæ*, id est, qui pœnitentiam consequuntur, & consequenter digni sunt aliquâ remissione, ut loquitur Augustinus de vera & falsa pœnitentia, c. 15. 2. Corinth: 7. *Gaudeo non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam.* Tum deniq;, quia magis est mereri vitam æternam, quàm remissionem pœnæ tmporalis consequi; sed illud possumus: ergo & hoc.

Confirm: Quia nihil obstat, quin homo justus possit satisfacere pro pœna temporali: nam teste Trident: sess: 14. c. 16. *Nihil deest justificato, quo minùs plenè illis operibus, quæ in Deo facta sunt, divinæ legi pro hujus vitæ statu satisfecisse videatur:* sed lex divina ordinat, ut satisfaciat pro pœna temporali, in quam cõmutatur æterna: ergo potest pro hoc statu satisfacere plenè & consequenter de condigno pro pœna temporali.

Opera satisfactoria sunt, ut sunt pœnalia.

ASSERTIO XI. Opera nostra propriè loquendo satisfactoria sunt, quatenus aliquomodo sunt pœnalia.

Prob: Tum ex communi modo loquendi sacræ Script: ac SS. Patrum, qui ubicunque

ex-

exhortantur homines ad satisfaciendum pro peccatis, opera pœnalia proponunt, Joëlis 2. *In jejunio, fletu, &c.* Matth: 11. *In cinere & cilicio pœnitentiam, &c.* Tum etiam, quia satisfactio est actus justitiæ, quo pœnitens vendicat, & punit in se divinam injuriam; sed vindicta propriè fit per pœnam: ergo & satisfactio debet esse pœnalis. Tum præterea, quia satisfactio etiam ordinata est ad correctionem hominis, ut illum â peccando contineat: sed hoc optimè & accommodatissimè fit per pœnam: ergo.

Distinctio meriti à satisfactione.

Confirm: Non ab eodem principio opus habet, quòd sit satisfactorium, à quo habet quod sit meritorium; meritorium enim esse per se convenit operi, quatenus est laudabile, & bonum (meritum enim non respicit Deum ut offensus est, sed potiùs ut debitor est præmij intuitu bonorū operum promissi; satisfactio verò respicit personam offensam, & fit semper per modum vindictæ, ad persolvendam pœnam debitam) sine ullo respectu ad offensam, satisfactorium autem esse convenit ei, ut respicit personam offensam: ergo ut sit satisfactorium, debet fieri per actum, ut pœnalis est.

Arbitraria obligatio Confessarij.

ASSERTIO XII. Tenetur Confessarius satisfactionem imponere pœnitenti: nulla est tamen certa satisfactionis mensura lege Ecclesiasticâ taxata, quam imponere teneatur: unde consideratâ peccatorum gravitate, ac pœnitentis dispositione, arbitrio illi utendum est.

Probatur 1. pars. Tum ex Trident: sess: 14. c. 8.

c. 8. ubi expreſſè docetur. Tum etiam, quia Confeſſarius ut medicus, tenetur curare vulnera pœnitentis, & ut Judex æquitatem ſervare; ergo ſicuti debet abſolvere hominem diſpoſitum, ita etiam curare debet, ut homo ſatisfaciat Deo.

Prob: 2. pars. Tum ex Concilio Nicœno, c. 12. Tum ex c. *Menſuram.* de pœnit: d. 1. & ex multis alijs, quæ referuntur, 26. q. 7. quibus in locis dicitur hoc pendere ex arbitrio Sacerdotis. Tum etiam, quia ſatisfactio hæc maximè ordinatur in bonum & curationem pœnitentis; ſed diſpoſitio pœnitentis frequenter eſt varia, & conſequenter nec eadem quantitas, nec idem modus pœnitentiæ poteſt omnibus expedire: ergo arbitrio Judicis hoc eſt relinquendum.

Confirm: hoc totum ex Trident: jam citato, c. 8. *Debent ergo Sacerdotes Domini* (inquit Trident:) *quantum ſpiritus & prudentia ſuggerit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, ſalutares ac convenientes ſatisfactiones injungere, ne ſi fortè peccatis conniveant, & indulgentias cum peccatoribus agunt, leviſſima quædam opera pro graviſſimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes fiant:* ergo conſideratâ gravitate peccatorum, & diſpoſitione pœnitentis, Confeſſarius imponere debet pœnitentias.

Qualitas perſonæ conſiderãda eſt.

Hinc infertur, cùm pœnitentia injungenda eſt, conſideratâ perſonæ diſpoſitione, quod imprudenter imponeretur pro pœnitentia pauperi eleemoſyna, aut nimis ſeni, & infirmo, aut etiam ijs, qui labore manuum ſuarũ

quo-

quotidie se sustentant, abstinentia. Lege Navarrum c. 26. & Dianam p. 5. T. 11. Rz. 31. ubi dicit, quòd pro nunc, pro uno peccato mortali, injungere Coronam B. Virginis, esset gravis pœnitentia.

Pœnitens, in probabiliori sententia, tenetur acceptare pœnitentiam.

ASSERTIO XIII. Quamvis probabile est, quòd non teneatur pœnitens acceptare pœnitentiam injunctam à Sacerdote, in ordine ad satisfaciendum pro pœna temporali, in quam commutatur æterna; probabilior tamen, & in praxi securior est sententia opposita, quæ nimirum docet, quòd pœnitens teneatur satisfactionem rationabilem sibi impositam acceptare, & acceptatam adimplere.

Probatur 1. pars, authoritate tot doctissimorum virorũ nostræ scholæ, qui post Doct: in 4. d. 19. q. 1. n. 17. quibus adde Gabrielem Med: Navar: & Silvesi: unanimiter eam tenent; ergo probabilis est illa sententia. Jam

Proba: 2. pars. Illa sententia probabilior dici debet, & in praxi tutior, quæ præter authoritatem tot Doctorum eam tenentiũ, conformior est Conciliorum, ac Sanctorum Patrum decisionibus, & dictis; sed sententia docens, quòd pœnitens teneatur acceptare injunctam sibi pœnitentiam, eámq; adimplere etiam sub reatu peccati mortalis subinde, præter authoritatem Thomistarum, ac Neutristarum ferè omnium, conformior est consiliorum, ac Patrum dictis: ergo est probabilior. Prob: min: tum ex C. *Omnis utriusq;*, ubi eodem modo præcipitur fidelibus ut confiteantur, ac ut pœnitentiam impleant; tum

etiam

etiam ex Trident: ad literam affert: 3. citato; & infrà in eodem c. ubi dicitur, *esse in Sacerdotibus potestatem ligandi, non tantùm ad infirmitatis medicamentum, sed etiam ad peccati commissi vindictam*; & in hoc sensu definit Can: 25. ejusdem sess: datam esse Sacerdotibus potestatem, non solùm absolvendi, sed etiam ligandi; sed non esset verum, quod possent ligare, si pœnitens licitè posset injunctam pœnitentiam non acceptare: ergo debet illam acceptare.

Confirm: hoc authoritate Leonis Papæ Epist: 91. & habetur in C. *Multiplex*, de pœnit: & in Concilio Salecustadiensi c. 18. in tom: 3. Conciliorum. *Multi*, inquit, *tantâ falluntur stultitiâ, ut capitali crimine culpati, pœnitentiam à suis Sacerdotibus acceptare nollent.* ergo sententia docens, quòd teneantur illam acceptare, Patribus & Concilijs est conformior.

Favit nobis Scotus. *Confirm: 2.* secundùm Doct: jam citatum, d. 19. Si pœnitens acceptet pœnitentiam injunctam, obligatur præcepto Ecclesiæ ad illã implendam; sed nullum Eeclesiæ præceptum possunt Scotistæ ostendere, quo sic obligaretur, præter aliquod, quo obligatur ad pœnitentiam injunctam suscipiendam: ergo ex doctrina Scoti, rationabiliter infertur, quòd teneatur ad illam suscipiendam.

Probatio à ratione. *Prob: 2. à ratione.* Confessarius tenetur satisfactionem imponere: ergo pœnitens tenetur illam acceptare. Prob: consequentia, tum quia aliàs valde inefficax esset potestas vindicativa Sacerdotis. Tum etiam, quia unusquisq; tenetur parere judici rectè judicanti,

ti, sed imponendo pœnitentiam rectè judicat: ergo.

Quòd verò hæc sententia sit in praxi securior; probatur, tum quia Scotistæ, æquè ac Neutristæ reprehendunt eos, qui pœnitentiã injunctam non adimplent. Tum etiam, quia si opposita sententia practicaretur, in vanum laboraret Sacerdos imponendo pœnitentiam, (præsertim si Cajetani sententia, quæ docet pœnitentē non obligari ad implendam pœnitentiam, etiam acceptatam, quia, inquit, acceptatio illa non est votum aut promissio, sed tantùm simplex propositum, vera esset) quia sic pauci curarent de satisfactione sic imposita. *In praxi tutior.* *Sententia Cajetani.*

Objic: Nec justitia, nec virtus ulla, aut præceptum, obligat pœnitentem ad acceptandam sibi injunctam pœnitentiam: ergo non tenetur illam acceptare. *Confirm:* quia etiamsi non satisfaceret pro hac vita ullo modo, adhuc tamen satisfaceret in altera, nempe in Purgatorio, ergo recusando pœnitentiam potest licitè remittere se pro satisfactione facienda, ad alteram vitam. ℞. negando antecedens, cujus falsitas patet ex probationibus conclusionis. Ad confirmationem ℞. similiter negando antecedens, nam non acceptando pœnitentiam (si confessio esset in materia mortali, & pœnitentia proportionata delicto) peccaret mortaliter, pro quo peccato, in altera vita satisfacere non potest.

Dixi in conclusione: *Satisfactionem rationabilem*, nam absq; peccato potest pœnitens non acceptare pœnitentiam graviorē, quàm pro *Potest nō acceptare pœnitētiā excessivam*

pro tali delicto ab alijs Confessarijs prudentioribus imponi scit & solet, nam non tenetur, nisi ad pœnitentiam necessariam; sed pœnitens potest rationabiliter existimare, quòd illa gravior non sit necessaria, quandoquidem scit alios prudentes & doctos leviores imponere pro talibus peccatis, in ijsdem circumstantijs: ergo.

Statꝰ peccati mortalis non impedit.

ASSERTIO XIV. Status peccati mortalis non impedit, quin licitè quis persolvere possit pœnitentiam sibi injunctam.

Probatur, tum quia Confessarius præcipit tantùm opus, v. g. jejunium, & non modum ejus, sed in peccato mortali constitutus, potest aliquis jejunare: ergò & persolvere sufficienter pœnitentiam sibi injunctam. Tum etiam, quia si quis deberet alicui 10. florenos, satisfaceret illi, quamvis in statu esset peccati mortalis, aut etiam ex fine vanæ gloriæ debitam illam summam restitueret: ergo etiam satisfaceret obligationi jejunandi, v. g. quãvis in statu esset peccati mortalis, aut ex fine vanæ gloriæ jejunaret.

Obijc: Non potest aliquis satisfacere, sine eo, quòd satisfactio habeat suum effectum; sed constituti in peccato mortali satisfactio, non haberet suum effectum: ergo non esset satisfactio. ℞. distinguendo maj: effectum omnem, nego maj: aliquem suum effectum, concedo maj: & distinctâ similiter min: nego consequentiam. Satisfactio enim illa, quamvis annexam non haberet remissionem pœnæ (ideo fortè, quia Deus illam acceptare non vellet, tolleret tamen debitum quod pœ-

nitens

nitens habuit, implendi sibi injunctam pœnitentiam, quæ ablatio debiti effectus est satisfactionis.

ASSERTIO XV. Potest pœnitens implere per alium satisfactionem sibi impositã, accedente Confessarij consensu, non verò contradicente Confessario. *Potest unus pro alio satisfacere.*

Probatur. Satisfactio illa fieret ex motione illius pœnitentis; ergo potest sic dici aliquomodo actus pœnitentis; sed ideò Ledesma negat unum posse in hoc foro satisfacere pro alio, quia satisfactio sacramentalis debet esse actus ipsius pœnitentis; ergo potest sic satisfacere.

Probatur 2. pars. Obligatio satisfaciendi oritur ex præcepto: ergo si Confessor præcipit, ut pœnitens per se v. g. jejunet, non implebit præceptum, quamvis alius ipsius nomine jejunet.

ASSERTIO XVI. Pœnitentia imposita ab uno Confessario, potest in foro Sacramentali, ab alio etiam æquali, non solùm mutari in aliam æqualem, sed etiam in mitiorem; imò si ita prudenter judicaverit, ad bonum animæ pœnitentis expedire, potest alius omnino illam tollere, & vel levissimam, vel nullam imponere. *Pœnitentia imposita ab uno mitigari, & mutari ab alio potest.*

Probatur. Non obstante sententiâ à priori Confessario latâ, adhuc pœnitens potest eandem causam in judicium afferre, denuò confitendo, & sic novam sententiam postulare potest; ergo etiam Confessarius poterit juxta suum arbitrium pœnitentiam imponere, prout ipsi in Domino meliùs visum fuerit: ergo poterit etiam priorem sententiam mu-

tare in posteriorem, aliàs obligaretur pœnitens ad publicam satisfactionem condignam, de eodem peccato faciendam, quod nemo dicet, quia sicut Deus non punit bis id ipsum, ita nec petit duplicem satisfactionem condignam pro eodem peccato.

Dices, per hoc fieret injuria priori Confessario, qui justam sententiam tulit, & condignam satisfactionem imposuit: ergo non potest revocari licitè ipsius sententia ab alio. ℞. negando antecedens, nam cùm hoc judicium sit reiterabile in favorem pœnitentis, non per modum appellationis, sed potiùs per modum novi Judicij æqualis præcedenti, posterior Judex nullam facit injuriam priori, commutando pœnitentiam ab eo injunctam, in mitiorem, vel etiam in nullam.

EPYSTILIUM PROBLEMATICUM COLUMNÆ XLI.

An inferior Sacerdos quâ talis, possit pœnitentiam à superiore Confessario injunctam pro reservatis, commutare?

CO-



COLVMNA XLII.

De Extrema Vnctione.

ASSERTIO I. Dari Sacramentum extremæ unctionis in nova Lege à Christo Domino institutum est de fide. *Prob:* Tum ex dictis Colum: 31. de Sacramentis in genere, tum ex Trident: sess: 14. c. 1. de extrema unctione. Tum etiam ex Script: Jacobi 5. *Infirmatur quis in vobis? Inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum, in Nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, & allevIabit eum Dominus, &c. si in peccatis est, dimittentur ei.* Quem locum SS. Patres, quos fusè citat Svarez hic, & Coccius, intelligunt de Sacramento extremæ Unctionis, unde Aug: serm: 215. de tempore, *quoties*, inquit, *aliqua infirmitas supervenerit, Corpus & sanguinem Christi, ille qui ægrotat, accipiat, ac deinde corpusculum suum ungat, ut illud, quod scriptum est, impleatur in eo. Infirmatur aliquis? Inducat Presbyteros, & orent super eum, ungentes eum oleo.* Idem docet lib: de rectitudine Catholicæ conversationis aliquãtulum à principio. Tum deniq; Marci 6. ubi habetur, quòd Apostoli ungebant infirmos oleo, & sic sanabant eos: ergo ex Scriptura sufficienter colligitur institutio hujus Sacramenti. Quod verò unctio illa infirmi sit Sacramentum, probatur, est signum sensibile remis-

Datur Sacramentũ extremæ unctionis.

Probatur ex Scriptura.

remissivum peccati, & collativum gratiæ ex opere operato. ergo est Sacramentum.

Objic: Non constat de certo tempore, quo hoc Sacramentum fuit institutum; ergo est Papistica tantùm inventio. *Confirm:* glossa in extravaganti *de secundis nuptijs*, negat extremam unctionem esse Sacramentum: ergo non est. ℞. negando consequentiam, nam multa alia esse à Christo facta & instituta, credimus, quamvis de determinato tempore institutionis nobis non constat: ergò quamvis non constaret de certo tempore, quo hoc Sacramentum fuit institutum, adhuc teneremur credere ejus institutionem.

Ad Confirmationem ℞. negando consequentiam, quia glossator ibi erravit, unde jussu Greg: 13. glossa illa in nova editione juris Canonici correcta est: vel si mitiùs loqui vis, dic glossatorem tantùm voluisse, quòd non sit Sacramentum imprimens characterem.

Quid sit extrema unctio. ASSERTIO II. Sacramentum hoc bene describitur, quòd sit signum sensibile unctionis olei, mediante hac verbali formâ: *Per istam sanctam unctionem, &c.* ex institutione divina efficaciter significans curationẽ finalem venialium. Hæc re ipsâ est Doct: in 4. d. 23. q. unicâ. *Prob:* quia nec superflua est, nec manca. ergo.

Materia & forma. ASSERTIO III. Materia proxima hujus Sacramenti est unctio; remota verò oleum olivarum ab Episcopo benedictũ, vel ab alio ex ejus commissione. Forma autem est hæc vel æquivalens: *Per istam sanctam Vnctionem, & suam pijssimam misericordiam, indul-*

dulgeat tibi Dominus quidquid peccâsti per visum, &c.

Probatur 1. pars & simul 2. Quia non potest materia hujus Sacramenti applicari, nisi per unctionem. ergo unctio est ejus materia proxima. Deinde perpetua Ecclesiæ traditio est, quòd oleum illud debeat esse olivarum: ergo hoc est sentiendum. Quòd verò debeat de necessitate Sacramenti ab Episcopo esse benedictum: probatur ex Florent: in instructione Armenorum, & Trident: jam suprà citato; nec non authorit: Innoc: 1. in Epist: ad Decant: c. 8. ubi dicit: *ægros inungendos esse oleo ab Episcopo confecto*, seu benedicto, ut loquuntur jam citata Concilia: ergo.

Dixi, *vel ab alio ex ejus*, &c. quia in Ecclesia græca consuetudo docet oleum infirmorũ ab ipsis Sacerdotibus benedici posse; quam consuetudinem Clemens VIII. in sua instructione ad Episcopos Latinos circa ritus Græcorum, videtur approbare.

Probatur etiam 2. pars de forma, authoritate jam citatorum Conciliorum, ac inveteratâ consuetudine Ecclesiæ Romanæ: ergo.

Dixi *vel æquivalens*, quia talis sufficeret, sicut tempore D. Ambrosij in Ecclesia Mediolanensi hæc sufficiebat: *Ungo te oleo sanctificato, in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs sancti, ut more militis præparatus ad certamen, aëreas possis superare potestates.* Et idem dic de alijs formis usitatis in alijs Ecclesijs, & non reprobatis à Romana: ergo non solùm forma Romana, sed etiam æquivalens, sufficit pro forma hujus Sacramenti. *Sufficit æquivalens.*

Sufficit quandoq; unius partis unctio.

ASSERTIO IV. Necessitate Sacramenti necessarium non est, inungere omnes partes corporis, quæ ex ritu Ecclesiæ Romanæ, communiter inungi solent; sed sufficit unam partem inungere, faciendo in forma mentionem quinq; sensuum, hoc modo: *Per istam, &c. Quidquid deliquisti per visum, auditum, gustum, odoratum, & tactum.*

Probatur. Tum authoritate tot Doct: eam tenentium, ut videre est apud Dianam 3. p. T. 4. R. 168. & p. 8. Tracta: 1. R. 21. Tum etiam, quia sicut in Sacramento pœnitentiæ, integritas Confessionis, quæ aliàs necessaria est urgente necessitate, omitti potest; ita etiam videtur rationabile, quòd urgente peste, morbo contagioso, aut alio urgente periculo, licitè posset hoc Sacramentum, unâ vel alterâ tantùm unctione perfici.

Minister solus Sacerdos.

ASSERTIO V. Minister hujus Sacramenti ex ordinatione Christi necessarius, est solus Sacerdos. Hæc est de fide definita in Trident: sess: 14. c. 4.

Probatur ex D. Jacobo jam supra citato, ubi de solis Sacerdotibus Ecclesia facit mentionem: ergo.

Minister ordinarius.

ASSERTIO VI. Minister Ordinarius est solus Parochus, seu Pastor infirmi, sine cujus licentia, extra necessitatis extremæ periculum, peccaret Clericus sæcularis, conferens hoc Sacramentum, & Religiosus incurreret excommunicationem Papalem: in necessitate verò, ut si Parochus absit, vel Sacramentum administrare nollet, licitè etiam à regulari Sacerdote administrari potest.

Prob: 1. pars. Tum ex Clement: 1. de privilegijs; ubi prohibetur Religiosis sub excommunicationis pœna, ne administrent hoc Sacramentum infirmis sæcularibus in quos non habent jurisdictionem: tum etiam, quia solus Parochus seu Pastor proprius, habet jurisdictionem in gregem sibi commissum: ergo peccaret alius, qui ipso non consentiente, & per se non volente conferre Sacramentum, illud administraret. Secunda pars non indiget probatione.

Plures Sacerdotes simul administrare posſũt hoc Sacramentum.

Quæres 1. Utrum plures Sacerdotes possunt simul administrare hoc Sacramentum, ita ut unus ungat unum sensum, proferendo formam debitam, & alter similiter sensum alterum? ℞. affirmativè, quia forma ab uno quoq; prolata in applicatione materiæ debitæ, in proprio sensu vera est. ergo.

Tenetur Parochus hoc Sacramentum petenti administrare.

Quæres 2. An sub mortali peccato, proprius Pastor administrare tenetur hoc Sacramentum, per se, vel alium, infirmo illud petenti? ℞. cum communi, secluso vitæ, aut morbi contagiosi periculo, affirmative: & ratio est, quia non solùm ex charitate, sed etiã ex justitia tenetur reddere alteri petenti illud, in quod habet jus; sed seclusis jam dictis periculis, infirmus habet jus petendi à Parocho extremam unctionem. ergo.

Aliquãdo Parochus non obligatur administrare.

Dixi, secluso vitæ, &c. quia existimo Parochum in illis circumstantijs legitimè esse excusatum, nam non tenetur vitam corporalem evidenti periculo exponere pro subdito, nisi ille extremè indigeat ad consecutionem vitæ æternæ, ut se sic exponat; vel saltem nisi in gravi periculo amissionis vitæ æternæ verse-

versetur, sed per carentiam extremæ unctionis, quæ non est medium necessarium ad salutem, non constituitur subditus in ullo tali periculo. ergo.

Quodnam sit subjectũ capax hujus Sacramenti.

ASSERTIO VII. Solus viator, adultæ ætatis, & renatus, rationis compos, vel qui aliquando usum rationis habuit, & in vitæ periculo, gravi morbo, constitutus, capax est hujus Sacramenti.

Prima pars patet ex suprà dictis de Sacramentis in genere, ubi ostendi Sacramenta omnia pro solis viatoribus esse instituta.

Patet etiam 2. pars contra Majorem q. 2. tum ex praxi Ecclesiæ, ac communi Theologorum consensu, dicentiũ infantes non esse capaces hujus Sacramenti, quod est consummativum pœnitentiæ; tum etiam secundùm Trident: sess: 14. in principio de hoc Sacramento, in subjecto capaci hujus Sacramenti, debet esse vita Christiana inchoata, per perpetuam pœnitentiam; sed soli illi, qui adultæ sunt ætatis, rationabilem hunc pœnitentiæ actum elicere possunt: ergo. Tum denique, quia hoc Sacramentum institutum est propter luctam, & gravissimas tentationes in articulo mortis superandas; sed infantes in illo articulo nullo indigent remedio ad superandas tentationes, quarum sunt incapaces; ergo non sunt etiam capaces hujus Sacramenti.

Probatur etiam 3. pars, ex supradictis de baptismate, ubi dixi, quòd baptismus sit janua Sacramentorum, & consequenter quòd

soli

soli baptizati seu renati, capaces sunt aliorum Sacramentorum. ergo & hujus.

Probatur 4. pars ex Trident: jam citato, nam nullus nisi rationis compos, & qui aliquando peccare actualiter potuit, vitã Christianam inchoare valet, modo jam suprà dicto: ergo nullus nisi rationis compos, capax est hujus Sacramenti.

Dixi, vel qui aliquando, &c. quia amentes, & furiosi à nativitate, pari passu cum infantibus transeunt ex hac vita. At si aliquando usum rationis in tantum habuerunt, quòd fuerint capaces peccati actualis, tentationis, resistentiæ, & fiduciæ in Deum, Sacramenti hujus capaces sunt, quia per accidens est, quòd hic & nunc sint impediti, ne hos actus exercere valeant. *Amentes & furiosi.*

Probatur 5. pars. Tum ex verbis D. Jacobi, *infirmatur quis in vobis, &c.* ex quibus habetur, quòd soli infirmi ungi debeant. Tum ex Florent: sæpè citato, ubi dicit: *hoc Sacramentum nisi infirmis dari non debere.* Idem docet etiam Trident: sess: 14. c. 3. *ubi declarat, hanc unctionem infirmis exhibendam: illis verò præsertim, qui tam periculosè decumbunt, ut in exitu vitæ constituti videantur: unde & Sacramentum exeuntium appellatur: ergo.*

ASSERTIO VIII. Seclusó contemptu & scandalo, non peccat mortaliter, qui negligit susceptionem hujus Sacramenti. *Nõ est peccatum non recipere hoc Sacramentum.*

Probatur. Seclusis illis, nullum est præceptum affirmativum de suscipiendo hoc Sacramento, etiam in extremo vitæ discrimine: ergo negligere illud non est peccatum mortale.

tale. Probatur antecedens, tum quia hoc Sacramentum non est medium necessarium, sed tantùm utile ad salutem: ergo ex natura rei, seu ex vi suæ institutionis, non affert secum præceptum. Tum etiam, quia D. Jacobus in promulgatione hujus Sacramenti, nullius præcepti facit mentionem, sed simpliciter dicit, *infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros*. Tum deniq;, quia Trident: loco jam citato, agens de hoc Sacramento, tantùm dicit, illud *non posse à Christianis sine peccato contemni*, ex quo loco evidenter infertur, secluso scandalo, & contemptu, illum non peccare, qui hoc Sacramentum non suscipit.

Confirmatur. Ecclesia cum tempore interdicti, permittat fidelibus ministrare ea Sacramenta quæ sunt necessaria, hoc Sacramentum minimè ministrare permittit, ut patet ex c. *Quod in te.* de pœnit: Sed hoc non esset verum, si hoc Sacramentum esset sub præcepto: ergo non est. Subsumô, sed secluso scandalo, contemptu, aut aliâ circumstantiâ malâ, omittendo illud, quod sub nullo præcepto est, nemo peccat: ergo nec omittendo hoc Sacramentum.

Obijc: pro Pontio, omittere remedium, maximè utile ad salutem animæ, & etiam corporis, non potest quis sine peccato mortali; sed in gravi infirmitate constituto, Sacramentum hoc ad utrumq; effectum, est valde utile: ergo sine peccato omitti non potest. ℞. negando maj: absolutè, cujus falsitas mille exemplis ostendi potest, nam non peccat Franciscanus, non jejunando, aut meditando, ultra

Reijcitur Pontius.

tra

tra præscriptum suæ Regulæ & Statutorum; & tamen ad salutem animæ, diutiùs meditari, & frequentiùs jejunare, esset ipsi valdè utile. Deinde Carmelitanis, & Augustinianis, qui nos imitando, nudis pedibus incedunt, valde utile esset ad sanitatem corporalem, portare calceamenta, & nullo (quod sciam) voto, obligantur ad non sic incedendum; & tamen non peccant illam utilitatem omittendo. ergo.


ASSERTIO IX. Proprius effectus Sacramentalis extremæ unctionis est, remittere venialia, alleviare infirmum, & si ita expediat, recuperare sanitatem. *Effectus extremæ Unctionis.*

Probatur Conclusio; hoc Sacramentum est institutum ad illos effectus conferendos; ut patet ex verbis D. Jacobi: ergo jam numerati veri sunt effectus proprij hujus Sacramenti. Dixi *proprius*, quia conferre augmentum gratiæ habitualis, convenit huic Sacramento respective, sicut & alijs.

EPISTYLIUM PROBLEMATICUM COLUMNÆ XLII.

An extrema unctio causet suos effectus finitâ unâ unctione, an verò finitis omnibus?

CO-



COLVMNA XLIII.

De Ordine.

Definitio Sacramẽti Ordinis.

ASSERTIO I. Sacramentum Ordinis, seu ordinatio bene deſcribitur ſignum ſenſibile, quo traditur poteſtas Viatori ad aliquas functiones, circa Euchariſtiam ſubeundas.

Probatur. Quia conſtat genere & differentiâ, omniq; & ſoli convenit. Ly *ſignum ſenſibile* eſt genus, in quo Ordinis Sacramentum convenit cum alijs Sacramentis; reliquæ particulæ ſunt differentia. Quod verò omni Ordini conveniat, patet, quia nullus eſt Ordo, ex ſeptem cõmuniter aſſignatis, quibus ſi placet adde Epiſcopatum, cui non convenit, proximè vel remotè, poteſtas ad aliquam functionem circa Euchariſtiam exercendam, ut patebit ex dicendis. ergo.

Numerus quis ſit Ordinum.

ASSERTIO II. Ordines in univerſum ſunt octo: Oſtiariatus ſcilicet, Lectoratus, Exorciſtatus, Acolythatus, Subdiaconatus, Diaconatus, Presbyteratus, & Epiſcopatus.

Probatur. Tum quia definitio à nobis aſſignata, convenit omnibus in particulari Ordinibus jam numeratis: ergo omnes participant rationem Ordinis ſacramentalis. Tum etiam, quia Concilium Carthaginenſe quartum, vocat Ordinationem Clericorum minorum, quæ fit per collationem quatuor Ordi-

num

num minorum, Ordinationem, non secus ac consecrationem Episcopi, Presbyteri, Diaconi ac Subdiaconi, sed certum est ex illo Concilio, sicut etiam ex Florent: in instructione Armenorum, ac Trident: sess: 23. quòd quinq; illi jam nominati sint veri Ordines. ergo & quatuor minores. Tum deniq; ex cõmuni consensu Doct: docentium dari septem Ordines, quatuor nimirum minores, qui non habent annexum castitatis votum, & tres majores, Subdiaconatus scilicet, Diaconatus, & Presbyteratus, qui & majores dicuntur, & sacri, quia & ánnexum habent castitatis votum: & immediatiùs potestatem tribuunt circa Eucharistiæ consecrationem, & administrationem, quàm minores. *Cur majores sacri dicantur?*

Quòd verò Episcopatus sit verus Ordo, de quo multi dubitant, probatur, rectè colligimus Presbyteratum verum esse ordinē, quia per illum datur potestas Presbytero consecrandi corpus Christi, qualem nullus nisi Sacerdos habet; sed per Episcopatum datur potestas Episcopo conferendi ordines omnes sacros, confirmandi, & ordinariè consecrandi chrysma, qualem nullus, nisi Pontifex habet: ergo Episcopatus est propriè loquendo Ordo. Confirmatur Episcopatus teste Trid: sess: 23. c. 4. & Can: 6. est Sacerdotio major, quia Episcopi successerunt Apostolis, quoad dignitatem & potestatem ordinandi, & confirmandi; sicut & Presbyteri, septuaginta duobus Discipulis, qui in dignitate inferiores erant Apostolis, ut evidenter colligitur ex assumptione Matthiæ ex officio discipuli, ad Apostolarem seu Episcopalem dignitatem. Deinde *Episcopatus est verus ordo.* *72. Discipuli non erant Episcopi.*

inde ut docet ibidem Concilium c. 4. præter cæteros Ecclesiasticos gradus, ad Ecclesiasticum Hierarchicum Ordinem, præcipuè pertinet Episcopatus; sed hoc esset inconveniens, nisi Episcopatus esset verus Ordo. ergo.

Objic: Si Episcopatus esset Ordo, darentur octo Ordines, sed hoc non admittunt Concilia, præsertim Romanum, sub S. Silvestro c. 7. & Carthaginense 4. cui interfuit S. Augustinus c. 2. Nec non Florentinum in instructione Armenorum. ergo.

Confirm: S. Hieronymus tom: 6. in commentarijs ad verba Apostoli Titi 1. Episcopũ & Presbyterum docet esse pares; ergo Episcopatus non est Ordo distinctus à Presbyterato. ℞. concedendo maj: & negando min: quia nullibi Concilia positivè dicunt Episcopatum non esse Ordinem; unde illius mentionem in locis jam citatis ideo non fecerunt, quia non est Ordo requisitus ad Sacerdotium, de cujus requisitis agebant ibi Concilia. Ad Confirmationem Vasquetz post nostrum Medinam respondet, Hieronymum fuisse in illa sententia, sed cum in varijs locis, ut in Epist: 54. ad Marcell: & 1. ad Heliod: nec non in c. 2. Michææ agnoscere videatur, Presbyteratum & Episcopatũ, ut distinctos Ordines. Respondet Pontius cum modernis multis, sanctum Doctorem tantùm velle, quòd antequam schisma illud fuisset in Ecclesia, quo unus dicebat se esse Pauli, alter Apollinis, & tertius Cephæ, quantum ad gubernium Ecclesiæ, & decidendas quascunq; controversias, pares Episcopis, erant Presbyteri; licet in ratione ordinis essent diversi.

Respondetur Concilijs, & Divo Hieronymo.

Hæc

Hæc quidem explicatio mihi videtur admodum dura, quia certum est, quod tempore illius schismatis, Petrus & Paulus præeminentiam habuerint super alios, etiam Apostolos, tam in decidendis quibuscunq; controversijs, quàm etiam in gubernio Ecclesiæ, ut colligitur ex actibus & Concilijs Apostolorum; unde existimo Hieronymum ibi humano more erràsse, sicut & frequenter erravit Augustinus, ut patet ex Libr: retractationum.

ASSERTIO III. Nec prima tonsura, nec Cantoratus, propriè loquendo, Ordines sunt. *Prob*: de prima tonsura (de Cantoratu fatentur omnes) tum quia definitio ordinis illi non convenit, nam nullum habet speciale munus in Ecclesiastica Hierarchia: ergo. Tum etiam, quia Trident: sess: 23. c.2. videtur positivè excludere illam à ratione Ordinis, dum ait, quòd qui jam Clericali tonsurâ insigniti essent, congruum fuit, ut per minores ad majores ascenderent Ordines. *Prima tõsura non est Ordo.*

Deinde, nominando ibidem Ordines minores, seu non sacros, & etiam majores, primæ tonsuræ memoriam non facit: ergo signum est, quòd non sit Ordo. Tum deniq;, quia Catechismus Romanus, Authoritate Pij V. editus, dicit Parochum debere docere populum, quòd prima tonsura sit præparatio quædam ad suscipiendos Ordines, sicut exorcismus ad Baptismum, & sponsalia ad matrimonium: ergo non est Ordo.

ASSERTIO IV. Octo jam dicti Ordines, vera sunt partialia Sacramenta, con- *8. Ordines sunt par-*

tenta

tialia Sacramenta. tenta sub ordine ut sic. *Prob:* Sunt octo signa sensibilia distincta, constantia materiâ & formâ, & conferentia diversas potestates in Hierarchia Ecclesiastica: ergo sunt diversa Sacramenta partialia, & consequenter Sacramentum Ordinis, est tantùm unum per aggregationem. Probatur antecedens, assignando materias & formas omnium in particulari.

Materiæ & formæ Ordinum. Sacramenti ergo quo confertur Ostiariatus, materia est traditio clavium, & forma (sicut & in alijs omnibus ordinibus) sunt verba illa, quibus utitur consecrans, quando ordinando claves porrigit. Materia Lectoratûs est porrectio libri Lectionum (loquor semper de materia proxima.) Exorcistæ, porrectio libri Exorcismorum. Acolythatûs, porrectio ampullarum vacuarum vel saltem unius, & candelabri, cum cereo extincto. Subdiaconatûs, traditio calicis vacui cum patena superposita, ac libri Epistolarum. Diaconatûs, impositio manuum, vel manus, & traditio libri Evangeliorum. Presbyteratûs, est traditio calicis cum vino, ac patenæ cum pane. Materia deniq; Episcopatûs est impositio manuum trium Episcoporum, seu unius saltem, & duorum Abbatum, ac unctio manuum, traditio baculi pastoralis, annuli ac libri Evangeliorum; & forma sunt verba in Pontificali Romano assignata, quæ proferuntur in applicatione materiæ proximæ, ab Episcopo consecratæ. Hæc omnia patent ex Concilio Carthaginensi 4. ac praxi Ecclesiæ Romanæ, notata in Pontificali, ac Catechismo Romano.

Qua-

Quæres 1. Quodnam ſit munus Ordinis cujuslibet ex jam octo dictis? ℞. Oſtiarij eſſe claudere Eccleſiam. Lectoris, Prophetias & lectiones legere. Exorciſtæ, immundos ſpiritus per exorciſmum expellere. Acolythi præparare lumen, vinum & aquã ad Miſſam. Subdiaconi, præparare calicem pro Miſſa celebranda, & legere Epiſtolam. Diaconi, catechizare, cantare Evangelium, & de licentia Parochi baptizare, prædicare, & in neceſſitate Euchariſtiam adminiſtrare. Presbyteratûs Euchariſtiam conſecrare, & pœnitentiæ Sacramentum adminiſtrare. Epiſcopatûs deniq; ſacros Ordines conferre, Criſma benedicere, vel conſecrare, Eccleſias & altaria benedicere. *Munꝰ cujusvis Ordinis.*

Quæres 2. Utrum materia & forma cujuslibet Ordinis in particulari, determinatæ ſint à Chriſto Domino? ℞. negativè, nam Chriſtus tantùm ordinavit, ut conferantur ordines per materiam & formam convenientem, nihil in ſpecie determinando, de materia hac, vel illa in particulari. Quod inde evidenter colligitur, tum quia Græci veros habent Sacerdotes, ac legitimum conſecrandi modum, & tamen ordinantur ſine porrectione inſtrumentorum, de quibus jam egimus: ergo porrectio illa non fuit determinatè à Chriſto Domino aſſignata, pro materia hujus Sacramenti. Tum etiam, quia tempore Chriſti, & Apoſtolorum, non extabant inſtrumenta illa omnia, quæ de facto aſſignantur, pro materia Ordinum; tunc enim nec Evangeliorũ, nec Epiſtolarum liber extabat: ergo mate- *Materia Forma cujuslibet ordinis, an ſit determinata à Christo.*

riæ illæ in ſpecie, non à Chriſto, ſed ex ejus authoritate, ab Eccleſia determinatæ ſunt.

Miniſter ordinariꝰ hujus Sacramenti.

ASSERTIO V. Ordinarius hujus Sacramenti miniſter, quamvis Epiſcopus ſit, Pontificiâ tamen diſpenſatione, quatuor minores, Subdiaconatus, & Diaconatus, à ſimplici ſacerdote conferri poſſunt.

1. Pars eſt definita de fide in Florent: in Decreto Eugenij. & Trid: seſſ: 23. ca: 4. & 7. Hujus ratio alia non eſt, quàm quod Chriſtus ſic inſtituit, ut conſtat, tum ex perpetua & conſtanti praxi Eccleſiæ, tum etiam ex teſtimonio tot ſanctorum Patrum, maximè Euſebij lib: 6. ubi dicit: Novatianum Hæreticum diu laboràſſe, ut ab aliquo Epiſcopo in Sacerdotem ordinaretur, quod non feciſſet, niſi ſciret praxim Eccleſiæ fuiſſe, non niſi per ſolos Epiſcopos Ordines conferri. Poteſt congruentia hujus inſtituiionis ſumi ab authoritate Politica, nam ſicut in politicis ad ſæcularem Principem ſpectat diſtributio dignitatū Reipublicæ, ſic in Republica Eccleſiaſtica, congruenter à Chriſto inſtitutum eſt, ut ſoli Epiſcopi, qui Principes illius ſunt, dignitates, & miniſteria diſtribuant.

Abbates etiam conferunt Ordines.

Probatur jam 2. pars. Tum ex Trid: ſeſſ: 23. c. 10. de reformatione, ubi ſupponit, Abbates regulares poſſe conferre quatuor minores, ut in praxi, non ſolùm Abbates, ſed etiā Presbyteri Cardinales defacto conferunt. Tum etiam, quia Innoc: VIII. anno 1489. teſte Roderico noſtro tom: 1. q. regularium, p. 18. art: 3. privilegium conceſſit Abbati Ciſtercienſi in Gallia, aliiſq; primis Abbatibus ejusdem

jusdem Ordinis, ut nimirum Prior ille omnibus suæ Religionis Monachis, reliqui verò quatuor, solis sibi subjectis fratribus, sacros Ordines Subdiaconatûs, & Diaconatûs conferre possint, prout frequenter contulerunt. ergo.

Objic: Simplex Sacerdos potest Eucharistiam conficere, quod magis est, quàm Ordines conferre; ergo & potestate ordinariâ, Ordines conferre valet. ℞. negando consequentiam, nam non semper qui potest majus, potest etiam & minus, præsertim in ijs, quæ pendent à libera alterius voluntate.

ASSERTIO VI. Papali dispensatione fieri nequit, ut Episcopus validè consecretur à simplici Sacerdote, aut Sacerdos à non Episcopo: potest tamen, & solet Episcopus consecrari, ab uno solo Episcopo, & duobus Abbatibus. *Ministri Episcopatûs.*

Probatur 1. pars. Tum ex praxi Ecclesiæ, tum etiam, quia major à minori benedici non potest, sed jure divino Episcopus est major Presbytero, ut colligitur ex Trid: sess: 23.

Probatur etiam 2. pars. Tum ex communi consensu Ecclesiæ, tum etiam, quia si in Pontifice resideret talis potestas, in tam longa annorum serie probabiliter illam alicui delegâsset: sed hoc nunquam fecit: ergo.

Probatur ultima pars. Tum ex praxi Ecclesiæ, tum etiam ex S. Clemente lib: 8. Constitutionũ Apostolicarum c. 27. ubi idem docet. Et exemplo S. Augustini in Angliam à S. Gregorio missi, qui ut solus consecraret Episcopos, potestatem habuit.

ASSERTIO VII. Initiandus sacris Ordinibus, debet esse masculus, & baptizatus, non verò adultus.

Probatur 1. pars. Tum exemplo Christi, qui solos viros ordinavit in Sacerdotes; tum ex perpetua Ecclesiæ traditione, tum etiam, quia per ordinationem confertur gradus aliquis præeminentiæ ordinato, super reliquos: ergo solis viris & non fæminis, quæ Genes: 3. viris subjectæ esse debent, & 1. ad Timoth: 3. docere non debent, congruenter confertur.

Prob: 2. pars. Tum quia Baptismus est janua omnium Sacramentorum, cujus caracter necessariò imprimi debet ante usum aliorum Sacramentorum: Tum etiam ex c. *Si quis de Presbytero non baptizato.*

Ætas requisita in subjecto Ordinum.

Jam probatur ultima pars. Nihil deest infanti, ad hoc ut sit capax hujus Sacramenti, sicuti est Confirmationis, & Eucharistiæ: ergo non solus adultus est capax ordinis Sacerdotalis. Peccaret tamen mortaliter Episcopus, qui in Sacerdotem, Diaconum, aut Subdiaconum infantem promoveret, ut constat ex Trid: sess: 23. c. 12. de reform: ubi in Subdiacono ætatem petit 22. annorum: in Diacono 23. & in Presbytero 25. inchoativè saltē.

Quo jure Cœlibatus annexus est Ordinibus.

Objic: In primitiva Ecclesia fuerunt Presbyterissæ, & Diaconissæ, sed hoc non esset verum, si solus vir esset capax; ergo.

Confirm: Fæmina fuit semel Romæ in Papam electa: ergo. ℟. Vetulas illas, de quibus in Concilijs interdum fit mentio, fuisse uxores Sacerdotum, & Diaconorum, quibus tunc licebat habere uxores, quia Cœlibatus jam sacris Ordinibus jure tantùm Ecclesiasti-

co

co annexus, tunc sub præcepto non erat. Ad confirmationem respondeo primò, quòd quãvis hoc verum esset, nihil esse contra nos, quia nec Episcopalem, nec Sacerdotalem caracterem suscipere potuit. ℞. 2. Figmentum esse hæreticorum, quòd ulla talis unquam Romæ regnaverit.


ASSERTIO VIII. Præter jam enumeratos effectus, Sacramentum Ordinis confert gratiam, & caracterem; imò tot caracteres, quot sunt Ordines. *Effectus Sacramenti Ordinis.*

Prima pars patet, tum ex dictis de Sacramentis in genere. Tum etiam ex Trident: sess: 23. c. 4. & probatur ijsdem rationibus, quibus ostendimus, quòd baptismus imprimat caracterem, & alia Sacramenta conferant gratiam.

Probatur 2. pars. Tum quia non est potior ratio, cur unus ex illis Ordinibus imprimeret caracterem, & non alius; tum etiam, quia impresso caractere Diaconatûs, v. g. non imprimitur caracter Sacerdotalis, aut Episcopalis, aliàs Diaconus posset consecrare, & Ordines conferre.

EPISTYLIUM PROBLEMATICUM COLUMNÆ XLIII.

An consultum esset Summo Pontifici in cœlibatu, cum Parochis sæcularibus dispensare?



COLVMNA XLIV.

De Sponſalibus ad Matrimonium requiſitis, ac ipſius Matrimonij natura.

Quid ſint Sponſalia.

ASSERTIO I. Sponſalia bene deſcribuntur, promiſſio deliberata, voluntaria, & mutua, ſigno aliquo ſenſibili expreſſa, futuri martimonij, inter perſonas jure habiles.

Non ſufficit propoſitum.

Probat: Tum quia habet conditiones bonæ deſcriptionis, tum illam explicando. Dicitur *promiſſio*, quia Sponſalia inducunt obligationem, & ſic non ſufficit propoſitum contrahendi, nec conſequenter ſponſalia contrahit, qui tantùm diceret, *volo te habere in uxorem*, *aut accipere*; quia verba illa tantùm propoſitum ſignificant. Dicitur *voluntaria & deliberata* (intellige de deliberatione ſufficiente ad peccatum mortale) quia cùm ſponſalia, etiam ſine juramento contracta, obligant ſub mortali ad Matrimonium, ut colligitur ex c. *ex literis*, & ex gravitate materiæ obligantis, conſenſus involuntarius & indeliberatus ad validitatem illorum non ſufficit, & propterea in c. *ad literas*, & in c. *ad diſſolvendum de deſponſatione impuberum*, ad validè contrahenda ſponſalia, requiritur, ut contrahens ad minimùm ſeptem ſit annorum. Additur *mutua* ad denotandum, quòd contra-

Promiſſio indeliberata non ſufficit.

Obligant ſub mortali.

Requiritur ætas ſeptẽ ſaltẽ annorum.

ctus

ctus sponsaliorum, qui onerosus est, reciprocus esse debet. Unde infertur, quòd si Titius promiserat nuptias Cajæ, & illa sine repromissione acceptet, neuter obligatur vi sponsaliorum, quamvis bene Titius, vi suæ promissionis teneatur. Additur *signo aliquo sensibili expressa*, quia est contractus humanus, & sic non nisi signo aliquo sensibili exprimi potest; Vnde si promittente Titio, Caja consensu tantùm interno, promitteret, sponsalia essent nulla; at si pro illa tacente, & præsente, Parentes vel Tutor contrahat, valida erunt sponsalia, quia in hoc casu, in jure accipitur taciturnitas, pro expresso signo. Additur, *futuri matrimonij*, quia sponsalia sunt contractus, quo duo promittunt sibi invicem matrimonium inire pro futuro. Subditur deniq; *inter personas habiles*, (id est, quæ & ætatem à jure præscriptam habent, & nullo impedimento prohibentur) ad denotandum qualitatem personarum contrahentium.

ASSERTIO II. Ad validitatem sponsaliorum, requiritur, ut contrahentes verè intendant promittere, & se ad servandum promissum obligare. *Debent cõtrahentes seriò promittere.*

Probatur. Contractus iste, est reciprocus, utramq; personam verè obligans: ergo, debet esse vera, & non ficta promissio.

Hinc sequitur, quòd si quis sponsalia contraxerit fictè, animo nimirum decipiendi, & deflorandi Virginem, non tenetur vi promissionis exequi quod promisit, tamen si defloravit Virginem, quamvis per hoc non validavit sponsalia, adhuc ratione injuriæ & da-

Exceptio ratione qualitatis personæ.

mni illati, existimo eum teneri ad matrimonium cum deflorata contrahendum, nisi vir esset genere & divitijs notabiliter excedens defloratam; aut nisi ex certis signis deceptæ difficile non fuit deprehendere, se à promittente decipi.

Modi quibus solvũtur sponsalia.

ASSERTIO III. Sponsalia ritè contracta, solvuntur mutuo consensu libero contrahentium: & ingressu alterutrius in Religionem approbatam, & etiam voto illius; Item per alia sponsalia, & per fornicationẽ.

Probatur 1. pars. Tum quia in hujusmodi contractibus de futuro, conditio hæc, *si non unanimi consensu voluerimus resilire*, supponitur semper: ergo quando volunt liberè resilire, cessat obligatio contractûs, etiam juramento firmati. Tum etiam, quia res quæcunq; dissolubilis, per easdem causas dissolvitur, per quas nascitur; & habet regula juris, sed sponsalia solubilia sunt, & ex mutuo sponsorum consensu nascuntur: ergo mutuo illorum consensu dissolvi possunt.

Ingressus Religionis, votũ ejusdem, & etiam Castitatis.

Probatur 2. pars. Ingressus Religionis dirimit matrimonium ratum: ergo & sponsalia à fortiori. *Probatur etiam* de voto, quia qui vovit ingressum Religionis, vel susceptionem sacrorum Ordinum, satis ostendit se ex parte sua sponsalijs renunciare: ergo eo insalutato sponsa cum alio licitè contrahere potest. Dixi *potest*, quia si vult cum illo Matrimonium contrahere, non obstante suo voto, potest illum adigere ad matrimonium contrahendum, quia per votum subsequens sponsalia, sponsa jure suo non censetur,

tur privata. Et idem de sponso exeunte ex Religione censendum est. At si votum præcessit sponsalia, dirimit illa, sicut & facit susceptio sacri Ordinis sequens. Quod etiam per alia sponsalia dissolvantur, eodem argumento probatur, quo ostendi, quod per votum castitatis & Religionis.

Probatur jam ultima pars. Fornicatio est sufficiens causa divortij inter conjuges; ergo ad solvenda sponsalia sufficiens est.

Alia causæ solutionis Sponsaliorum.

ASSERTIO IV. Solvuntur etiam sponsalia per discessum alterutrius, altero non salutato, in longinquas partes, sicut & per Matrimonium de præsenti, & per mutationem adeo gravem alteri supervenientem, quæ si prævisa fuisset, facilè hominem honoratum, à contrahendis sponsalibus deterreret.

Prob: 1. Pars. Tum ex cap: *de illis*, extra *de Sponsalibus*. Tum etiã, quia qui sic discedit, sponsalibus renunciare censetur, & consequenter sponsa manet libera ab ipso, non tamen è contra; quia si sponsa suo juri cedere noluerit, redeunte sponso, ad matrimonium cogi potest, quamvis tempus in sponsalibus præfixum sit elapsum, quia sponso in mora non est, & consequenter per ipsam non stat, quo minùs sponsalia debito non compleantur tempore: ergo.

Prob: 2. pars. Matrimonium illud reddit impossibilem effectum sponsaliorum: ergo eo ipso dissolvuntur.

Prob: ultima pars. Quia supponi debet, quòd in contractu sponsalitio excipiatur sem-

per talis casûs tam gravis mutationis, inopinatæ supervenientis alteri: ergo.

Mutatio autem hæc contingit varijs modis, ut si alteruter incidat in morbum aliquẽ contagiosum, qui viro etiam cordato horrorem incuteret, qualis est lepra, morbus Gallicus, Epilepsia, morbus caducus, &c. Item, si alteruter privetur naso vel oculo, & sic notabiliter fiat deformis. Item si inter parentes & consanguineos contrahentium, gravis & irreconciliabilis inimicitia intervenit: aut si ad tantam devenerunt paupertatem, ut ad dotem solvendam inepti videantur. Item, si in alterutro rusticitas morum, vel humorum sævitia cognoscatur. Hæ, & similes mutationes in communi sententia, annullant contracta sponsalia; & si processerunt, personas reddunt inhabiles ad contrahendum. Pro intelligentia sequentium.

Mutationes variæ.

Definitio Matrimonij.

Adverte, Matrimonium posse dupliciter capi, primò enim pro vinculo, quo ligantur inter se vir, & fæmina matrimonio conjuncti: secundò pro contractu, ex quo oritur illud vinculum: unde sicut Sacramentum Ordinis non est ordo, sed potiùs signum sensibile quo confertur Ordo; sic & vinculum ex contractu matrimoniali ortum inter conjuges, non debet dici Sacramentum Matrimonij, licet bene Matrimonium à multis dicatur. Jam sit.

ASSERTIO VIII. Sacramentum Matrimonij est signum sensibile, quo vir & fæmina indissolubiliter inter se ligantur, ita ut durante vitâ, possint absq; culpa, mutuo corpo-

corporum usu, in ordine ad procurationem prolis, & concupiscentiæ remedium, uti.

Prob: Tum quia constat genere, & differentia, ly *signum sensibile*, est genus, in quo matrimonium convenit cum alijs Sacramentis, reliquæ verò particulæ sunt differentia illorum, ab illo. ergo.

Matrimonium prout est vinculũ contrahentiũ.

Hinc facilè colligitur quid sit matrimoniũ, ut capitur pro vinculo, quo contrahentes ligantur; nam nihil aliud est, quàm contractus ille per signa sensibilia inter ipsos initus, manens semper moraliter, dum vivunt, sine legitimo impedimento, contrahentes, & sic habens vim denominandi eos semper ligatos. Et ratio est, quia ad ipsos hic denominandos frustra aliquid aliud requireretur; sicut ad denominandum Leopoldum I. semper Augustum, Regem Boëmiæ, requireretur aliquid aliud, distinctum ab ipsa institutione, quâ ante annos aliquot fuit legitimè nominatus Rex.

Necessitas Matrimonij.

ASSERTIO VI. Quamvis Matrimonium à Deo sit institutum, & sic per se bonũ est, ac legi naturæ conforme, non est tamen ulli ex toto genere humano necessarium illud inire, necessitate præcepti legis naturæ.

Probatur 1. & 2. pars. Tum quia Deus, ante & post Protoparentum lapsum, teste script: Genes: 1. & 9. Matrimoniũ approbavit, quod non faceret, nisi esset res bona: ergo est. Tum quia Christus Matth: 19. dum indissolubilitatem matrimonij contra Judæos tueretur his verbis: *Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, &c.* docet illud à Deo institutum

tutum esse, dum ait: *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Tum etiam, quia Salvator ille noster, Joannis 2. suâ præsentiâ cohonestavit nuptias, in Cana Gallilææ. Tum deniq;, quia Matrimonium in sacris litteris, præsertim 2. Corinth: 7. & ad Hebr: 13. laudatur. ergo per se res bona est.

Conformitas ad legem naturæ. *Prob: 3. pars.* Inseparabilis illa liga viri, & fæminœ, maximè conducit ad proportionatam multiplicationem generis humani, bonam prolis educationem, & ad vitandas multas inconvenientias, quæ sequerentur, si solubilis esset: ergo legi naturæ conforme est.

Sub præcepto non est. *Probatur ultima pars.* Tum quia aliàs peccarent, qui Matrimonium non inirent. Tum etiam, quia quamvis esset præceptum legis naturæ, ut homines ad conservationem suæ speciei, per generationem individuorum se multiplicarent; tamen ut hoc faciant, ineundo indissolubilem contractum duorum, deduci non potest ex ullis principijs evidentibus, quod sit præceptum legis naturæ; ergo non est.

Obÿcies. Matrimonium ordinatur ad copulam conjugalem; sed copula illa non est in se honesta: ergo nec Matrimonium. ℞. concedendo maj: & negando min: & consequentiam, quorum falsitas de fide constat ex c. *Damnamus*, de summa Trinit: & ex Trident: sess: 24. c. 1. & 2. sicut ex adductis pro conclusione Scripturæ locis, quæ docent Deum, qui mali author esse non potest, Matrimonium instituisse.

Matrimonium in ASSERTIO VII. Matrimonium in Nova Lege verum est Sacramentum, à Chri-

sto

ſto Domino inſtitutum. *Prob:* Tum ex di-ctis de Sacramentis in genere: tum ex Flo-rent: in Decreto unionis, & Trident: ſeſſ: 24. c. 1. ubi expreſsè definitur Concluſio. Tum deniq; , quia Matrimonio in nova lege, con-venit definitio Sacramenti ut ſic, à nobis aſſi-gnata aſſertione 1. Colum: *nova lege eſt Sacra-mentum.*

Obijc: Si Chriſtus Dominus author eſſet hujus Sacramenti, conſtaret nobis ex Script: vel traditione certa, de tempore determina-to inſtitutionis ipſius; ſed non conſtat. ergo. ℞. negando abſolutè maj: quia ut dixi colu-mnâ 42. multa ſunt à Chriſto inſtituta, & fi-delibus neceſſariò credenda; de quorum determinato inſtitutionis tempore nobis non conſtat. Reſpondent alij negando min: quia putant, quòd Chriſtus inſtituerit hoc Sacra-mentum, Joann: 2. dum interfuiſſet nuptijs. Alij verò dicunt, quod Matth: 19. dum de in-diſſolubilitate matrimonij diſputâſſet.

Obijc: 2. Virginitas 1. Corinth: 7. præfertur ab Apoſtolo Matrimonio; ſed hoc non bene fieret, ſi matrimonium eſſet Sacramentum. ergo non eſt. ℞. negando min: quia quam-vis matrimonium, quatenus ex opere opera-to confert gratiam, perfectius eſſet virginita-te; tamen propter incommoda multa ipſi an-nexa, de quibus ibidem agit Apoſtolus, præ-ferri illi meritò poſſet Virginitas.

ASSERTIO VIII. Solus contractus inter Chriſtianum & Chriſtianam initus, Sa-cramenti rationem defacto habet; unde ſi Pontificiâ diſpenſatione fidelis cum infideli contraheret, contractus ille Sacramentum non foret. *Prob:* *Quis con-tractus ſit dicendus Sacramē-tum Ma-trimony?*

Probat: 1. *pars.* Ex qua evidenter sequitur veritas 2. partis, Trid: & Florent: definiunt matrimonium fideliũ verum esse Sacramentum; & ex dictis Columnâ de Baptismate, constat solos renatos capaces esse Sacramentorum, quia baptismus est janua reliquorum Sacramentorum: sed hoc non esset verum, nisi solus contractus fidelium esset Sacramentum. ergo.

Confirm: Non potest subsistere Sacramentum sine applicatione formę debitæ ad materiam; sed in contractu fidelis cum infideli, non applicaretur forma debita hujus Sacramenti materiæ. ergo. Probat: min: Mutuus consensus duorum baptizatorum, diversimodè consideratus, materia est, & forma hujus Sacramenti; sed in contractu fidelis cum infideli, non applicaretur consensus duorum baptizatorum: ergo nec debita materia formæ, aut è contra.

Obijc: pro Hiquæo & Pontio ejus discipulo, nulla est ratio, ob quam excludi potest contractus ille à ratione Sacramenti. ergo. ℟. falsitatem antecedentis, ex rationibus nostræ conclusionis evidenter apparere, unde nego antecedens.

Obijc: 2. Illud Apostoli 1. Corinth: 7. *Sanctificatus est enim vir infidelis per mulierẽm fidelem, & sanctificata est mulier infidelis, per virum fidelem:* ergo Virtute contractûs matrimonialis, confertur fideli gratiâ, quâ ipse sanctificatur, & conjugem infidelem sanctificat, & consequenter erit Sacramentum. ℟. negando consequentiam, quia Apostolus nõ loquitur in sensu formali, & effectivo sanctificati-

tationis; sed potiùs in sensu dispositivo, quasi vellet dicere, quòd vir infidelis, cohabitans cum uxore sancta, & fideli, posset illius exhortationibus, conversatione & exemplo, ad justificationem disponi, sicut & mulier infidelis per virum fidelem: quod & frequenter contigit, ut patet legenti vitam S. Cæciliæ, quæ suum sponsum Valerianum ad veritatis agnitionem deduxit.

Matrimonium infidelis cum fideli nullum sine consensu Papa.

Dixi, *accedente Pontificiâ*, &c. quia sine tali dispensatione, consuetudo Ecclesiæ docet, matrimonium fidelis cum infideli esse nullum, etiam in ratione contractûs, quamvis in primitiva Ecclesia contrarium fuit in usu, quia tunc Ecclesia non prohibuit talem contractum.

Ex hac assertione infertur primò, matrimonium fidelis cum fideli esse semper Sacramentum, quia non possunt tales contrahere matrimonium, quin omnia habeat requisita ad rationem Sacramenti, ut colligitur ex Concilijs, Florent: nimirum, & Trid: jam suprà citatis, & etiam, quia eo ipso fideles nollent contrahere matrimonium, ut habet rationem Sacramenti, suppositâ elevatione ejus ad talem rationem, contractus esset nullus, & invalidus: ergo nunquam fideles possent licitè matrimonialiter contrahere, sine eo, quòd contractus ille habeat rationem Sacramenti.

Infertur secundò, Matrimonium infideliũ non solùm non esse Sacramentum, durante infidelitate; sed etiam, postquam convertuntur ad fidem, non habere rationem contractûs sacramentalis, nisi postquàm de novo

con-

contrahant. Unde qui ex illis contrahere non vellet, à fide data alteri in infidelitate, liber existit. Vide Doct: in 4. d.39. q. unicâ,& nostrum Hiquæum Tuomoniensem, in Commentarijs supra dictum locum.

Materia & forma Matrimonij.

ASSERTIO IX. Materia ex qua, & proxima hujus Sacramenti, est mutuus consensus contrahentium, verbis vel signis alijs externis expressus, forma verò est idem ille consensus, quatenus habet rationem acceptationis: Minister verò ejus non Parochus, sed ipsi contrahentes sunt.

Probatur 1. pars. Illud debet dici materia & forma hujus Sacramenti, quo applicato à sufficiente ministro, cum debita intentione, ponitur ipsum matrimonij Sacramentum, sed posito mutuo consensu, jam in Conclusione dicto, ponitur hoc Sacramentum, seu contractus matrimonialis: ergo mutuus ille consensus erit materia & forma illius.

Confirm: Verba Sacerdotis nec materiæ, nec formæ rationem habent, quod inde patet, quia ante Trident: in absentia Sacerdotis, validum fuit matrimonium contractum; sicut & defactò validum est, etiam in ratione Sacramenti, ubi Tridentinũ non est receptum, quia ibi sponsalia transeunt in matrimonium: nec aliud assignari potest in matrimonio, cui potiùs attribui posset ratio materiæ ejus, & formæ, quàm illi consensui.

Minister hujus Sacramenti.

Prob: jam ultima pars. Tum quia in quocunq; contractu vero ipsi contrahentes soli, se mutuò obligant, & contractum efficiunt, sed Sacramentum Matrimonij est legitimus

& es-

&c eſſentialis contractus: ergo miniſtri ejus erunt ipſi contrahentes. Tum etiam, quia in Florentino, in decreto unionis, dicitur, quod cauſa efficiens matrimonij regulariter, eſt mutuus conſenſus per verba de præſenti expreſſus; ſed ſoli contrahentes per verba de præſenti, mutuò conſentiunt, ergo illi ſoli conficiunt hoc Sacramentũ, & conſequenter miniſtri illius dici debent. Tum deniq; ex mox dictis de materia & forma, ubi dixi, quòd in abſentia Sacerdotis antiquitùs fiebant, & defacto multis in locis fiunt matrimonia valida, in abſentia Sacerdotis: ſed hoc eſſet falſum, ſi ille eſſet miniſter hujus Sacramenti; ergo non ille, ſed contrahentes ſunt miniſtri.

Confirmatur. Chriſtus circa matrimoniũ nihil mutavit, niſi quòd elevaverit ipſum ad eſſe Sacramenti: ergo qui erat Miniſter illius ante inſtitutionem Chriſti, eſt etiam defacto; ſed antea ſoli contrahentes erant miniſtri matrimonij, ergo defacto ſunt.

Obÿc: Ex præſcripto ritualis Romani, Parochus interrogatis priùs Sponſo, & Sponsâ, eorúmq; conſenſu audito, dicere debet: *Ego vos conjungo in Nomine Patris*, &c. ergo ipſe eſt miniſter hujus Sacramenti. ℞. cum communi, negando conſequentiam, quia per illa verba non intendit, ut miniſter conjungere contrahentes, ſed potiùs declarare & approbare, contractum ab ipſiſmet contrahentibus, effectum.

ASSERTIO X. Ad validè contrahendum Matrimonium, non requiruntur de- *Ad validitem Ma-*

trimonij non requiruntur denunciationes in aliquib9 terris.

nunciationes jam fieri solitæ; nec præsentia testium, ubi Trident: non est receptum; bene tamen ut licitè.

Probatur 1. pars. Quia Trident: ad validitatē hujus Sacramenti aliud non petit, quàm legitimum contrahentium consensum, verbis, vel æquivalentibus aliis signis expressū, præsentiam Parochi & testium; sed illa omnia possunt haberi absq; prævijs denunciationibus: ergo sine illis validè potest contrahi matrimonium.

Probatur 2. pars. Quia, ut jam dixi, sine præsentia Parochi potest fieri, ut Matrimonium sit validum: ergo & sine præsentia testium.

Probatur ultima pars. Quod Ecclesia mandat ut fiat, omitti non potest absq; peccato, nisi intercedat dispensatio, aut alia legitima causa, sed Concilium Trid: sess: 24. c. 1. inhærens vestigijs Concilij Lateranensis, sub Innocentio III. celebrati, præcipit, ut antequam Matrimonium contrahatur, à proprio contrahentium Parocho, tribus continuis festivis diebus, inter Missarum solennia, solitæ fiant denunciationes, &c. & posteà, ut Matrimonium coram Parocho, & duobus vel tribus testibus celebretur: ergo sine his licitè celebrari non potest.

Præsentia Parochi requiritur

ASSERTIO XI. Ubi receptum est Trident: nullus consensus contrahentium ad validitatem hujus Sacramenti sufficit, sine præsentia Parochi, aut alterius ab eo delegati, & duorum ad minimum testium. Hæc est inter Catholicos certa, & de fide definita, in

ipso

ipſo Trident: ſeſſ: 24. c. 1. cujus authoritate, probatur.

Hinc ſequitur, quod cum præſentia Parochi tantùm requiratur ad valorem Sacramenti, ut de contractu licito in foro externo, quoties opus fuerit, teſtari poſſit; non ſufficere, ut contrahatur coram Parocho dormiente, vel formaliter ebrio, aut delirante, quia ſic perinde eſſet ad finem intentum ab Eccleſia præſentia, ſicut abſentia Parochi! ſecùs dicendum eſt, ſi contractus fiat coram Parocho vi in loco detento, aut dolo ad illũ adducto, vel caſu ibi reperto, dummodo advertat quæ aguntur; & idem dic de præſentia teſtium. Lege Hiquæum in 4. d. 26. & ſequentibus. Intereà

Adverte, quòd difficultas hujus loci ſit in oſtendenda ratione, quomodo Eccleſia ſuo decreto potuit efficere talem mutationem circa materiam & formam hujus Sacramenti, cur jam ſine præſentia Parochi, & Teſtium, non ſufficiunt, ad quam, reſpondeo, rationẽ eſſe, quia matrimonium eſſentialem rationẽ contractûs includit; unde ſicut ad legitimè contrahendum in civilibus, reges in ſuis regnis poſſunt ſtatuere certas conditiones, ſine quibus contractus omnes civiles invalidi eſſent; & poſſunt iterum illas conditiones tollere, vel mutare, prout expedire viſum fuerit; ſic etiã Eccleſia in ſuis Principibus congregata, potuit ſine ulla inconvenientia efficere, ut contractus matrimonialis, qui anteà validus erat, ſine præſentia Parochi ac teſtium, ampliùs ſic non foret, & conſequenter potuit ordinare, ſicut & de facto fecit, ut

Ratione oſtenditur, CC. potuiſſe invalidare clandeſtina matrimonia.

præsentia Parochi, & duorum testium, tanquam conditio, sine qua non ad validitatem hujus Sacramenti requiratur.

Consensus parentum nõ requiritur ad validitatẽ Matrimonij.

ASSERTIO XII. Ad validitatem contractûs matrimonialis, necessarius non est consensus parentum; bene tamen ut sit liber consensus contrahentium.

Probatur 1. pars. Tum ex Trident: jam citato, anathematizante eos, qui dicunt matrimonia clandestina esse nulla; sed certum est, quòd plurima ex illis fiebant sine consensu parentum: ergo consensus parentum non est necessarius ad validitatem hujus Sacramenti. Tum etiam, quia Trident: ibidem enumerat omnia necessaria ad validitatem matrimonij, & nullam facit mentionem de consensu parentum: ergo signum est, consensum illum non esse necessarium.

Requiritur liber consensus contrahẽtium.

2. *Pars patet* ex dictis Colum: 17. Assert: 1. & 5. de justitia contractuum, ubi ostendi satis fusè, quomodo & quando metus & conditio, de præsenti, præterito, & futuro, irritent contractum, quæ omnia huc applicari possunt; unde de hac re nil aliud restat, quod hic examinemus, nisi ut advertamus, quòd graviter peccent filij, contra obedientiam debitam parentibus, si sine illorum consensu, saltem negativo, contrahant matrimonia, nisi legitimam habeant causam, qualis esset,

Causæ excusantes filios à peccato.

si parentes vellent, ut intraret filius Religionem, ad quam non habet vocationem; aut ut ducat in uxorem personam suo statui dedecentem; aut quia à parentibus nimis asperè in adulta ætate tractatur; aut deniq;, quia paren-

parentes de procuranda ei uxore nullo modo ſunt ſolliciti.

ASSERTIO XIII. Polygamia (contractus eſt unius viri cum pluribus uxoribus, aut è contra unius fæminæ cum pluribus ſimul viris) plurium virorum cum una fæmina, naturali & poſitivo jure prohibita, divinitùs licitè contrahi poteſt. Polygamia verò unius viri cum pluribus uxoribus, non naturali, ſed poſitivo divino, & Eccleſiaſtico præcepto, prohibita eſt.

Definitio Polygamiæ.

Ejus prohibitio.

Probatur 1. pars de jure naturæ, quia Polygamia illa maximè obſtat fini principali matrimonij, qui eſt conceptio, & commoda educatio prolis; nam quæ multos admittunt viros, expreſſum ponunt impedimentum generationi prolis, ut docent medici, & experientiâ patet meretricum, quæ raró aut nunquam concipiunt, quamdiu in illo conſtiſtunt ſtatu. Deinde impedit bonam educationem prolis, propter incertitudinem parentis. Deinde maxima eſſet cauſa jurgij & diſſenſionis virorum inter ſe; & cum fæmina, ſed mala illa jure naturali prohibita ſunt, ergo & Polygamia.

Probatur etiam 2. pars. Tum ex communi conſenſu Eccleſiæ; tum ex illo Script: Lucæ 17. *Omnis qui dimittit uxorem ſuam, & alterã ducit, mœchatur, & qui dimiſſam à viro ducit, mœchatur.* Sed hoc non eſſet verum, niſi præcepto poſitivo prohiberetur Polygamia, vel ſaltem ex illo loco bene colligitur præceptum divinum: ergo poſitivo divino præcepto prohibetur.

Probatur 3. pars. Tum ex dictis assertione 9. Colum: 10. ubi probavi, quòd Deus possit dispensare in omnibus omninò præceptis juris naturæ. Tum etiam, quia non esset Deo difficile invenire media, quibus obviaret inconvenientijs jam assignatis, & legi naturali prohibitis: ergo.

Probatur ultima pars (quod non prohibeatur lege naturæ, inde colligitur, quia pro statu illius legis, nec non veteris testamenti, Polygamia talis fuit licita) ex Trid: sess:24. ca: 2. his verbis: *Si quis dixerit Christianis licere plures simul habere uxores, & hoc nullâ lege divinâ esse prohibitum, anathema sit*; ex quo loco colligitur, quòd Polygamia sit divino & Ecclesiastico jure prohibita. Probatur etiam ulterius ex Script: Matth: 19. ubi Christus revocat facultatem concessam Judæis ducendi simul plures uxores. Tum ex Apostolo 1. Corinth: 7. ubi monet, ut unusquisq; suam uxorem habeat, vitandæ fornicationis causâ, id est unam, non vero tres aut plures simul, aliàs non diceret *suam*.

Quibus modis solvi possit Matrimoniū quoad thorum.

ASSERTIO XIV. Matrimonium ratum, non verò consummatum, dissolvi potest quoad vinculum, tam per professionem Religionis, quàm per dispensationem Pontificiam.

Prima pars est de fide definita in Trid: sess: 24. ca: 6. Secunda vero pars manifestè patet experientiâ, inquit Navarrus in summa c. 22. n. 21. ubi affirmat varias Conjuges suo consilio petijsse dispensationem, matrimonij rati, eámq; obtinuisse à Paulo III. & Pio IV. Henri-

Henriquez lib: 11. c. 8. testatur Greg: XIII. eadem die 11. matrimonia rata dissolvisse; sed hoc non facerent Pontifices, si non possent; ergo.

Matrimonium consummatũ indissolubile.

Quòd verò Matrimonium consummatum sic non posset dissolvi; *Probatur*, tum ex Trident: sess: 24. cap: 3. ubi definitivè id affirmat, tum ex Script: Mar: 10. *Qui dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam, &c.* Et Rom: 7. *Nam quæ sub viro est mulier, vivente viro alligata est legi, &c.* ergo matrimonium consummatum inter Christianos dissolvi non potest. Dixi, *inter Christianos*, quia Matrimonium consummatũ inter infideles, si unus ex eis baptismum suscipiat, & alter in infidelitate perseverat, dissolvitur, & sic fidelis cum alia persona nuptias contrahere potest, ut patet ex C. *Gaudemus*, de divortijs.

EPISTYLIUM PROBLEMATICUM COLUMNÆ XLIV.

An meliùs est nubere, quàm uri?



COLVMNA XLV.

De impedimentis & obligationibus Matrimonij.

Impedimẽta alia ſunt dirimentia, alia impedientia tantùm.

IMpedimenta Matrimonij in duplici ſunt differentia; alia enim ſunt, quæ tantùm illicitum reddunt Matrimonium; alia verò, quæ etiam irritum. Priora impedimenta, impedientia tantùm dicuntur, quia ſcilicet impediant, ne matrimonium licitè contrahatur; ſed etiam irritant contractum, ita ut contrahentes ſeparari debeant, niſi iterum validè contrahant. Impedientia tantùm his comprehenduntur verſibus:

Impedientia tantũ eorúmq; explicatio.

Eccleſiæ vetitum, nec non tempus fêriarum,
Atq; Catechiſmus, ſponſalia, jungito votum.
Inceſtus, raptus, ſponſatæ mors mulieris,
Suſceptus propriæ ſobolis, mors presbyteralis,
Vel ſi pœniteat ſolenniter, aut monialem
Accipiat, prohibent, permittunt facta teneri.

Per Eccleſiæ vetitum, intelligitur prohibitio facta ab Epiſcopo, in univerſa Eccleſia, quâ vetat, ne aliqui ad certum tempus ineant matrimonium, *per tempus feriarum*, intelligitur jam poſt Trident: ſeſſ: 24. c. 10. de reformat: tempus ab adventu, incipiendo à media nocte poſt primas veſperas, uſq; ad Epiphaniã, & à feria quarta Cinerum, uſq; ad Dominicã in Albis incluſivè, quo tempore non prohibetur

betur contractus, aut ejus consummatio, sed tantùm nuptiarum solemnitates, quales sunt: Benedictio Nuptiarum, solennis sponsæ in domum sponsi traductio, convivia nuptialia, tripudia, & hujusmodi.

Per ly *Catechismus* intelligitur cognatio olim contracta ab eo, qui respondebat pro infante, quando supplebantur cæremoniæ, post baptismum collatum in necessitate. Sed hoc impedimentum sublatum est per Tridēt: sess: 24. c. 2. ubi declaravit cognationem spiritualem non contrahi, nisi inter certas personas, de quibus egi Columnâ Per *Sponsalia*, intelligitur promissio futurarum nuptiarum, facta alicui, de qua antea egimus. Per *Votum* intelligitur votum simplex, sive castitatis, sive Religionis, sive non nubendi. Per ly *Incestus* intelligitur copula carnalis, scienter habita à viro, cum consanguineis suæ uxoris, usq; ad secundum gradum; & è contra uxoris, cum consanguineis viri. Per *Raptum sponsatæ*, intelligitur raptus alienæ sponsæ. Per *mortem mulieris*, intelligitur uxoricidium ex mala intentione, sine animo tamen contrahendi cum alia, si enim talem haberet animum, esset impedimentum dirimens matrimonium. Per ly *Susceptus propriæ sobolis*, intelligitur susceptio proprij filij, vel infantis de sacro fonte, facta animo insidiandi matrimonio, id est, privandi alterū conjugem debito conjugali ratione affinitatis spiritualis, ex ea susceptione inter eos ortæ; hoc enim animo qui filium suscipit, & tenetur alteri conjugi reddere debitum quoties petierit; eiq; prohibetur, ut si uxori super-

vixerit ne ad alias nuptias ampliùs transeat. Per *mortem Presbyteralem*, intelligitur occisio Presbyteri injustè facta. Per ly *Si pœniteat solenniter*, intelligitur solennis pœnitentia, qualem defacto in usu non videmus in Ecclesia, & sic cessavit illud impedimentum. Per ly *Monialem suscipiat*, intelligitur matrimonium initum cum moniali professa scienter, (quale fuit sordidi Lutheri) quod impedimentum, est dirimens respectivè ad ipsam monialem, & in pœnam peccati, impediens respectivè ad omnes alias fæminas.

Potestas Episcopalis. Hic tantùm notandum est, Episcopum posse dispensare in omnibus jam dictis impedimentis, præter quam in Sponsalibus ac voto castitatis ac Religionis. Et hoc patet ex praxi communi totius Ecclesiæ.

Impedimenta matrimonij, quæ dirimentia dicuntur, vulgaribus hisce versibus comprehenduntur.

Impedimenta dirimentia.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus, disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Ætas, affinis, si fortè coire nequibis,
Si Parochi, & duplicis deesset præsentia testis,
Raptáve sit mulier, nec parti reddita tutæ,
Hæc socianda vetant, connubia facta retractant.

Error circa personã dirimit. ASSERTIO I. Error circa personam, quando scilicet una persona in matrimonio supponitur pro alia, v.g. Helena pro Marina, irritat contractum matrimonialem.

Probatur. Tum ex C. unico. 29. q. 1. tum etiam ex dictis Assert:2. colum: 16. ubi probavi, quò error circa substantiam rei, ipso naturali jure, omnem contractum irritum facit;

cit; sed in contractu matrimoniali, error circa personam, est absolutè circa substantiam objecti: ergo irritat matrimonium. Tum deniq;, quia reverà Antonius non intendit contrahere cum Helena, ergo cum illa sibi supposita non contrahit matrimonium.

ASSERTIO II. Error circa conditionem personæ subinde matrimonium irritum facit, & subinde non. *Quomodo cognitio personæ irritat.*

Probatur 1. pars. Quia si quis duceret servam, seu subditam, putans se ducere liberã, absolutam haberet nolitionem ducendi eam, ut suppono; ergo conditio illa servitutis verè irritum facit matrimonium, ut habetur in C. *ad nostrum de conjugio serviorem*; & colligitur ex illis quæ dixi assert: 3. & 4. Col: 16.

Probatur etiam 2. pars. Si quis putaret se ducere rusticam, & tamen persona illa nobilis esset, aut civissa, non deterioraretur ejus conditio per hoc, sed potiùs melioraretur (suppono contrahentem, crassum aliquem non esse rusticum, qui non nisi suæ conditionis rusticam absolutè ducere vellet) ergo conditio illa non irritat matrimonium. Deinde posset contingere, ut præsentem quam habet Virginem, quam putaret nobilissiam & non esset, sine respectu ad conditionem ducere vellet; sed in tali casu error ille, non tollit consensum: ergo nec contractum irritum facit, & consequenter non semper error circa conditionem personæ, irritat matrimonium.

ASSERTIO III. Votum solenne castitatis in Religione approbata emissum, absolu- *Votum solemne ca-*

ſtitatis dirimit. ſolute dirimit Matrimonium. Eſt de fide, ex Trid: ſeſſ: 24. Can: 8. cujus authoritate ſicut ex conſtanti Eccleſiæ praxi, ac communi piorum hominum conſenſu *probatur*.

Conſanguinitas uſq; ad 4. gradum. ASSERTIO IV. Cognatio, ſeu conſanguinitas uſq; ad quartum gradum dirimit Matrimonium. *Probatur*, tum ex praxi Eccleſiæ, tum etiam ex extravag: de conſang: c. *non debet*, ubi habetur, quòd prohibitio copulæ conjugalis, quartum conſanguinitatis gradum non accedat; & ut hoc impedimentum meliùs intelligatur.

Quid ſit conſanguinitas. *Adverte*, conſanguinitatem eſſe conjunctionem aliquorum deſcendentium ab uno aliquo parente, per carnalem propagationem, in quo ſenſu, omnes homines conſanguinei dici poſſunt; quia ſic deſcenderunt ab Adamo, proto-parente omnium; ſed non ſolent ſic dici, quia de facto ſoli illi dicuntur conſanguinei, qui inter ſe ſunt connexi, ad certos gradus, non valdè remotos: perſona autem illa per ordinem, ad quam menſuratur conſanguinitas, vocatur ſtipes, quia eſt radix & fons, unde habent originem conſanguinei, ut videre poſſunt in arbore affinitatis, & ordine graduum conſanguinitatis inferiùs ponendo.

Quid ſit linea conſanguinitatis. *Adverte 2.* Lineam conſanguinitatis aliud non eſſe, quàm ordinem deſcendentiæ conſanguineorum à ſtipite. Linea autem hæc eſt duplex, recta una, altera transverſalis. Linea recta eſt illa, in qua tot ſunt gradus aſcẽdentium, & deſcendentium, quot ſunt perſonæ, unâ exceptâ ſtipite ſcilicet: ſic Pater & fi-

Stipes Consanguineitatis, Seu toti, Propagationis in descēsu.

Pater & Mater

Linea recta

Linea recta

Filius vel Filia 1

Filius vel Filia 1

Fratres vel Sorores Germani.
PRIMUS GRADUS.

In Secundo Gradu Sunt isti Secum.
Patru. Amita
Sunt isti
Avunculi, matertera
In Secundo Gradu
Fratris Filii
Sororis Filia

In 1° Gradu

In 1° Gradu

Nepos 2

Neptis 2

Fratrueles vel Sobrini
Secundus Gradus

In Tertio Gradu Sunt isti Secum
Patrus magn.
Avunculus magnus
vel Amita magna
vel matertera magna

In 1° Gradu

In 1° Gradu

Pronepos 3

Proneptis 3

Fratres Patrueles
Tertius Gradus.

In Quarto Gradu Sunt isti Secum
Pro Patru.
Proavunculus
Promatertera
& Amita.

In 1° Gradu

In 1° Gradu

Abnepos 4

Abneptis 4

Consobrini
Quart. Grad.

In Quinto Gradu Sunt isti Secum

In 1° Gradu

In 1° Gradu

Trinepos 5

Trineptis 5

Consobrini remoti.
Quint. Grad.

Si ascendere volueris, verte in opposito.

& filius consanguinei sunt in primo gradu; Nepos & avus in secundo gradu, pronepos & Proavus in tertio gradu. Linea verò transversalis est illa, in qua inter personas inæqualiter distantes à communi stipite, quot gradibus remotior persona distat à stipite, tot gradibus distat inter se; unde si Pater habet ex filio nepotem, & pronepotem, & ex filia tantùm nepotem, remotior est pronepos à patre, quàm est ab illo nepos ex filio; & sic pronepos ex filio, & nepos ex filia, tot habebunt consanguinitatis gradus inter se, quot sunt gradus in linea recta à Patre ad nepotem; unde cùm in illa linea tres sunt gradus inter pronepotem & proavum, nepos ex filia, & pronepos ex filio, in tertio sunt consanguinitatis gradu. Hoc totum in adjuncto schemate clarè patet. ☞

Præter jam declaratam consanguinitatis cognationem, adhuc datur cognatio legalis, & cognatio spiritualis; unde in genere triplex est cognatio, legalis scilicet, spiritualis, & consanguinitatis.

Cognatio triplex cõsanguinitatis, legalis, & spiritualis.

Cognatio legalis est propinquitas personarum, proveniens ex adoptione perfecta (adoptio hæc exigit, ut extranea persona assumatur in filium, vel nepotem, ita ut transeat in potestatem adoptantis, illíq; succedat, ex testamento, vel tanquam filius ab intestato, in totum, vel tanquam hæres necessarius in 4. parte) & hæc inter adoptantem & adoptatum, aliósq; descendentes ab illo, dirimit

Quid sit cognatio legalis?

Ma-

Matrimonium usq; ad quartum gradum, ut patet ex C. per *adoptionem* 3. q. 3. & ex C. diligere 30. q. 3. nec non communi consensu Doctorum, paucis exceptis, qui post Lessiū docent, quod tantùm dirimat usq; ad secundum gradum inclusivè.

Quid spiritualis. Cognatio verò spiritualis, est propinquitas quædam personarum Ecclesiastico jure orta, inter personas aliquas ratione Baptismi & confirmationis. Cognatio hæc dirimit tantùm matrimonium, usq; ad secundum gradū inclusivè, ut habetur in C. 1. de cognatione spirituali in 6. & constat ex Trident: sess: 24. cap: 2. ubi dicit, quòd intercedat tantùm inter baptizantem & baptizatum, confirmantē & confirmatum, horúmq; baptizatorum scilicet, Patrem & matrem; & etiam inter patrinos, ac baptizatum vel confirmatum, eorúmq; parentes, ut anteà diximus, agendo de baptismate.

Impedimētum homicidij. ASSERTIO V. Criminis impedimentum triplex est, homicidij scilicet, adulterij, & raptûs. Hæc est communis, & patet declarando ejus membra. Crimen homicidij est occisio conjugis, ab altera conjuge, vel alio aliquo tertio, eo animo, ut posteà inter se matrimonium contrahant, & hoc semper dirimit matrimonium.

At si cœdes tantum tentata sit, sed non perpetrata; vel perpetrata, sed non animo contrahendi matrimonium: vel cum intentione quidem contrahendi, externo tamen signo aliquo nunquam expressa, vel nō communi consilio, sed ab altero tantùm, non di-

rimit

rimit matrimonium, nisi præcesserit copula carnalis: si autem præcessit, quamvis altero ignorante, unus tantùm homicidium patravit, animo contrahendi matrimonium, verè dirimit, ut docent communiter Canonistæ.

Crimen adulterij dirimit matrimonium, quando vivente alterius conjuge, duo se carnaliter cognoscunt, sibiq; de præsenti mutuò promittunt matrimonium, vel promittunt post mortem alterius conjugis se velle illud inire. *Impedimentum adulterij.*

Crimen raptûs est, per quod persona vi abducitur, libidinis exercendæ, vel matrimonij ineundi causâ. Impedimentum hoc teste Trident: suprà citato, durat, quamdiu rapta est in potestate raptoris. *Impedimentum raptûs.*

ASSERTIÓ VI. Disparitas cultûs, quæ est inter baptizatum & non baptizatum, impedit matrimonium inter ipsos jure divino & Ecclesiastico, non verò disparitas cultûs Catholici ab Acatholico.

Probatur 1. pars. Primò de jure divino, ex Apost: 2. Corinth: 6. *Nolite* (loquitur baptizatis) *jugum* (id est matrimonium, ut explicat D. Hieron: lib: contra Jovinianum) *ducere cum infidelibus*: ergo jure divino disparitas illa cultûs dirimit matrimonium. Probatur etiam secundò de jure Ecclesiastico, ex Concilio Eliberitano Can: 5. & 17. & ex Concilio Toletano Can: 62. ubi ordinatur, ut Judæi cum Christianis matrimonio conjuncti, aut convertantur, aut separentur: ergo jure Ecclesiastico etiam scripto, disparitas cultûs impedimentum est dirimens matrimonium. *Impedimentum disparitatis cultûs.*

Pro-

Probatur jam 2. pars. Quia sciente, & non contradicente Pontifice Romano, in multis Regnis, Catholici cum hæreticis Matrimoniũ ineunt: ergo disparitas illa non dirimit.

Impedimẽtum Ordinis, & Ligaminis.

ASSERTIO VII. Ordo sacer, & ligamen, hoc est, matrimonium validè contractum cum alia, adhuc vivente persona, dirimunt matrimonium.

Prima pars patet ex Trident: sess: 24. his verbis: *Si quis dixerit, Clericos in sacris Ordinibus constitutos, posse matrimonium contrahere, contractúmq; validum esse, anathema sit.*

Moraliter certus de morte conjugis contrahere licitè potest

Probatur etiam 2. pars. Tum ex Trident: jam citato c. 1. Tum etiam ex dictis assertione ultimâ Columnæ præcedentis. Unde hic tantùm notandum est, quòd licitè & sine peccato contrahat, qui moraliter certus est de morte conjugis; qui si posteà compareat, tenetur ad eandem redire, dimissâ posteriori.

Impedimẽtum publicæ honestatis.

ASSERTIO VIII. Impedimentum publicæ honestatis, est illud, quod oritur ex justitia publicæ honestatis, prohibente, ut quis non contrahat matrimonium cum consanguineis illius, cum qua contraxit sponsalia, vel matrimonium ratum.

Hæc est certa, & non habet difficultatem, nisi ut advertat, quòd hoc impedimentum jure antiquo, ut colligitur ex C. *Sponsam de Sponsalibus*, dirimebat matrimonium inter sponsum, & consanguineos sponsæ, usq; ad quartum gradum: jam jure novo in Trident: sess: 24. c. 3. declarato, restringitur jus illud antiquum, & sic impedimentum illud non oritur ex sponsalibus invalidis; nec etiam ex vali-

validis, nisi usq; ad primum gradum; ex matrimonio verò rato, oritur usq; ad quartum gradum.

De ætate non est quod dicam, nisi quòd jure Ecclesiastico requiritur annus 14. in viro, & 12. in fæmina completus; nisi tamen malitia ætatem suppleat, & citiùs adsit, & doli capacitas, & potentia ad copulam, prout frequenter fit; nam à meo Patruele piæ memoriæ, Illustrissimo ac Reverendissimo Domino Joanne de Mollony, Episcopo Laonensi, quondam audivi, se vidisse decem annorum puellulam jam gravidam à puerulo 11. tantùm annorum, quapropter Decreto sui Consistorij annuit, ut copulari, prout petierunt parentes, possent. *Casus rarus.*

ASSERTIO IX. Affinitas est impedimentum ortum ex copula carnali, sive licita, sive illicita, ratione cujus jure Ecclesiastico dirimitur matrimonium. Hæc etiam est cōmunis & patet, tum ex C. *non decet de consanguinitate & affinitate*; tum etiam ex communi praxi Ecclesiæ, unde pro illius ulteriori intelligentia: *Impedimentum affinitatis.*

Adverte ex Trident: jam citato C. 4. copulam licitam dirimere matrimonium usq; ad quartum gradum: illicitā verò, modò præcedat matrimonium, usq; ad secundum tantùm gradum: si verò subsequatur, v. g. si Cajus cognosceret uxoris suæ consanguineam in secundo gradu, non dirimit matrimoniū, facit tamen, ut Cajus non possit debitum ampliùs petere, licet bene reddere petenti possit. At si cognovit cognatum uxoris suæ in 3. gradu, non impeditur à petendo debito ab *Gradus affinitatis.*

uxore, quia affinitas quæ non impedit matrimonium, si esset contrahendum, non impedit jus ad debitum, si est contractum.

De gradibus & lineis affinitatis, idem est sentiendum, sicut & de gradibus consanguinitatis; unde qui uxoris est consanguineus in primo gradu, sive rectæ, sive transversæ lineæ, in eodem gradu lineæ rectæ, vel transversæ, affinis erit marito.

Discrimen peccatorū peccantis cum consanguineis uxoris & concubinæ

Adverte 2. Discrimen peccati illius, qui cognovit consanguineam uxoris in 3. gradu, à peccato ejusdem cognoscente consanguineā suæ concubinæ in eodem gradu, esse, quod priori actu committit incestum, quia sicut cum consanguinea illa uxoris, validè matrimonium inire non possit, mortuâ uxore, sic nec peccare cum illa sine incestu potuit: posteriori verò actu non committit incestum, sed adulterium, quia cum illa posset licitè contrahere matrimonium mortuâ uxore.

Impedimētum impotentiæ.

ASSERTIO X. Impotentia dirimens matrimonium, est inhabilitas consumandi illud, sive se tenet ex parte viri, sive ex parte fæminæ; hæc si perpetua est, & incurabilis, dirimit matrimonium, non verò si temporalis est, aut superveniat post consummatum matrimonium.

Probatur 1. pars. quia convenit omni & soli. *Probatur etiam 2. pars.* Tum ex praxi Ecclesiæ; Tum etiam ex C. *Quod sedem.* Et C. ultimo, de *frigidis & maleficiatis.* Tum deniq;, quia per matrimonium conjuges obligant se ad reddendum debitum maritale; sed obligatio illa redditur impossibilis, suppositâ impotentiâ: ergo.

Pro-

Probatur ultima pars. Tum ex C. *Fraternitatis.* Tum etiam, quia temporalis impotentia non officit fini matrimoniali: ergo non dirimit ipsum matrimonium. De alijs impedimentis, provenientibus ex absentia Parochi, & testium, jam suprà egi: unde hic tantùm restat notandum, quòd in enumeratis impedimentis soli summo Pontifici ordinaria concessa est dispensandi facultas.

In impedimentis dirimentibus solus Papa ordinariâ potestate dispensare potest.

ASSERTIO XI. Quamvis conjuges non tenentur per se loquendo debitum petere, reddere tamen sibi invicem ex justitia tenentur.

Conjuges tenentur sibi reddere debitũ si requiratur.

Probatur 1. pars. Non petendo debitum conjuges nulli injuriam faciunt; nam licitũ est unicuiq; juri suo renunciare, ut constat ex C. *Si de terra.* Ergo licitè possunt non petere debitum.

Probatur etiam 2. pars. Justitia exigit, ut unicuiq; detur quod suum est; sed corpus uxoris viri est, & è contra viri corpus, uxoris in ordine ad usum matrimonij: ergo uxor tenetur debitum reddere viro petenti, & vir uxori. Unde est illud Apostoli 1. Corinth: 7. ad hoc propositum: *Uxori vir debitum reddat, similiter autem uxor viro.*

Hinc colligitur, obligationem reddendi debitum gravem esse, & obligare sub peccato mortali, nisi circumstantia aliqua excuset; unde si jejunando redderetur quis inhabilis ad reddendum debitum, non teneretur jejunare, quia præceptum naturale de redditione debiti, prævalet præcepto Ecclesiastico de jejunio. Similiter si jejunando uxor efficitur defor-

Obligantur sub mortali.

Quomodo uxor ex-

excusatur à præceptis Ecclesiæ. deformis, aut marito exosa, à jejunio excusatur, quia præceptum jejunij non obligat cum dispendio amoris & pacis, quæ inter cõjuges servari debet.

Causæ excusantes à redditione debiti. Varias tamen ob causas excusari potest conjunx à redditione debiti: Prima est, quãdo sine gravi detrimento, aut periculo salutis, illud reddere nequit 2. Ad evitandum grave aliquod nocumentum in bonis fortunæ, aut ad comparandum notabile augmentum rei familiaris. 3. Quando non suppetunt facultates ad plures filios alendos. 4. Quando exigens petendo debitum peccat. 5. Quando conjux spatio duorum mensium sibi à jure concesso, post contractum matrimonium, deliberat de ingressu religionis.

Notetur versus. ASSERTIO II. In usu matrimonij servari debet modus, finis & circumstantiæ, his versibus comprehensæ, quarum explicationem vide apud moralistas.

Sit modus, & finis, sine damno, solve, cohære.
Sit locus, & tempus, tactus, ne spernito votum.

Causa divortij. ASSERTIO ULTIMA. Adulterium unius ex conjugibus, non solùm sufficiens causa est negandi debitum, sed etiam causandi divortium. Hæc est communis & patet, tum ex authoritatibus Scripturæ Matth:19. & 1. Corinth: 7. circa finem præcedentis colum: à nobis adductis. Tum etiam ex Innoc: 32. q. 6. ex quo loco colligitur maritum divertere posse ab uxore adulterante, & vicissim uxorem posse relinquere virum adulterantem, quia ut ait Hiquæus noster hic, ubi par est

ratio

ratio, par debet esse judicium, ut nempè:
Frangenti fidem, fides frangatur eidem.

EPISTYLIUM PROBLEMATICUM COLUMNÆ XLV.

An si Adam hodie vixisset, validè posset cum ulla ex viventibus matrimonium contrahere?

Quæ de Statu Religionis, Purgatorio, Indulgentijs & Censuris à me desiderari possunt, favente Deo, brevi sequentur. Intereà tam de Sacramento hoc, quàm de omnibus materijs, in compendioso hoc Theologico cursu, contentis ut dicta cedant, ad gloriam omnipotentis Dei, nec non honorem, Immaculatæ Virginis MARIÆ, Sanctorúmq; Francisci, Antonij, Bonaventuræ, VVenceslai, ac Patritij laudem, animitùs opto.

FINIS.



INDEX RERUM, ET VERBORUM,

c. Columnam, a Assertionem, p. paginam designat.

A.

Bene-

D.

E.

Episco-

F.

G.

H.

Homi-

I.

L.

M.

N.

O.

P.

N.

O.

Occi-

Præ-


R.

T.

V.

Videri





INDEX COLVMNARVM, ET MATERIARVM.

COLUMNA I.

19. De

INDEX
EPISTYLIORVM
PROBLEMATICORUM.



ERRATA PRÆCIPVA.

QVod rogem, eſt, amice Lector, ut ſi inter legendum occurrent errata (occurrent aliqua, Typographi, an correctoris negligentiâ, neſcio; forte utriuſq;) hæc animo non iniquo feras, abſens enim, & occupatus Olomucij in Guardianatûs Officio eram, dum Opuſculum hoc Pragæ imprimeretur; ſic culpandus non ſum, ſi tam correctè opus non prodit, ac ſperavi. Præcipuorum errorum emendationem hic ſubjungo.

Pag: 74. l. 4. ſaancti, *lege* ſancti. *Item l. 15.* ut, *le:* & *Pag: 75. l. 22.* perfectius, *le:* perfectio. *Pag: 80. l. 24.* cognoſcere, *le:* cognoſcere*t*. *Pag: 16. l. 18.* 7. *le:* 9. *Pag: 86. l. ult:* hanc, *l.* hunc. *Pag: 89. l. 29.* viſceribus, *adde*, terræ. *Pag: 102. l. 25.* voluntatis, *le:* voluntati. *Pag: 105. l. 34.* approbationem, *le:* approbativam. *Pag: 114. l. ultima*, reſpondeo, *adde*, 2. *Pag: 116. in marg:* origine, *le:* originali. *Pag: 118. l. 3.* min: *le:* maj: *Item* l. 5. quo, *le:* qua. *Pag: 120.* probantur, *le:* probatur ant: *Pag: 121. (per errorem 123.) l. 20.* nobis, *ade*, nullũ. *Pag: 123. l. 31. loco* quidem periret, *le: primum privaret. Pa: 125. l. 2.* remaneat, *le:* remanet. *Pag: 130. l. 4.* rerum, *le:* legum. *Pag: 137. l. 27.* hic, *adde*, Pragæ. *Pag: 138. l. 18.* ultima, *le:* ultimo. *Pag: 170. l. 14.* monemus, *le:* monemur. *Pag: 180. l. 13.* extero, *le:* externo. *Pag: 185. l. 32.* proposione, *le:* proportione. *pag: 189. l. 9.* rem, *adde*, exiguam. *Pag: 223. l. 27.* habeat, *le:* habeant. *Pag: 263. l. 34.* affectione, *le:* affectiones. *Pag: 288. l. 12.* juſtitia, *adde* ad faciendam. *Pag: 301. l. 23.* perfectionis, *le:* perfectiones. *Pag: 319. in margine, loco*, Deus eſt,

le:

le: Christus. *Pag:* 329. *l. 17.* divinitùs, *le:* cordicitùs. *Pag:* 358. *l. 19.* Almachano, *le:* Ardmachano. *Pag:* 364 *l. 34.* id, *le:* illi. *Pag:* 387. *l. 8.* chrismate, *le:* chrismale. *Pa:* 414. *l. 19.* substantialis, *deletis aliis usq; ad corfirm: adde*, est ipsa substantia Corporis & sanguinis Christi. *Prob:* Non est assignabilis ulla substantia alia, quæ esset terminus formalis *ad quem*, illius conversionis, præter jam assignatam: ergo jam assignata substantia est terminus formalis ejus *ad quem*. *Pag:* 424. *l. 23.* discipulis, *adde*, &. *Pag:* 436. *l. 13.* præcisè, *adde* qua. *Pag:* 447. *l. 19.* Script: *adde* 1. Joan: *Pag:* 451. *l. 16.* nisi, *le:* sine. & *l. 23.* fit, *l.* fuit. *Pag.* 455. *l. 23:* &, *le:* ut. *Pag:* 460. *l. 31.* materia objectum, *le:* objectum materia sit. *Pag:* 462. *l. 6.* assertionis, *le:* assertione. *Pag:* 485 *l. 11.* pœnitenti, *le:* pœnitentis. *Pag:* 51. *l. 28.* babiles. *le:* habiles. *Pag:* 523. *l. 15.* hic, *le: sic.* *Pag:* 525. *l. 7.* colum: *adde* 31. *Pag:* 531. *l. 21.* cur, *le:* quod. *Pag:* 533. *l. 21.* deinde, *le:* deniq;. *Pag:* 534. *l. 6.* legi, *le:* lege. *Pag:* 557. *l. 13.* colum: *adde*, 32. *Pag:* 538. *l. 35.* quo, *le:* quod. *Pag:* 539. *l. 15.* fervorem, *le:* servorum. *Pag:* 540. *l. 11.* accedat, *le:* excedat. *Pag:* 541. *l. 7.* distat, *le:* distant.



Impreſsio hæc totaliter finita est die 21. Decemb: Anno 1663.

5–1

